P. Petrini delin. et Sculp.

Digitized by Google

103216

Colleg. NICOLAI PARTHENII Lugdun.

GIANNETTASII

SS.ae SOCIETATIS JESU Trinit.

XAVERIUS VIATOR

Societ. SEU Jesu

SABERIDOS

Catal. Carmen posthumum inscr. ann. 1729.

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI

ANTONIO RAMBALDO I.

S.R.I. COMITI COLLALTI, &c.

DICATUM

Cum notis ab intimo Parthenii Amico additis.

TOMUS TERTIUS.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON 1844

EX BIBLIOTH PUB COLLEG LUGDUN

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON

NEAPOLI. Apud Dominicum Raillard. MDCCXXI.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google



EXCELLENTISSIMO

PRINCIPI

ANTONIO RAMBALDOI.

S. R. I. Comiti de Collalto, &c.

Atque Mæcenati meritissimo,

BIBLIOTHE... 1894

D.

Partheniam Saberiden

Candidus Parthenii Familiaris:

ELEGIA.

HAnc quoque Parthenii surgentem è funere laurum
O Collaltinæ gloria gentis habe.
Suscipe, & hàc inter victricia germina, ne Te
Tædeat augustas implicuisse comas.

Digitized by Google

Auctor Eam tumulo dederat ſordeſcere ; & Auctor
Tam benè de tumulo ſi nitet, illa nitet.
Illa nitet, tacitique ſitum indignata Sepulcri,
Vividior ramos tendit in aſtra ſuos.
Nata licet noſtri primo ſit Vatis in ævo ;
Digna tamen, Phæbi quæ decus una probet.
Sic parvis Ars ſæpè docet non parva, vel una
Linea, vel totum preſtat Apellis opus.
Ignibus addicta eſt Enæis, fac tamen inter
Auctoris cineres hanc periiſſe ſui.
Quis decor in Pindo ? Muſis quæ gratia ? Muſis
Nullus honor, Pindo gloria nulla foret.
Fictilia Urbinus Raphael cum pingeret olim
Per luſum, in pretio luſus, & ipſe fuit.
Archetypi tanquam nunc illa videntur, & illa
Si quis habet, Famæ non leve pignus habet.
Haud aliter, quæ Parthenius dedit impete primo
Carmina erunt orbi conſpicienda magis :
Et magis ille ~~mihi præclarior~~ ibit, in ipſis
Dum veluti cunis, tàm benè plectra movet :
Quàm quòd Phæbæo dein Numine percitus, Hamis
Et Nautis leges, & dedit arma Duci.
Ergo Suberidæ complectens geſta, quid umbris
Clauderis ? in lucem perge patere liber.
Perge patere ; ſinu quæ ſervas lumina, funde
Lumina Parthenio penè ſepulta tuo.
Poſthabuit Genitor Prolem, nec Te eſſe putavit
Ritè ſuam ; Genitor, quem petis alter adeſt :

Al-

Digitized by Google

Alter adeſt Genitor, quo ludas Vindice dentes
Zoile ſive tuos, ſive Minippe tuos:
Te Princeps Collalte cano; poſt funera quando
Surget; gaudebit Te genitore liber.
Auſpice te plenis ibit per ſæcula velis,
Et quæ non meruit præmia ferre, feret.
Hunc quicumque tuo ſignatum nomine cernet:
Protinus ut cernet, nobile credet opus.
Hanc olim meruere tibi tua Carmina famam:
Magna licèt, tamen eſt fama labore minor.
O' quem Poſteritas memoret? Te dicat Alumnum,
An Te Sirenum, Pieridumque Patrem?
Te Charitum ambroſiam, Phœbi te cantet Olorem;
An Phœbum? de te nata Minerva Jove eſt?
Quidquid id eſt: tua cùm miratur Carmina; cauſas
Ut decus hoc de te Fama loquatur habet.
Ergo age, Partheniæ ne dedignere Juventæ
Excipere amplexu, munera prima, tuo:
Si Pietas in corde tuo ſua tecta locavit,
Cui melius ſe ſe hoc, quàm Tibi ſiſtat Opus.
Perlege: Principium Pietas metam obtinet una;
Et tota in libro hoc conſpicienda venit:
Relligio comitatur, humi qua vindice ſtravit
Saberides forti Numina ficta manu.
Occurrunt, Pietate Duce, & Virtute miniſtrà,
Plurima Romuleis ſubdita Regna plagis;
Undè animus Collalte tuus ſe paſcat, & undè
Accedant animo gaudia ſacra tuo:

Digitized by Google

Sic Tu, dum patriæ positis insignibus Aulæ
Hæc discis, reliquos hæc didiciſſe doces.
Incipe jam Rambalde tuos, tua gaudia, Natos
Hàc tecum vivens tollere ad astra viâ.
Non Regale Genus, non Bella, & Nomen Avorum
Discent, si superat gloria Patris Avos.
mata quid moveant partis assueta coronis,
Ni Virtus meritum comprobet esse decus?
Quò propiora vident Virtutum exempla Nepotes;
Hoc magè quid fugiant, quidue sequantur habent.
Mirentur Reges Alii: Genus undè tuorum:
Te Nati: Hæc solùm gloria Patris erit.
Te magnum virtute tuâ, Te laude Parentum,
Et Generis laudem posthabuisse Tuæ.
Nam licèt effulges ingentibus undique palmis;
Præponis palmis Romula serta tuis.
Lumine nec tantùm gaudes splendescere avito;
Quàm quod de fidei clariùs ore micat.
Hoc decus, hæc Virtus humanis altior ausis;
Hanc Nati discant, Te præeunte Patre.
Sed quid plura? Vocat jam Te Saberis in altum
l' Pelagi, tali sub Duce, tuta via est.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO

PRæclariſſimi Poetæ. Oratoris, Hiſtorici, Geographi, Coſmographi, atque in omni eruditionis genere conſumatiſſimi P. NICOLAI PARTHENII GIANNETTASII Opera, quæ antehàc publicam in lucem prodierunt, tanto cum plauſu ab universà literarià Republicà excepta ſunt; ut meritò tantus Vir, inter Maxima noſtri Sæculi Lumina poſſit referri. Quamvis verò in omnibus, quæ poſterorum memoriæ conſignavit, Ingenii ſui monumentis, famam conſequutus ſit immortalem; in Poeticis tamen, eo Claritatis, Honoris, & Gloriæ apud Literatos omnes proceſſit; ut ad Antiquos Poetas proximè acceſſiſſe, Neotericos autem vel exceſſiſſe, vel exæquaſſe videatur, Quis enim ejus Piſcatoria non ſuſpiciat? Nautica non ſtupeat? Halieutica non demiretur? Bellica verò ſemel lecta non relegat; relecta iterùm, atque iterùm non repetat, revolvat, reguſtet? Tantus ubique ſplendet Candor ſine Fuco, Decor ſine Faſtu, Cultus ſine Luxu, Honeſtas ſine Labe, Ornatus ſine Pigmentis; ut nihil ad Poëſim numeris omnibus abſolutiſſimam deſideretur. Nec injurià Neapolitana Civitas, quæ Muſarum omnium Mater, & Altrix ſemper appellata eſt, ſeſe Tanti Viri Matrem, Altricemque fuiſſe quàm maximè gloriatur: cùm illius in pectore, tanquam in Animato Parnaſſo omnes Muſæ ſedem ſuam vel ab Incunabulis collocarint. Ab Incunabulis inquam: Parthenius enim non factus, ſed Natus Poeta eſt; & quamvis provectiori Ætate Provectior Vates evaſerit; in minori tamen ætate, Vates etiam erat; ſe quidem Provectiori minor, at multis Provectioribus, etiam tùm Major. Quemadmodum enim Gygas non ſenili tantùm, ſed puerili etiam in ætate Gygas eſt; cæteriſque ejuſdem ætatis puerilis corporis celſitudine antecellit; ita & noſter Poeta Parthenius. Quod facillimè cuivis manifeſtum fiet, qui Saberidem hanc, Poſthumam Parthenii Prolem, ſed primam Fœturam perlegerit. Hec enim non à Provecto jàm, & Sene; ſed à juvenculo, ac penè Puero Parthenio concepta eſt. Nam cum Parthenius vigeſimo primo ſuæ ætatis anno Amanteæ apud Brutios degeret, ibidemque pueros, juxtà Societatis Jeſu morem, liberalibus artibus ad humanitatem informaret; ſubſecivis horis Saberidi conſcribendæ manum admovit, uniuſque anni curriculo ad nonum uſque librum perduxit: non eo tamen animo, ut poſtquam illam abſolviſſet, atque elimaſſet, publici Juris efficeret (hæc enim mens ne per ſomnium quidem illi obvenerat) ſed tantummodò ut quidquid otii è Scholaſticis laboribus ſupererat, erudito hoc negotio honeſtè tranſigeret. Et idcircò ſequenti anno, gravioribus curis diſtentus, incæptum opus dimiſit: nec unquam poſteà ad ejus abſolutionem animum adjecit, ſed inter inutilium Schedularum Miſcellanea, tanquam nullius pretii mercem, abjecit. Undè Saberis à ſuomet Parente reprobata, cæteris ignota, pulvere, fuligine, ſituque obſita, quadraginta, & quinque annis in tenebris jacuit; quaſi ante Auctoris ſui mortem, ſuo Fato jam functa, & penè tumulata. Verùm poſtquam Parthenius ex hac Vita migravit, cum quidam ex intimis

mis ejus Familiaribus inter papyracea cubiculi ejectamenta (quæ mox flammis erant cremanda) Saberidem invenisset, eam tanquàm Palladium sustulit, & ab ignibus vindicavit: ratus meliori luce, quàm flammarum esse dignam, Rem cum aliis, tùm domesticis, tùm exteris contulit; eorumque consilium, utrum Saberis mandanda typis, nec ne foret, exquisivit. Et quamvis nonnulli è Societate Jesu Patres, eam in Vulgus edendam minimè censerent (quippè quæ, præter quamquod integra non est, juvenili elucubrata stylo, Senilem Parthenei Majestatem, Numerum, Elegantiamque minus redolere videbatur) quia tamen multi ex exteris ejus evulgationem, enixis precibus deposcebant, imprimis Excellentissimus Comes ANTONIUS RAMBALDUS, qui repetitis literis, ab ultimâ usque Germaniâ missis, hujusmodi evulgationi vehementer instabat; sumptusque etiam pro impressione faciendos, in se ultrò recipiebat; post diutinam reluctationem, tandem cessere Patres; eoque libentius cessere, quòd certò futurum prospiciebant, ut Res tot expetita Votis, tot Precibus exorata, magno cum plausu, si minus ab omnibus, saltem à suis Postulatoribus exciperetur. Quinimò non levis spes affulgebat, fore etiam, ut à reliquis omnibus magno in pretio haberetur: utpotè quæ Parthenianam Musam, vel in tenerâ ætate pulsantem numerosè Citharam, & Carmina modulatè canentem repræsentat. Sicut enim magnis in deliciis habemus, quæ Carmina Homerus de Ranis, & Muribus, quæque Virgilius de Culice, & Moreto à pusillis Pueris cecinere (sint licet ad Poeticæ Artis amussim minus apta) quia nimirum quandam Vagientis Poeseos nobis Imaginem referuut: ità de Parthenii Saberide non absre speramus: tanto magis, quòd hæc non Rem humilem, & profanam (qualis erat Homeri. & Virgilii materies) sed Augustam, & Sacram Heroico carmine pertractat: nec aures tantùm cantu demulcet, sed animis etiam p etatis sensus instillat. Dum enim laboriosissimum Divi XAVERII expeditionem ad Indos Poetico stylo persequitur; Heroicas ejus virtutes, & Apostolica facta mirum in modum describit; atque ad imitandum proponit, Qua de re, cùm Partheniana SABERIS, & Bono publico non parum prodesse, & Auctori suo etiam Juvenculo laudem conciliare possit; bonæ spei plena; bonis auspiciis munita, unà cum cæteris Auctoris sui carminibus, publicam prodit in lucem; ut scilicet in uno vel Parthenio, Juvene, ac Sene, habeant & Tirones, & Veterani quid imitentur.

Programma
Pater Nicolavus Parthenius Giannettasius
Neapolitanus Societatis Jesu
Anagramma literale purissimum, & Distichon.
Virgilii stat honos Vati, Par penè Poësis
In cantu lenis sat sua Vena scatet.

AU:

Digitized by Google

PARTHENIUS

Hæc Epistola ab Authore suit præfixa Sabetidi.

SEVERO SUO

S. P.

SCias velim, Severe, me non inanis gloriæ cupiditatem, sed alias omninò, easq; honestas causas ad hoc Carmen, qualecumq; illud sit, rudi sanè, tenuique Minervâ, Marte autem meo, contexendum impulisse: Carmen, inquam, qualecumque, cùm me non lateat quantâ illud laude, quantâque notâ dignum sit: video enim quid illi desit, quidve superfluat, longèq; alienum scio ab Epica dignitate. Absit à me φιλαυτία, quæ periculosissimum in Scriptore vitium est. Quippè amo mea; non ita tamen, ut illis penitus acquiescam, ac abhorream à liturâ. Licèt enim vel ipsæ Feræ suos partus diligant, imò & informes aliquando plùs ament, cùm sit hic à naturâ cuique inditus amor; non ita tamen in ingenii partubus usuvenit, qui Artis potiùs & industriæ sunt, quàm naturæ Progenies. Isti enim verò ut elegantes delectant Authorem suum, ejusq; in se amorem tùm excitant; tùm extorquent; ita stomachum Informes generant, ac displicentiam Facunditatis: emendare proindè quàm primùm curant, nec lucem antè videre sinant, quàm vitium ponant. His ego motus, tenebris carmen damnandum censui; nec consulentes, ut publici juris fiat, audio: ignari certè illi sunt operis, nec rationes suscipiendi laboris norunt. Tibi autem, mi Severe, quid nostri lateat? Illud tibi, quod à me postulas, impolitum, imperfectumq; ut à venâ currente fluxit, legendum trado, tibiq; rationes scribendi compertas volo. Et primò quidem ardentissimus me Carminum, Musarumq; Amor, qui vel ab ipsis incunabulis meis præcordiis vehementer exarsit, ad scribendum invitavit; suasit deindè, tertiò demum impulit. Accesserunt non parva ad canendum incitamẽta; Concivium meorum Sannazarii & Joviani exemplum; patriæ Sirenis imperium potiùs quàm suasio (Sirenes enim non suadent modò, sed imperant); dulcissima ante alias Parthè nope lacte suo ardentem hunc ad musas affectum indi-

Digitized by Google

indidit, auxit gratissima Mergelline, tot Poëtarum sedes, imò & Principis Poëtarum, in cujus gremio Nereides colludere mihi videbantur; non ingrata Nesis, in cujus muscosis Scopulis, & odoris cautibus fixus sæpissimè hærebam, mente verò Pierios apices pervagabar. At maximum, præ cæteris, illicium fuit Crypta Neapolitana intra Pausylipi viscera excavata. Hic, ut nosti, antè Ostium marmorea in arca Virgilii ossa Posteritati spectaculum asservantur, quæ dum quotidie inviserem, exardescebat interius Musarum Amor; Hic mihi tempus ad Poetica studia serijs identidem detractum negotiis, quamquam non abundè, mediocriter tamen suppeditavit: ex quo Musarum amor nedum extinctus, sed magis magisque auctus in dies. Subsecivæ illæ temporis particulæ guttula sitienti erant, quæ sitim accendebat magis, quàm extinguebat. Quamobrem sæpè ventri jejunium indicens, noctes ferè integras Musarum studiis transigebam: fastidiebam theatrum, amabam solitudines: verbo: quidquid Musis proderat, nihil penitus negligebam. Quamvis autem Mathematum etiam studio (, ad quas mihi scientias proclive admodum ingenium Natura fecit), darem diligenter operam, strenuèque; potior tamen pars Pieriis otiis ascribebatur, ac dicere solitus eram

Musæ noster Amor, Musæ, quibus otia læta
Ducimus in Sylvis, Pieriisque jugis.
O' Ego si possem totas ibi ducere noctes
Et totos possem delituisse dies!
Divitias alii, atq; alii sectentur honores
Illecebras alii, deliciasque petant:
At ego Pierios Colles sectabor, & illis
Blanda meis Musis est mihi parta quies.

Et hæc quidem potissima scribendi Ratio, atq; acutissimus mihi stimulus fuit. Accesserunt deindè molestissimæ undique curæ, quæ me mirum angebant in modum, cùmque mentis ægritudini aptior Medicina non suppeteret, cantu mala lenire statui, Musasq; admodum propitias expertus sum, quæ mihi non mediocriter blandiebantur.

At enim cur hoc præ cæteris Argumentum electum est? Optio Amoris fuit, quo semper D. Franciscum Xaverium exarsi, ejusq; in me benevolentiæ promerendæ, Desiderii: ob eamq; rem primos illi nostræ Musæ concentus consecrare adorsus, Parnassum docui augustum Xaverii nomen longè latèque resonare. Quoniam verò impar omninò meis viribus Epopæia mihi videbatur, quæ tùm ingenii maturitatem, tùm infinitam propemodum eruditionem postulat in Scriptore; non unam Xaverii facinus (quod certè in tanto Heroe non erat defuturum) sed ejusdem itinera, ac gesta, Historici potiùs in morem, quàm Poëtæ sum prosecutus. Carmine quidem, insertisque identi-

dem

Digitized by Google

dem ad narrationis leporem hilaritatemq; fabulis, Poëta sum; cætera Historicus, ac Geographus, uti Res poscit.

Habes jam, Severe amatissime, laboris jam arrepti stimulum, ac propositum: quò autem id præstiterim, tuum est judicare. Hoc etiam à te peto, ut atticam illam tuam in percurrendo carmine severitatem deponas; neque à Parente mulctatum novâ afficias contumeliâ. Non enim quantum materia postulet, sed quantum Ætatis adhuc immaturæ vires, quantum Musarum primitiæ, scribendique Celeritas tulerit, magis considera. Scis enim ipse quot tricis hoc eodem tempore præpeditus fuerim, quasque secum improbus docendi Pueros labor, ac Præceptoris officium curas ferat. Id tu si feceris, mihi, tùm perficiendi Operis, tùm castigandi stimulus addetur: itàq; Adolescentibus nostris, qui pari Puerorum humanioribus literis imbuendorum munere exercentur, exemplum diligentiæ certè, si minus Poëseos elucubrandæ me daturum spero. Vale.

Digitized by Google

Errata sic corrige:

Pag. 10. versu 6. lege, Curæque. P. 12. v. 5. l. fulmine. P. 12. v. 10. l. Saberides. P. 16. v. 13. l. lacrymasque. P. 17. v. 17. l. tantam. P. 17. v. 22. l. conscendit. P. 23. v. 2. l. cedunt. P. 25. v. 23. l. Olympum. P. 25. v. 37. l. murmure. P. 26. v. 2. l. conscenderat. P. 26. v. 34. l. Hesperetusæ. P. 27. v. 25. l. increbrescunt. P. 66. v. 23. l. sub obscuro. P. 113. v. 5. l. efflant. P. 104. v. 13. l. Bistonis. P. 116. v. 43. l. exemplum. P. 119. v. 5. l. findier. P. 120. v. 31. l. Dis. P. 128. v. 15. l. sanguine. P. 128. v. 31. l. nunc. P. 157. v. 30. l. sub obscura. P. 158. v. 27. l. Sarmaticas. P. 168. v. 42. l. Stygium. P. 176. v. 28. l. Parisium. P. 177. v. 14. l. Devehit.

Digitized by Google

NICOLAI PARTHENII GIANNETTASII VITA.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1894

Part'm ab ipſo Auctore, partim à quo-dam ejus Familiari, Deſcripta.

Nicolaus Parthenius Giannetaſius Neapoli via Toletana honeſtis Parentibus natus anno MDCXLVIII. Primam pueritiam ſub rigidam Parentis diſciplinam laudabiliter egit. Anno MDCLVI. patre peſtilentia ſublato (matrem jam ſexennis amiſerat) fratribuſque, & conſaguineis fere omnibus eàdem lue enectis, ſolus ipſe penè miraculo ſervatus eſt. Nam peſtis utroq; genere correptus, bubone ſcilicet peſtifero, & puſtulis toto corpore diffuſis, quod genus durius habebatur, ſine ope, atque opera medicorum, ſine medicamine; poſt diutinam cum morbo conflictationem, quo etiam tempore, phrenèſi laboravit, inſperato convaluit. Dum verò in ædibus ſolus puer, atque inſcius ſedet, veſpillones ad efferenda cadavera ingreſſi, mercedis loco ſuppellectilem totam extraxerunt: mox

Digitized by Google

qui in inferiori contignatione habitabant pecuniam plurimam, & gemmas, atque argentea vasa abstulerunt. Interea dum ignarus consilii hæret, quidam, qui vix illum affinitate attingebat, adfuit; qui puerum secum domum deduxit, tutorque à jure constitutus: nàm Justitio sublato, quod remitti jam vis pestilentiæ cæpisset, judicia fieri cæperunt. Sub hujus tutelam hominis ineruditi, atque inculti aliquid pueritiæ sine lucro, inter ludos, ac pueriles nugas transegit. Inde pubertati jam proximus; cum domi Sacerdotem quemdam haberet, qui grammaticam apprimè callebat, hujus usus opera, brevi se à grammaticæ tricis expediit. Cum verò eo tempore is apud Patrem Joannem Baptistam, Zupum cognomine, Mathesi operam daret, author fuit, ut Parthenius Mathematicas disciplinas leviter attingeret, quas mox proprio, ut dicitur, marte, ita didicit, ut Magister evaderet. Pari diligentia, nullo facem præbente, græcas, & hebraicas literas ita etiam attigit, ut eas aliis traderet. Decimumquintum annum agens ad Philosophiæ, ac Jurisprudentiæ studium se contulit: etsi ejus ingenium libentius in Mathesim, ac Musas, delicias suas, ferebatur. Totum triennium, quod in his studiis consumpsit domi suæ, quæ ad Olympiam, juxta Turriculam, sita erat, vitam solus egit, longè à strepitu urbis, longè ab amicis, longè à curis omnibus. Itaverò eo tempore vixit, ut nemini gravis, nemini offendiculo esset, quod in adolescente libero, & cui vitæ necessaria mediocriter suppetebant, non leve bonæ indolis argumentum erat. Hinc factum, ut Canonici Lateranenses, qui ad Pausylipi radices habitant, Ædisque Virgineæ, cui à proxima Puteolana Crypta cognomen apud vulgus popularium est, curam habent, illum sæpè ad se trahere conati sint: idemque factitare studuerunt Servitæ, qui Sinceri ædes, etiam Virgini dicatas incolunt. Cumque animadvertissent Juvenem ad Societatem Jesu animum inclinare, illum ab hoc consilio revocare pluribus conati sunt: In Societate, nullo illi adiumento futurum vel ingenium, vel literas: imò vix expleto tyrocinio, aut ad Calabros, aut ad extremos Salentinos amandandum, ut pueros, vile ministerium, grammaticæ præceptis institueret: quando si ipsorum institutum susciperet, in patria, ac dilecta sibi Olympia vitam quietè commodéque duceret, & primos etiam honores consequeretur. Quibus hæc ille solitus reponere, se ab omni ambitione alienum, imò turpe ducere, ut qui semel mundanis rebus nuncium misisset, omnibusque divitiis se abdicasset, commoda honoresque quæreret. Sibi gratum

fore

Digitized by Google

fore, si terras remotiores viseret, & uti cupiebat quam maximè, diversarum gentium mores, atque ingenia disceret. Quid jucundius, quam terram illam lustrare, quæ Græciæ suppar, imò & major, tot celeberrima antiquitatis monumenta; tot egregia suorum facta in se una contineret. Mox adultior, cum sensim in liberiorem vitam, amicorum consortio, traheretur, de vitæ suæ statu seriò cogitare cæpit: cumque ad id quantocyùs faciendum à quodam religioso homine incitaretur, Societatem Jesu ingressus est pervigilio Virginis natæ, quem ille diem solennem semper habuit. In Tyrocinio, se divinarum rerum meditationi dedit; à cæteris rebus adeo abstractus, ut is, qui tyronum Magistro socius erat, ut stolidum, indoctumque despiceret; sæpiusque Magistrum moneret, ut tyronem adeo rudem, tardæque Minervæ tempestivè dimitteret, quod & ille fecisset, ni Pater quidam, cui Pedacio cognomen, intercessisset, qui juvenem apprimè noverat, & unicè diligebat. Hactenus Auctor.

Verùm non diù latuit, quàm ineptè de Ingeniis judicium feratur ab iis, qui putant, brevi se illa tempore, aut dignoscere, aut metiri posse. Tyrocinio vix expleto, Nepetias missus, molestissimam erudiendorum grammaticæ præceptis puerorum provinciam suscepit. Qua in re ita se, suasque vires exercuit, ut omnium expectationem, quæ sanè, vel de ejus ingenio nulla erat, vel certè minima, longè superaverit. Neque enim unico eo labore contentus, ubi multas quotidie horas in pueris erudiendis consumpsisset, reliquum diei tempus, exercendo stylo, & Musis excolendis insumebat. Quinimò pluries ventri jejunium indicens, noctes ferè integras inter amena hæc studia transigebat: & licet Mathematum scientiis dabat etiam diligenter operam, strenueque: potior tamen pars mansuetioribus Musis ascribebatur. Quibus ille exercitationibus ita ingenium exacuit, atquè ad magna excitavit, ut postremo, quo docuit pueros anno, Poësim illam, quæ Saberides inscribitur, occæperit, & ad decimum usque librum perduxerit. Quod opus imperfectum licet, ac mutilum, tametsi reliquis operibus, quæ multo post tempore maturior edidit, par omninò dici non possit, cæteris tamen omnibus admirabilius reputari potest: tum quòd illud, tot distentus tricis, curisque, anno uno, confecerit; tùm maximè, quòd vel ab ipsa adolescentia non sanè levia præclari ingenii argumenta præbuerit: ità enim Divi Xaverii, Indiarum Apostoli præclarissima gesta perfequitur, ut in uno, eodemque Opere, & accuratus Geographus, & elegans Poeta videatur. Tempore erudiendis pueris constituto, ab eo

religiosissimè exacto, suam Scholasticæ Theologiæ operam dedit, tres fermè annos Panormi, postremum verò Neapoli: quibus absolutis, publiceque, de more, propugnatis universæ Theologiæ thesibus, iterum in Calabriam profectus est, & Rhegii Philosophiam triennio docuit. Hinc Neapolim, de Moderatorum Imperio, rursum revocatus est; ac Matheseos Facultati, cuius scientissimum iamdudum noverant, in Collegii Maximi Academia edocendæ impositus. Hic parem nactus genio materiem, ingenio theatrum, omnem in ea Sparta pro virili parte, exornanda, Parthenius operam collocavit non sine maximo Facultatis eiusdem, et universæ Academiæ emolumento; nam eiusdem studio, ac diligentia, è vestigio suo restitui nitori visa, propè jacens pridem in tenebris, Mathesis. Tanti nimirum Doctoris exciti Auditores, convenire frequentius, imbui avidiùs, pluris rem mathematicam æstimare. Plurimum verò ad id contulit ipsius Parnii industria, qui, ut sibi demandatam Mathesim commendaret magis, ex umbra in Solem eduxit, ac pulverem. præter Problemata, privatis identidem eruditis certaminibus, expolita, publicas etiam concertationes instituit, in quibus Phylio Mathematicæ Positiones palam propugnandæ, in Aulà Maxima, proponebantur. non sine pompa. & optimatum juxta, atque eruditorum virorum frequentia, non minus rei novitate, ac Authoris præconio illectorum: quòd sanè & sibi, & rei mathematicæ ampliorem circumdedit famam. Extant hodiè, numero non exiguo. graphicè depictæ Tabulæ, propositorum Problematum Iconismis insignes, ex parietibus inferioris Ambulacri ad domesticum Viridarium dependentes, quibus triumphat etiamnum Partheniana Mathesis. Quamvis autem in his studiis totus videretur, ut Cosmographiam etiam, ac Geographiam in suorum Auditorum usum concinnatam in lucem emitteret, haud tamen aliis ulla deerat ex parte. Versatus in linguis apprimè erat, in græca præsertim, & hæbraica: ijs etiam edocendis admotus, geminatum haud abnuit onus; quin plures continenter annos tulit tanta eruditionis præstantia, & impositi muneris neglectu quodem, ut hac una de causa, minus bonus Præceptor in linguis visus fuerit, quòd nimia in docendo celeritate, ac præceptorum copia, Auditorum suorum animos obruebat: vitio, ingeniosis viris perfamiliari, qui è suo aliorum metiuntur ingenia!. Nec tot, non sanè exiguis, contentus laboribus, Divinarum, profanarumque rerum privatum addidit studium: qua in re ita felix processu fuit, ut quæ

à sa-

Digitized by Google

à ſacris, cœteriſque Scriptoribus poſteritati commendata; longo ſtudio, ac labore haurienda eſſent, ab eo uno, nullo negotio, quisque ediſcere poſſet: Uſque adeo, quæ diſſitis Regionibus, temporibus variis geſta eſſent, & pluribus digeſta libris memoria tenaciſſimè ſepta, retinebat, ac non ſine lepore quodam denarrabat. In primis verò amæniorum literarum ſtudiis, in quæ, nativis quibuſdam emicabat igniculis, ubi per tempus liceret, non commodabat ſe modo, ſed penitus impendebat. Hac de cauſa egregios Poëtas, ut eorum exempla, aut penè jam fugientia, aut non adeo pervulgata ſtudioſæ Juventutis præ manibus faciliùs haberi poſſent, atque in ea, velut in Speculum, inſpici, Fracaſtorium, Sanazarium populatem ſuum, atque Rapinum recentem Gallum, qui paucis ante annis, de cultu hortorum elegantiſſimè ſcripſerat, iterum Neapoli, typis mandandos curavit, eoſque, repetito editionis honore, donavit. Mox etiam aliquid de ſuo moliri occæpit. Nautica primum, ſucciſivis horis, otii pertenaciſſimus hoſtis, atque acerrimus, aggreſſus eſt: quæ ad umbilicum perduxit; & revocavit ad limam, & publici tandem juris fecit. Juvit plurimum eruditum otium, quo per feriatos dies plenius fruebatur. Subautumnales quippe Vacationes, Maſſam Lubrenſem primum; mutato deinde conſilio, in eum locum, propè Surrentum, quem Cocomellam Indigenæ, Colomelidem ipſe reformato ad elegantiam Nymphæ cujuſdam in ſpeciem, nomine, , ſuis in libris identidem poëtico more appellat, ſecedere ſolebat. Hìc omni ſolutus cura, tenui admodum contentus victu, quem ſibi ipſe ſæpiſſimè præſtinabat, coquebat, & parabat, humanioribus hiſce literis non dabat ſe, ſed prorſus abdebat. Ità facile fuit grandia moliri, & ad rem perducere. Hac ratione Nauticorum Libri, ad unguem perfecti, ac caſtigati. Hac etiam Hallieuthicorum quoque Opus alterum adiectum; ac tertium denique operoſius Bellicorum, pari ſemper Muſæ elegantia, candore, atque majeſtate. Ut hoc etiam eruditum oblectaret otium, plura ad cumulum ſoluta oratione commentatus eſt, familiari ſtylo, ad curioſitatis illecebram, & latinitatis lenocinium unice facto; eaque in plures diſtributa libros, Æſtates Surrentinas, Autumnos Surrentinos, Ver Herculanum inſcripſit. Hæc omnia, ex intervallo, prælo commendavit, atque in lucem edidit; Nautica primùm, quæ tanto plauſu excepta fuere, ut omnes in eo redivivum Sannazarium, aut Maronem ipſum mirarentur: quod ei calcari fuit, ut cætera opera maturaret, Typiſque committeret. His artibus emanare in Vulgus

Par-

Parthenii nomen, ac longè, latèque inclarescere: illius, non sine ambitu quodam, certatim familiaritatem exposcere cum literati populares, tùm exteri, cum primis vero summo ab loco viri, ut non facile dictu sit, quot, quàm magnis ipse floruerit amicitiis. Principem, jure merito, sibi vindicat locum Carolus de Cardenas, Laini Marchio, Acerrarum Comes, Sacri Romani Imperii Princeps, primus Parthenii Mæcenas, cui Nautica, & Hallieutica nuncupavit: nec silentio prætereundi sunt Thomas de Aquino, Castillionensium Princeps, cui Bellica, Franciscus Pignatellus Tarentinus tunc Archiepiscopus, nunc S. R. Ecclesiæ Cardinalis amplissimus, ac Neapolitanus Archiepiscopus meritissimus, cui Geographiam dicavit. Omnibus verò, meo quidem judicio, jure præferendus Eminentissimus Jacobus, Cardinalis Cantelmus. Is, cum jampridem nostrum, ex eius Libris, perspectum haberet Parthenium, Neapolitanæ Ecclesiæ admotus clavo, ubi se contulit in sedem, adeo illum propè effusis benevolentiæ habenis, prosecutus est, ut eidem arctissimo penè familiaritatis nexu coniunctus videretur. Cum eo frequens miscere sermones, curru, animi causa, deambulatum vehi, in Diœcesim interdum obire, cibum, communem ad mensam, persæpe sumere: verbo: seriarum laxamenta curarum suavissima Parthenii consuetudine supplere. Quod fidem superat, non dedignatus est tantus vir, sæculo major suo, nostrum; Parthenium, in suo degentem Surrentino, quo se recipere per autumnales vacationes solebat, humaniter convenire, ibidem ab eo excipi, certis etiam quibusdam epulis, non sine commendatione laudis, vesci quas Parthenius, suis ipse manibus, egregius æquè Coquus, ac Vates, scitè apparabat; ibique per dies aliquot ejus frui consuetudine, eruditione oblectari. Non semel etiam in Neapolitani Collegii Aula, aut soluta, aut adstricta numeris oratione dicentem, sua præsentia honestavit. In primis vero quanti illum faceret, ostendit, cum publicè in eadem Aula, ad eruditam Panegyrim recitaturo Bellicorum Librum VI. antequam prodiret in lucem, non modo adesse ipse voluit, sed tres alios purpuratos Patres, qui tùm fortè fortuna Neapoli agebant, invitandos curavit, Vincentium Ursinum, Joseph de Aguirre, & Fortunatum Carrasa: visique (quod rarò Neapoli spectaculum) quatuor Cardinales amplissimi sub Umbella textili ex auro assidentes, Parthenium dicentem pronis auribus accipere, & plausum dare. Hoc Authore, ad Neapolitanam Historiam latinè scribendam, sæpè compulsus, animum denique appulit, quàm plurium annorum labore molitus, sub extremum vitæ tempus ad unguem perfectam,

Typis

Digitized by Google

Typis mandavit, & Carolo Carafæ, Matalunenſium Duci, Mæcenati ſanè ampliſſimo dicavit. Tandem, acerbo ſanè funere Cantelmo è vivis erepto, cum ipſe ſex, ac viginti ſolidos annos Neapoli, In Mathematicis tradendis, ſuam egregie locaſſet operam, ac tot in lucem editis ſui ingenii monimentis, ſuum nomen æternitati mandaſſet, ſanctioris otii percupidus, alia cogitare cæpit. Quare Neapolitano Collegio relicto; Patriæque ſibi chariſſimæ vale dicto, in Surrentinum ſeceſſit; ubi ita decem ferme annos vixit, ut non immerito loci illius Apoſtolus dici poſſit: quamquam enim ætate gravis, & viribus non ſanè multum validis utebatur, ea tamen, vix apud Poſteros fidem invenient, quæ ipſe unus die, noctuque domi, foriſque peragebat: vix ulla ipſi à laboribus quies, præter eam, quàm laborum mutatione unice experiri ſolemus: labori enim uni vix abſoluto, alius, nullo temporis intervallo, ſuccedebat. Feſtis diebus, totum ferè ante prandium tempus in accipiendis confeſſionibus inſumere conſueverat; qui ſane labor ſextam ſemper horam, non raro ſeptimam attingebat. Meridie vero Sacram Scripturam pleno Auditorum conſeſſui explicare ſolitus, non ſine magno omnium plauſu; eo tamen, qui non ex vana eloquentia, ſed ex ſacro ſermocinandi genere exoriri ſolet. Cavebat enim ſibi religioſiſſimus homo quammaxime ab eo plauſu, quem, ut ſibi captent non pauci, Auditoribus ſuis vel magno detrimento eſſe non dubitant, vel nulli certe adiumento. Quippe eam maxime ob cauſam vitam tot Laboribus exercitam eo in loco tranſigere inſtituerat, ut ſuam ſcilicet non ſuæ, ſed aliorum utilitati, operam navaret. Hac etiam de cauſa, ut locum Auditoribus ſuis, qui ſupra modum augebantur quotidie, præberet ampliorem, Eccleſiam à fundamentis ad culmen erexit, quæ ſuis laboribus, etſi non ſatis aptum, at certè commodius Theatrum eſſet futurum, cujus idem ipſe Author fuit, & Architectus, ut brevi ſignificatam Epigraphe voluit pro Templi fronte inſcripta, quæ ſic habet:

Partheniæ Matri Vates Parthenius.

Neque ea in re impenſis vel magnis pepercit; ſed quid quid ſuis Libris, qui per omnes fere Europæ plagas vulgati venderentur, collegerat, volens conſumpſit, quatuor ſcilicet nummorum aureorum millia. Verùm qui dies feſtos tot laboribus tranſigebat, cæteros quoque dies non minoribus, licet diverſis laboribus tranſigere non renuebat. Sæpe enim diebus hiſce ab ijs vocabatur, qui apud eum pluries in hebdomada peccata ſua deponere aſſolebant: tum deinde

deinde tribus continenter horis quotidie Surrentini Seminarii Alumnos Theologiam, Philosophiam, atque Rethoricam docebat, ut jure merito non unum virum, sed plures in uno dixeris, usque adeo ea unus omnia probè exercebat, quæ vel multorum viribus imparia viderentur. Porrò neque his Parthenius laboribus contentus erat, & qui mentem tot studiis assiduè agitabat, corpus quoque multiplici exercitationum genere defatigare solitus erat: ut cum plurima vel ingenii, vel eloquentiæ argumenta tradidisset, virtutis etiam maximæ non vulgaria documenta præberet: suis enim ipse manibus Templi pavimentum verrere, coquinariam rem expedire, necnarò farinæ massam subigere consuevit. Quibus laboribus, non tàm suæ, quàm Sociorum suorum necessitati demississimus Pater consulebat. Ipse enim adeo cibi abstinens erat, ut vix octonas alimenti uncias singulis diebus absumeret: Cœlesti scilicet Sacræ contemplationis cibo affatim satur, quem in Templo, ante Aram Maximam, qua manè, qua vesperi, longum in tempus, producebat, adeo ut Illustrissimus Philippus Anastasius, Archiepiscopus Surrentinus à claritate doctrinæ morumque probitate spectatissimus, qui sæpè numero eum invisebat, non sine admiratione, testatus sit, à se nunquam alibi Parthenium inventum, nisi vel in Gymnasio docentem, vel in Templo precantem. Nec silentio prætermittendum, adeo religiosæ Paupertatis amantem fuisse, ut vestibus nunquam passus fuerit indui novis, sed iis amiciri quempiam alium antè, ac tum obsoletas ipse, detritasque sumebat. Interea loci, sibi, & Deo, nec non Animarum saluti suo in Surrentino procul a turba, vacanti Parthenio, novus, insignis accessit Mæcenas. Antonius Rambaldus is fuit, Collalti Comes Vir, qua generis amplitudine (e regali siquidem Longobardorum Regum sanguine prognatus fertur) qua morum probitate, qua doctrinæ, amæniorum præsertim literarum laude, spectatissimus in paucis. Venerant in hujus manus Parthenii Opera, tantaque in iis perlegendis (ut erat limati ingenii Vir) voluptate perfusus, ut affirmare non dubitaverit, sua in jis Tempe, suum Helicona, suas se dilicias invenire. Hinc crebras ad Parthenium ex ultima Germania literas, amoris significationibus, atque humanitatis sale aspersas dedit: apud eumque instituit, ut suo ære Opera omnia in unum collecta, iterum Typis commendarentur: quòd, ipso adhuc superstite Parthenio, executioni mandari cæptum. Nec humanissimo Mæcenati defuit Parthenius, ut aliquam amoris rependeret vicem, Naumachica properato stylo (tres enim ferè menses impendit) quæ Bellicis,

antè

antè editis ; deerant ; compoſuit ; eidemque amantiſſimo Principi conſecravit. Eidem Puteolanas Hyemes, quæ unæ deſiderabantur, ut annum totum eruditum abſolveret, dicare parabat; ſed fato præreptus, opus reliquit minutis in ſchedis, quas aliorum curâ, & induſtria digeri neceſſe fuit, ut Pars extrema non abſimilis prodiret. Mortuus eſt Maſſæ ad Delubrum, quæ proinde Lubrenſis cognominatur. Illuc, officii cauſa, ſe contulerat, ubi, dum inde reditum maturat, ex nec opinato apoplexia correptus, aliò, in Cœlum nempe abitum maturare coactus eſt : ibi enim duos ferme dies cum morte luctatus: Eccleſiæ Sacramentis, quibus potuit, ritè munitus, tandem Anno, reparatæ ſalutis 1715. die decima Septembris, ſub horam vigeſimam primam, ad Superos evolavit. Hoc ipſum improviſum illi non fuit ; cum enim aliquot ante menſibus plurimum e naribus ſanguinis emiſiſſet, adeo ſenſim viribus deſtitui cœpit, ut mortem quodammodo imminentem quotidiè expectaret. Nec ſine Numinis conſilio factum, ut Maſſæ potiſſimum ſupremum obiret diem, ibique tumularetur, cujus collegio vivus decem nummùm aureorum millia ex paternis bonis ſplendidè donaverat : Quamvis hoc idem dolendum maxime fuit Surrentinis, qui plurimi ad ferale nuncium Maſſam illico properarunt, ut communis Parentis funus communibus lachrymis proſequerentur, quod Parthenii corpus procul ab eo ſolo, quod ipſe decennio, tot ſudoribus excoluerat ; procul ab eo Sepulcro erat tumulandum, quod ille ſibi in Eccleſiâ, jampridem à ſe erectâ, conſtituerat, cui Epitaphium illnd ex lib, 4. Naumachiæ inſcribendum mandarat.

Propter Olympiacæ quæ Templum Virginis orta
Hic Surrentina magnæ Genitricis in Æde,
Quam rea conſtruxit Voti, Matrique ſacravit
Parthenii argutum cecinit Sacra Muſa, ſilet nunc.

Demum, quodnam fuerit de Parthenio, totâ Europâ, judicium illuſtrium Virorum ex his paucis teſtimoniis colige.

EX GALLIA
RENATVS RAPINVS

Atque ut dicam de elegantiſſimo carmine, quod ſentio, mihi viſus recognoſcere ſpiritus, & admirabile ingenium, quod ſpirat veſter ille Sannazarius, priſcæ ætatis Vatibus eximiis ſtyli ſui candore, et ingenuitate merito comparandus. Certè non ita nunc ſentio, quàm cum Italiam peragrarem, quæ jam abundè laudis habet vel in uno Parthenio, in cujus Opere ſingularis eſt nitor carminis cum Ex Epiſtola Renati Rapini.

Maroniana majeſtate conjunctus.

HONORATUS FABER.

Ex Epiſtola ad Jac. Calvæum.

Librum de re Nautica totum avidè luſtràvi ſummà cum animi voluptate: in eo quippe plures gemmas nactus ſum, quam quiſpiam in Erithræo, vel in ora Piſcariæ, ut vocant, inveniat! Dictio culta, latina, nec ſine delectu: metrum nitidum, locutio probè tornata, & ornata: deſcriptiones amœnæ, ſingularis litorum, portuum, ſinuum, fretorum, imò, & Syrtium, nec non & Acus Magneticæ peritia: omnia demum ex largà, & docta vena ubertim profluentia ſummoperè placuerunt. Noſter verò Rapinus, quàm lætis oculis, & quantà voluptate animi librum hunc exceperit, legerit, & relegerit, ac centies oſculatus ſit, haud dubiè ſignificat; nihilque tale à Ciſalpinis, hoc currente, & proxime lapſo ſæculo, in publicam lucem editum eſſe, jure cenſet, & opinioni meæ, quam ad eum rotundè ſcripſeram, omninò ſuffragatur. Vale.

LEONARDUS FRIZON.

Epiſt. ad Partheniam.

Tandem aliquando liber tuus advenit expectatiſſimus, & omnem vicit expectationem. Nihil me jamdiu ſic affecerat, quàm Piſcatoriorum, ac Nauticorum tuorum lectio. Equidem vix opus ullum à Georgicis in ſimili genere comparandum prodiit in lucem. Veterem Italiæ laudem revocaſti ab Actio; ne ultra progrediar, illo tuo, quem cæteris ego Italis carminum elegantia antepono. Gratulor itaque tibi èx animo, mi Parthenie: & miror tàm præclarum opus, tàm varium, tàm eruditum, tàm excultum, ſemeſtri te ſtudio, confectum. Amant Poetæ noſtri, quibus hunc librum oſtendi, expetuntque ſuaviſſimorum lectionem poematum: atque ex his unus, maximè ad poeſim natus, facile mecum ſenſit, pluris eſſe Neapolitanum hunc Vatem, quam Gallum illum, quem tu plurimi facis, ... Te vero mi Parthenie, tam ſplendidi, feliciſque Parnaſſi locus, & lumen, intueri videor, ex quo Piſcatoria, & Nautica tua accepi. Facultatem iſtam eleganter, expediteque ſcribendi, ex animo tibi gratulor, et vires tibi quotidie precor ad opus eximium abſolvendum, Halieutica nimirum, quæ quidem meliori, quàm Oppianus fortunà perficies, novamque præconii materiam præbebis. Vale.

Rapinum intelligit, quem, ut cultiſſimum Poetam non ſemel laudat Partheniꝰ.

Ejuſdem ad Eundem.

Nunc ut de Halieuticis tuis dicam, gratulor tibi, mi Parthenie, carmina auro, quod Oppiano fuit pro ſuis quondam Halieuticis annumeratum, pretioſiora. Enim vero theſaurum eruditionis profudiſti, eſſeciſtique, ut deinceps Halieutica non deſiderentur Ovidiana.

cui

(æmulus ille)
.....cui credere posset
Carmina cæruleos composuisse Deos.

Quæ quidem tanto hìc plausu accepta sunt, quanto olim Piscatoria, & Nautica, ut jam in ore omnium, animoque versetis. Vale. *IDEM.*

Ex Epistola ad Iac. Calu Burdigalà Pictavium data.

Quoad Præceptoris tui Parthenii, quo tantum merito gloriaris, opera attinet, jam illi significaveram. Nauticorum, opus post Georgica collocandum duxi, quibus Halieutica conjungenda, in quibus mira eruditio, & carminis elegantia. Analecta Collegii Neapolitani ab ipso Parthenio huc missa legi. Verum hujus Piscatoria, Nautica, & Halieutica adamo, auream in Italiam Poeseos ætatem revocantia. Vale.

EX ERUDITORUM ACTIS
Parisiis Gallicè editis 1686.

Villebrordus, Snellius, Crescentius, Morisorus, Dudlæus, Ricciolus, & Fournerius abundè de navigatione scripserunt: nullus tamen hucusque hanc artem nobis carmine tradidit. Ipsa fortasse rei difficultas cæteros hactenus ab opere destinuit. Hæc vero apud Parthenium novæ rei tractandæ rationi cessit, qui opus isthuc arbitratus est (ait ipse) si minus elegantia carminis, novitate tamen gratum eruditis futurum. Interim affirmare licebit, absque eo, quod viri modestiam lædamus, hujusmodi versus mirifice illius ingenium commendare: quippe qui puri, naturales, facilesque sint: & eo magis probandi, quo difficiles sanè res quam felicissimè explicent; quas quidem, non sine magno labore, vulgari, quis, patrioque sermone exponeret, Hujusmodi sunt delectus, cæsioque arborum pro navium structura; quicquid ad ventos pertinet; methodus itineris exactè metiendi; ratio longitudinis, ac latitudinis investigandæ; nec non & vertiginis Magneticæ Acus; sexcentæque aliæ descriptiones necessariæ. Quapropter apud nos tantà voluptate legitur, quantà & Eclogæ, quas varii argumenti, ad hujus operis exordium apposuit.

MICHAL LE TELLIER.

Excultæ Nationis agmen claudat Pater Michael le Tellier, quem honoris gratia nomino. Is in Generalibus Comitiis, Romæ habitis anno 1706. interrogatus, quid ipse ingenuè de Parthenio nostro sentiret? Pauciſſimis verbis plurimum sententiæ complexus fuit: Vir, reponens, cui nihil deest, nisi antiquitas.

EX BELGIO.

Missis aliis, instar omnium sit Jacobus Sebellebroot, qui epistola ad Josephum de Palma Gandavo Neapolim data,

Digitized by Google

hæc ſcribit. Cum primùm Nicolaum Parthenium Giannettaſium conveneris, hæc illi, meo nomine renuncies: me ſcilicet opera ſua Poëtica (quæ jamdiù in meas manus pervenere, quànto gaudio haud facile eſt judicare) ſumma voluptate legiſſe, & identidem lectitare, legique hic paſſim, atque inter eruditos humaniorum literarum, quorum hic (abſit verbo invidia) plurimi ſunt, aſſidue verſari, ac ſummis laudibus commendari, interque antiquos aureæ ætatis vates meritò accenſeri. Sanè plus ille præſtitit hac ætate, quàm totum Belgium noſtrum. Magni ſemper duxi, nunc maximi duco, me per menſem integrum Neapoli verſatum, & Virgilii Sepulcrum ad Cryptam Puteolanam, & Sannazarii ad Mergellinam non ſemel vidiſſe. Ex his magnorum Poetarum cineribus eximios illos ſpiritus hauſit Parthenius, per quos parem illis olim gloriam jurè, meritoque ſortiretur. Vale.

EX GERMANIA.

Ex Epiſt. Vienna ad P. Sigiſmundum Koskiam Neapolim data.

Egidius Domig, inter literatos vel in paucis rarus, poſt effuſas de Parthenio laudes, epiſtolam ſanè auream, hac tandem gemmà conſignat: Vir, quem Ævo noſtro præcipuum rei literariæ Decus, ac lumen eſſe voluerunt benigni ſuperi, ſapientiſſimis viris dicendus videretur.

EX ACTIS LIPSIÆ

Editis anno 1688.

Si judicii quid ferre de Poeta hoc licet, ſanè is, uti ejuſdem cum Marone eſt nominis (nam & Maro ob caſtimoniam dictionis, Parthenius fuit appellatus) & ejuſdem cum Sannazario patriæ, ità utrumque ſi non exæquat ex aſſe, certè quàm feliciſſimè imitatur. Omnia enim terſa, & amæna hujus ſunt Piſcatoriis, æquè ac in illorum Eclogis, Sed de Nauticis ejuſdem Parthenii quid dicemus? ſunt in illis quoque omnia eximia, vel Marone, ac Sannazario non indigna.

EX ITALIA

Thomæ Ceva ex Epiſtola Riccardi Noris, Angli Mediolano Neapolim data.

Apponam hic judicium Thomæ Ceva, quod quidem magnifacies, cum vir ſit candidi ſincerique animi, acris ingenii, & inter poetas vel in paucis rarus. Hic Piſcatoria, & Nautica aviditſimè legit, atque opus rari ingenii, excultique eſſe pronunciavit: neque hoc ſæculo ſimile quid iis in lucem editum, quibus nihil eorum deſit, quæ abſolutiſſimi, excultiſſimique poetæ ſint. Atque ob id ſe ſuperis gratias agere, quod tantum Italiæ detulerint, ut jam Itali Gallos vel humanioribus literis ſuperent. Vale.

MEL-

Digitized by Google

MELCHIOR ABRIGA:

A Poëſis laude ſpectatiſſimus.

Habet, inquit, noſtra ætas in Parthenio, quod ei futuræ invideant, Quod ſi in Sarbievio Horatium, in Hoſchio Ovidium, in Pontano Statium ſuperiores ætates ſunt admiratæ: noſtra in Parthenio Virgilium è Paſtore in Piſcatorem, ex Agricola in Nautam nobili quadam metamorphoſi, vel potius metempſycoſi converſum venerabitur.

SCIPIO MAPHÆUS

Veronenſis.

Is, qua literis, qua nobilita te inſignis, inſignem amoris notis Epiſtolam Parthenio ſcripſit: in ea, poſt multa, quæ ad tanti viri laudem cumulatiſſimè faciunt, is, inquit, maximè hujus Epiſtolæ finis eſt, ut probe ſcias, nullum ubique terrarum hominem inveniri magis tibi deditum, & quem ſumma admiratio tui magis unquam inceſſerit. Ut vero in poſterum beneficio etiam tuo tenear, atque devinciar, rogo te atque etiam rogo. Librorum omnium, cùm quos in publicam lucem protuliſti, tum quos fortaſſe adhuc apud te ſervas, atque occulis, notitiam quandam, atque catalogum cupio quam maximè, ne mihi in poſterum aliquis deſit; vel imprimendorum cognitio me fugiat. Indicabo autem, quos penes me, magni theſauri loco jam habeam. Piſcatoria nimirum, & Nautica, edita anno 1686. Halieutica 1689. & Ver Herculanum 1704. Bellicam editam credo, ſed videre non dum licuit: de altero Libello, ſoluta oratione compacto, rumor percrebuit, ſed Titulum nemo indicare potuit. Te igitur, Italiæ noſtræ decus, atque ornamentum enixè precor, ut deſiderium iſtud obſequii mei apud te argumento ſit, utque iſtorum, & ſi qui alii ſunt: ut ſuſpicor, titulum integrum, & annum, locumque editionis deſcribere ne pigeat: incredibili enim voluptate, quæ huc pervenere lego, ac perlego, quibus novem Muſas mella poëtica crediderim inſtillaſſe. Illis profecto precinunt, Virg. Eclog. 8.

. . . . *Quorum ſtupefactæ carmine lynces.*
Et mutata ſuos requierunt flumina curſus.

Reliquum eſt, ut valere te in longum Ævum, votis omnibus adprecer. Latinas enim Muſas Italo Cœlo aſſerere, & fugientes ſiſtere, Tu ſolus potes.

THOMAS RAVASINUS.

Ravaſinus, noſtri temporis inſignis Poëta, qui Parte tertia Operum poëticarum lib. 4. de miraculis aquarum, hoc de Parthenio teſtimonium elegantiſſime profert.

Quæ quoniam hæroo deſcripſit ſingula Vates
Carmine, Parthenius Vates, quo ſplendida gaudet

Par-

Digitized by Google

Parthenope, doctæque audet concurrere Manto;
Sepoſui curam hanc ultro, Cantuque peperci,
Scilicet evectus Genii Cæleſtibus auris
Perſidis ille oras adiit, litusque repoſtum
Siccorum Garamantum, Atlanteoſq; receſſus;
Unde modis retulit miris ignota Natantum
Ingenia, inſolitos mores, variaſq; figuras.
Quoſq; dolos vafer, & ſolertes repperit artes
Piſcator. Stupuit formoſus ab amne canentem
Sebethus, ſtupuere ſuis Sirenes in undis.
Et miſeris Stellas nautis monſtravit amicas
Securaſque vias; necnon Zephyro obvia tendens
Carbaſa per Syrtes, perq; Acroceraunia tutum
Stravit iter. Poſt, belli acres tolerare labores
Auſoniam docuit Pubem, & ſpe laudis honeſtæ
Dura pati, patriiſque repellere finibus hoſtes.
Nunc parta inſigni fama, & ſuper æthera notus
Facta atauùm, longa annorum caligine merſa
Æternum das habere diem, laudeſque potentis
Parthenopes, veterumque Patrum monumenta recenſet.
Fortunas pariter Regum bellique, domique
Eventus Sæclis properat mandare futuris.
Salve Romuleæ lux o clariſſima linguæ
Carminis Eloquiique potens: Tu ſæcula primus
Inſtauras noſtris in finibus aurea, docta
Te ſtudia Altorem, ſervatoremque ſalutant,
Et tibi diverſis applaudit partibus Orbis.
Interea dum Tu ſolida virtute paratum
Curris iter, pictoque præit te gloria Curru
Sat mihi ſit, te ſumma Poli convexa petentem
Aſpicere, attonitoque ſequi trans nubila viſu.

NICOLAUS DE ANGELIS SOC. JESU

Tantis Viris liceat poſtremo hoc loco præclaræ indolis Iuvenem inſerere, qui cum de ſe maximam expectationem concitaſſet, immatura morte præreptus ſui deſiderium nobis acerbiſſimum reliquit. Pauculos hos verſus ad noſtrum Parthenium, ut ſuam ei obſervantiam teſtificaretur, miſit; ex eis, quos hic ſubnectam veluti è floribus; quanta Poeſim meſſis fefellerit, facilè deprehendet candidus Lector.

MUSA-

Digitized by Google

MUSARUM
De Parthenii Bellicis ſuaviludia
CALLIOPE EPIGR. I.

Quæ nova Pierii reboant de gurgite Fontis
Claſtica? Bellonæ regna inter inhoſpita Vates
Dulcè canens palmas jam non ſua munera carpit.
Res miranda: ſuis ni jam miracula rebus
Demeret aſſuetus vatis labor, ille repoſtas
Naturæ perviſit opes, ille æthera menti
Suppoſuit: tantis unus ſat clarior auſis.
Quod ſi Pierii luce hac umbrantur alumni,
Ne mirere: ſuo conduntur ſydera Phœbo.

CLIO II.

Erudit ad ſævas vel carmen amabile pugnas;
Fataque Campanus non ſua cantat olor.
Quid non Parthenio voluit tua muſa licere?
Mars Phœbi, Phœbus Martis honeſtat opes:
Scilicet ingenio qui non extollitur uno
Jactitat obſequiis numina bina ſuis.
Quique omnem meritis famam devicerat orbis
Par erat ut victo vinceret orbe duces.
Java non humanæ quærat faſtigia laudis:
Numina quem flexo poplite magna tremunt.

ERATO III.

Hoc pretium muſæ eſt, hoc dicere bella diſertè:
Verſibus invidiam promeruiſſe ſuis.
Promereas & bella: tuæ chelys æmula vatum
Obſtrepat, o quanti muneris inſtar erit.

THALIA IV.

Vatum gloria, Partheni priorum
Facundiſſime cygne Gratiarum,
Quid me belligero fugas tumultu?
Cantus quid prohibes amæniores?
Et nunc triſtibus hinc & inde pugnis
Cogis ſuavè canens rudem juventam,
Et nomen meruiſſe, gloriamque.
Sed nec belligero fugas tumultu,
Cantus nec prohibes amæniores.
Tam Martis benè temperas jocoſo
Cantu murmura; tam decenter ardes.
Viciſti, fateor, levem Thaliam,
Nec victam puto me: ſacrum Poetam
Pulchrum eſt vincere. pulchriuſque vinci.

TERPSYCORE V.

Invida Parthenius docuit dum bella, remotus
Caſtaliis Hæmus viſus odeſſe jugis.

Digitized by Google

Extimuere Deæ; capit hic, dixere vicissim;
Propugnare sacros, an populare specus?
Fallimur: aut nisu, dixi, petit astra gygantum;
Aut rapsura suum sæcula terret opus.

MELPOMENE VI.

Immane quantum videt! & vano tumens
Bellona fastu suscitat graves dolos,
Gravesque flammas; mente non sanâ ferox
Se tentat, & se vincit, hortantur sua
Illam facinora, totus in fronte est furor
Cæloque summa jactat, ac terris mala
Io fremens triumphe! Parthenius viam
Sternit, vel hostis ipsa me virtus juvat;
Immane quantum fallitur! bello necem
Bellum hoc minatur, surget hoc bello quies.

EUTERPE VII.

O' quem te referam phœbæi prima senatus
Gloria, vox nomen non capit ulla tuum.
Te ne ego Mantoum? canit hic tantùm arma, docendo
Tu canis, hoc major: cuncta Maronis habes.
Orphea? at hic molli traxit juga carmine, cantu
Tu vel belligero saxea corda trahis.
Quid supereſt? tua te dicant bella horrida Martem
Te tua ni Pallas dixerit esse Jovem.

POLYHYMNIA VIII.

Ille, quis hoc credat? nuper qui retibus orbem
Cæperat, en ferro vincere rursus amat.
Quam bene! vincturus meliori pectora nexu,
Providus hoc ferro vincla priora secat.

URANIE IX.

Quis hic sonus? quæ jussa? quod Divum melos,
Pimplæque cantus? totus an Phœbo calet
Pacatus orbis? fallor: invisæ fremunt
Mavortis artes, ipsa nunc ferri jocos
Invita quamvis laudo, nunc bellum placet;
Placent tumultus, displicet tantum mihi
Non posse verbis vincere altisonis opus.
Huc plectra Phœbe: Phœbe dic laudes vivo
Sed te decentes; stulta quid Phœbum moror?
Jam vatis horrens arma non ullis datam
Tentare Phœbo regiam liquit novo
Gratare virtus: invia cares via.

SCRIPTOR.

Hactenus Aonides: sileant sua vota volentes
Ore sequi: plectrum par tibi fama tuum est;

Digitized by Google

AUCTORIS
IN
SABERIDEM SUAM
ELEGIA.

NOn mihi te Batavis mens eſt committere prælis,
Nec gemere Adriacis, Menapiiſque feram.
Non patiar mundi varias penetrare ſub oras,
Atque per ignotas æquoris ire vias.
Conſilio meliore uſus, mecum ipſe jacebis
Abditus in tenebris chare libelle meis;
Editus in lucem, riſumque movebis, & iram;
Omnibus, inculto carmine ludus eris:
Excipies torvo mordaces ore cachinnos,
Nec, qui te verbo protegat, ullus erit:
Blattarum ſurdo ſemeſus dente latebis,
Nullaque erit, quæ te cedrina capſa teget
Si doleas, fatumque animo indigneris iniquo,
Quod jaceas umbris abditus eſca ſitû
Haud merito quereris; nam tu felicior ipſo
Non potes, & Domino non licet eſſe tuo.
Anguſta anguſtus cui vix datur angulus æde
Vix ſpectare poli ſydera poſſe datur:
Et licet aſtrigeros obſervet ſedulus orbes,
Attamen obſcuro delitet ille loco;
Si quando medio radios emittit olympo
Delius, & rutilas contegit umbra faces:
Prædicit tempus, quo luna obnoxia Fratri,
Conteget æthereas invida lucis opes;
Ipſe ſed e tenebris quando nam emergat iniquis,
Non eſt præſagâ noſcere mente potis.
Stellarum reditus, rutilos dum ſpectat & ortus,
Luſtra ſub occaſum non rediturus agit;
Edocet aſcenſus celſum Titanis ad axem,
Et ſignat certas in ſtatione vices;
Ut moveat flexos Capricorni à ſydere curſus,
Ut citet ad Cancri ſigna rubentis equos:
Solſtitii medio, Solioque micante pyropis
Fulgeat, & rapidas vibret ab axe rotas.

Digitized by Google

Ignotas tamen ipſe ſuis jacet abditus umbris,
Nec via, qua ſuperis ſe inſerat, ulla patet.
Proſpera ſublimes alios felicibus alis
Fortuna immeritos tollit ad aſtra viros;
At meritos vexat, mediis immergit in undis
Invida virtuti, dum citat orbe rotas:
Optima laus aliis, aliiſque effulget honoris
Splendor, & auricomum purpurat inde decus:
Hanc Superis quæſitus honos, & gloria miſcet,
Illum nulla beat gloria, nullus honos.
Non tamen incuſat ſortem, non invidus ille eſt.
Æquabit cunctos, quæ movet urna vices.
Cum tenebris lateam, tenebris latitabis & ipſe
Auctoriſque pari ſorte jacebis opus.
Cum verò immites mea ſcindant ſtamina Parcæ,
Ardebiſque meo chare libelle rogo;
Obſcura mecum tunc morte premèris, & una
Amborum cineres flebilis urna teget.

AUCTORIS
IN SABERIDEM SUAM
HEXASTICON.

NOn ſecus ac patiens deformia rupe libyſtis
Urſa ſub exeſa pignora chara tulit.
Nulla illis oris ſpecies, non lumina fronte;
Effigies toto corpore nulla micat.
Lambendo mox illa manus componit, & ora;
Quod natura negat, ſuggerit artis opus.
Sic, ego quæ pepigi, ſunt carmina, nulla refulget
Gratia, non illis gutta leporis ineſt.
Sed ſi Fata finent mea, ſi Fortuna benignè
Annuat, artifici ſunt polienda manu.
Tu graciles Lector non dedignabere verſus:
Eſt hoc naturæ, mox erit artis opus:

NI-

Digitized by Google

NICOLAI PARTHENII GIANNETTASII. SABERIDOS LIBER I.

Argumentum.

Divorum auſpiciis ibat Saberius heros
Finibus Auroræ prima ad cunabula lucis
Chriſtiadum Leges, & Romula jura daturus
Dite triumphato, ſtygioque Acheronte ſubacto:
Id metuens Pluto Furias emittit ab Orco:
Immergique jubet tumidis Heroa ſub undis.
Ille dolum, rabiemque Sororum eludit, & atras
Expellit Cœlo nubes, Solemque reducit.
Antra petunt Furiæ; Genius feſtinat Eois
Sedibus, & partæ recinit præconia palmæ.

Victrices acies, magniſque operoſa triumphis
Arma cano, & clarum partis Heroa trophæis:
Et Gangem Latiis, & adactum legibus Indum,
Et Reges Chryſæ domitos; iterumque receptis
Seribus, atque Ophyre, totoque Oriente ſubacto,
Fortunata, novos referam tibi, Roma, triumphos.
Magnum opus aggredior: perterrita mole laborum
Mens nutat, quis bella novis agitata ſub oris,
Atque armis certata novis? quis grandia tanti
Facta Viri, & palmas fuſo ex Acheronte relatas,
Victriceſque poteſt acies æquare canendo?

Digitized by Google

Magnanimum tu Musa, Ducem, tuque inclyta facta,
Tuque acies, actosque animis in funera Manes,
Atque triumphatas utroque ab litore gentes,
Et plausus memora, & geminæ decora inclyta palmæ.
Primus ad Eoas, qui vasta per æquora terras
Tot Lojolæas acies victriciaque arma
Invexit, Stygio dicturus bella tyranno.
Dic quoque quantum ille, & terris jactatus, & undis
Vi Stygis, & sævi memorem Plutonis ob iram.
Et quanta est bello passus, dum litore in Indo
Romulidum ritus, & sacras poneret aras.
Inferretque Deum Thetidos gemmantis in oras?
Et quos extorres astris, cœloque paterno
Avertit longè, nigrisque involuit Avernis
Dira superstitio Eoos lustralibus undis
Elueret populos, superoque asciret Olympo.
At vos concordi summorum numine Divùm
Insignes Animæ Loyolæ ex agmine lectæ;
Seu vos æstiferis exurit barbara terris
Africa; seu vobis Indus, seu gemmea Gango
Plaudit; dum sacris populi lustrantur in undis:
Sive iterum reduces amplectitur ultima (1) Chryse,
Et sua nunc vobis referant capitolia Seres;
Aut vastis America plagis, aut ignea Tellus,
Et saxis vada dura tenent Megelanica cæcis,
Hùc gressus celeres, animosque advertite vestros:
Nam licet à curis animum revocare parumper.
Ergo agite Illustres Animæ, aspirate canenti,
Dum vestrum Campana Ducem, dumque inclyta facta
Musa refert, resonatque modis pia bella canoris.
Non labor incassùm cadet arduus: omnia Musæ
Læta dabunt, tenuis surget non gloria: namque hìc
Discere virtutem, verumque audire laborem,
Et tanti monumenta viri aspectare potestis:
Jamque adeo expediam vobis ab origine carmen.
Est Asiâ in magnâ gelidas quà respicit Arctos
Mons nivibus tectus canis, rigidusque pruinis
(2) Caucasus, aërio qui se super æthera dorso
Invehit, & supero despectat vertice nubes.
Creditur hìc magni vindex Jovis armiger Ales
Raptori facis æthereæ præcordia Regi
Exedere, & meritas pro furto sumere pœnas,
Hic longo geminos clivo devexus ad Indos,
Quosque secat Mogores in cornua finditur alto
Bina jugo, totoque Asiæ protenditur orbe:

(1) Japon Insula, quâ amplitudine, quâ Accolarum sævitiâ celebris.

(2) Caucasus Mons altitudine insignis, & fabulis notus, cujus Juga à Caspio Mari per 200. milliaria porriguntur ad Pontum Euxinum, & ferè attingunt Tauri Montis Juga, quæ in Asiâ minori surgunt, ac progrediuntur usque in Indiam, oram Persidem pervadentia; Asiamque in Septemtrionalem & meridionalem dissinguunt.

Quæ

Quà lævo excurrit dorso, atque in (1) Gaspia tandem
Claustra peregrinis humilis demittitur undis
Sedis hiperboreæ populos, (2) Oxumque bibentes
Findit ab Hircanis : quà terga obvertit Eoo,
Claudit inaccessos adverso à limine Seres:
Inde supercilio, & sublimi vertice montis
Fontibus ex binis, partes volvuntur ad imas
Hinc, illinc, gemini variis anfractibus amnes
Planitiem in magnam; camposque, & florea circùm
Irriguis crispatus aquis fluit amnis uterque:
Alter ad occasum qui spectat, dicitur Indus
Nomine : Cœli alter jam clarus origine Ganges.
Dives uterque auro, rutilis flavescit arenis.
Purpurat alter aquis Erithræis æmulus undis:
Alter Hydaspæis subtermicat, alter Eois,
In Mare devoluit dum munera divitis urnæ.
Hos circa fluvios late porrecta sub axe
Caucaseis concluſa jugis, & Perside Sylva
Vertice pinifero Bepyrri, & cincta rubentis
Fluctibus Oceani regio jacet, (3) India fertur:
Altera cis Gangem, trans altera dicitur amnem;
Et geminæ gemini fecerunt nomina rivi.
Tellus dives opum, populisque, armisque superba,
Gemmiferis ditata vadis, fulvoque metallo,
Argentoque potens puro, niveoque Elephanto.
Oppida quam mille exornant, quam mille coronant
Aërei montes, pretioso adamante rigentes.
Contra occulta mari respondet inhospita tellus
Psittacidùm, latèque alium se fundit in axem,
Quem Styx atra videt; gelidis ubi tecta pruinis
Arva rigent, nulloque polus micat aureus igne.
Delitet Ursa mari; verùm (4) crux candida Cœlo
Irradiat, multoque nitet splendore (5) Canopus.
Primus ad Eoos, (sic tradidit alta vetustas)
Odrysios ultrà fines, Rhodopesque nivale
Culmen, & Ostriferi fauces evectus Abydi,
Agmine delecto penetravit Thyrsiger Indos
Liber, & armato devicit milite regna
Auroræ, & primo ardentes Hiperione terras;
Ille triumphali redimitus tempora Lauro,
Et clarâ ornatus trabeâ, vectusque Elephanto
Ducitur ante alios Capitolia ad inclyta (6) Nysæ:
Jusserat hanc Liber pario de marmore poni,
Et circùm aërias consurgere mœnia turres.
Hìc caput imperii posuit, sedemque locavit:

(1) Caspia, Montes sunt in Asiâ apud Armeniam, & Hyrcaniam, & Parthiam, ubi etiam sunt portæ Caspiæ.

(2) Fluvius Maximus Sogdianæ: variè hodiè ingitatur,

(3) Elegans utriusque Indiæ intra, & extra Gangem descriptio.

(4) Celeberrima Constellatio in parte Australi, vulgò *Crociere*.

(5) Stella primæ Magnitudinis in Navi, seu Argo.

(6) Ditissima Civitas in India à Baccho condita,

Hìc

Hìc legẽs; & jura dedit; commercia primus
Inſtituit; ferrique alios trans æquora merces
In populos; rerumque vices, & fœdera ſanxit.
Primus cœleſtes expreſſit ab ubere rores,
Dum jubet ardentes prælis deflere racemos,
Dulcique invento lymphas mutavit Jăcco.
Hinc vani cultus aris, rituſque Deorum,
Græcia quos mendax, quos auxit & ipſa vetuſtas:
Quævæ ſibi gentes finxerunt Numina mille:
Dira ſuperſtitio nigris erupit ab umbris,
Ac terras jaculata faces, caligine texit
Indos, ac totum tenebris involuit Eoum:
Donec Idumæis Thomas ſucceſſit ab oris,
Qui monſtrum horrendum cæcis detruſit Avernis:
Et ſacros Triadis cultus, & ſæcla novavit,
Regnaque tarpejæ ſubjecit eoa Tiaræ.
Infremuit Pluto caræ dum rapta ſorori
Regna videt, memorique fovens ſub pectore vulnus
Hùc acies, hùc arma tulit, patriâque ſedentem
Exturbans de ſede Fidem, ſua regna ſorori
Reſtituit victor; ſolioque locavit avito:
Ipſe tamen ſibi centum aras, ac templa coegit
Ponere (1) Gangarides, Nabathæaque thura quotannis
Tartareis adolere focis, & dona Sabæa,
Lanigeroſque greges, pingueſque litare bidentes
Imperii fines trans aurea regna Malacæ,
Tranſque, & (2) Javam, & divitibus baccata lapillis
Litora (3) Taprobanes, obſtrictaque mœnia Serum,
Ac penitus toto ſecluſos orbe Zipangros (4)
Protulerat, nullo bellum indicente Tyranno
Oppreſſos dira populos ditione, tenebat.
At Loyoleo duci de nomine gentem
Audierat, ſacras Erebo quæ verteret aras;
Hinc clarum pietate Ducem, belloque potentem
Venturum Stygis excidio: ſic poſcere Divos.
Id metuens Pluto, belli non immemor olim
Quod Navarreâ Dux Lojolæus ab arce
Geſſerat, unde novas hauſit de vulnere vires,
Non dum etiam irarum rapidos compreſſerat ignes;
Nec dolor ex animo exciderat: manet abditus altâ
Mente pudor, palmæque vigent monumenta relatæ.
His ſuper accenſus Loyolidas ipſe Cohortes
Arcebat longè pelago, & Gangetide terrâ:
Quin fortunatam electis heroibus Argo
Herculeos ultra fines, trans ultima regna

Nigran-

[1] Gangaridas hìc Aſiæ Populi inter indos, de quibus meminit Q. Curt.

[2] Inſula perampla in Mari Indico, aromatum ferax & novem in Regna diviſa.

(3) Inſula celeberrima in ſinu Bengalæ.

(4) Tartari Yupi.

Digitized by Google

Nigrantum Ethyopum, & gemmatas Perſidis oras
Eoaſque urbes, & Memnonis arva petentem
Appetiit furiis ventorum, atque igne triſulco:
Turbavit fundo Nereum; cœlum omne coegit
In nubes; gelidas Thracum de rupe procellas,
Accivitque nigros Naſamonum è finibus Euros.
Scilicet objiciat prædam crudelibus undis;
Victor Atlanteo ſi poſſet mergere gentem
Inviſam pelago, clademque avertere regno.
Tantæ molis erat miſeras ſuper æthera gentes
Evehere, & ſupera reduces in ſede locare.
Jamque e conſpectu Heſperiæ telluris in altum
Carbaſa pandebant alacres Zephyroque ſecundo:
Lyſiades vexilla dabant undantia flammis,
Et crux purpureo fulgebat candida ſigno.
Aufugiunt puppes portu, pelagoque volantes
Cærula falſa ſecant, retròque remurmurat unda
Icta freti: liquido caneſcunt marmora ſulco.
Cum nullæ apparent terræ, non amplius ulli
Cernitur Heſperia, aut Olios ſubtermicat Hippon: (1)
Sed magno cœli ſpatio, pelagique remenſo
Barbara lethiferis quæ pullulat Africa monſtris
Surgit; & æſtiferis ſenſim ſe pandit arenis.
Raditur hinc (2) Lixus fluvii cognomine dictus:
Antæo regnata domus contermina Lixo:
Annoſique lares, cœloque (3) Erythria benigno.
Hinc humiles longè dubia ſub luce per æquor
Jam rareſcebant montes, procul arduus Atlas
Sydereum ſummo ſuſtentat vertice mundum.
(4) Canariæ ſedes, fortunatæque pateſcunt
Inſulæ oceano in magno, quas luſtrat Apollo,
Dum caput immergit pelago defeſſus Ibero.
Ultimus hic limes, veteriſque hìc terminus olim
Orbis erat: reſonant paſſim per florea circùm
Culta peregrinæ volucres: concentibus æther
Subſultat, latèque fugit vox miſſa per auras;
Littora prætereunt ſaxoſæ undantia Pœnes,
Tutæique ſinus, & navifragus (5) Ruſibides.
Hinc formidandi vertex aperitur Atlantis,
Nubibus obtectus nigris, atque igne triſulco
Collucens; longèque ſtrepunt reſonantia ſaxa,
Naufragio infames ſcopuli, atque innabilis ora
Oceano emergunt: diris cava ſaxa procellis
Fæta tument: fractique fragor fremit æquore fluctus:
Vorticibus Nereus rapidis furit: Æſtus aquarum

(1) Olliſſippo, amplif. ſima luſitaniæ Metropolis.

[2] Fluvius Mauritaniæ Tingitanæ ad Lixam Urbem [Larache] in Oceanum Atlanticum labens.

[3] Inſula Luſitaniæ (Barlinga) in qua Geryonem regnaſſe nonnulli volunt.

(4) Inſulæ notiſſimæ.

[5] Ruſibus, oppidum, & Portus Mauritaniæ Tingitanæ ad Coſæ oſtium, Ejus ora maritima navigantibus periculoſa.

Fer-

Fervet; & albentes ſuſtollit ad æthera ſpumas:
(1) Arſinaris vulgò Capo verde. Hoc caput (1) Heſperion Libyes, quo barbara tellus
Rupis Atlantææ procurrit in æquora dorſo;
Et fortunatas deſpectat vertice ſylvas.
Bis ſunt conati Rethæis puppibus olim
Liſyades ſuperare duces: ſed terga volentes
(2) Capo Non. Bis pavidi flexere retro: cognomine montem,
(2) Non, dixiſſe ferunt, quem longo gurgite ab alto
Ni fugiant puppes, certum eſt dare lintea retro,
Vel mergi miſeros diro ludibria ponto.
Sic ignota diu latuit victricibus armis
India dives opum: longo poſt tempore tandem
Verruni Ducis auſpicio, & felicibus orſis
Magnanimi petiere viri. Via nulla volenti
Invia Virtuti: præter vada fervida vexit
Idæas animoſa virùm ſolertia puppes;
Fregit & indomiti victrix lunaria Nerei
Incrementa, citis proſcindens claſſibus æquor.
Interea relegens vada cæca rapacibus undis
Ipſe gubernaclum, dextrà moderante carinam,
Ad dextras Palinurus aquas deflectit, & iras
Eludit Nerei ſpumantis; & arte magiſtra
Autolaan relegit niveam, viridemque (3) Maderam:
(3) Inſula in Mari Atlantico, Madera. Et quam marmoreis templis Saturnia Juno
Excoluit, trepidis reddens oracula nautis,
Traſmittit velis (4) Eraon: præruptaque ſaxa
Aproſiti ſuperat, ſinuoſaque littora radit
(4) Una ex Canariis, Inſulis Lazarotto. Caſperiæ, Zephyro nunquam laxante rudentes.
Jam novies Titan Phebæa lampade terras
Viſerat eoas: cum primùm ex æquore longè
Aſſurgunt nemora Heſperidum, lateque coruſcant
Aurati colles, ramiſque intermicat aurum.
Purpureis pendent ramis (mirabile viſu)
Aurea mala ſuis; ardorem textilis auri
Umbra refert: rutilum cœlo caput explicat arbos
Ponderibus lætata ſuis: hæc littora quondam,
Has olim Sylvas coluit Draco; pomaque ſervans
Hic tulit excubias; quando procul oſtia metæ
Herculeæ vectus Tirinthius appulit Heros:
Qui poſtquàm monſtrum jaculo tranfixit acuto
Aurea mala tulit; prædaque potitus opima
Ægæi victor patrias remeavit ad undas.
Verum ubi fulgentes gemmato lumine lucos,
Et nitido circùm colles adamante rigentes
Proſpiciunt læti nautæ, & propiora pateſcunt

Litto-

Digitized by Google

Littora festivas concordi murmure voces
Extollunt festo respondant marmora plausu:
Auroram veluti prima sub luce salutant
Aeriæ volucres; & cantibus æthera mulcent:
Haud mora, solliciti remis muta æquora verrunt;
Vela legunt alii, terrasque accersere proris
Festinant; vicina vocant dum littora Classem.
Hic Pluto volvens imo sub corde dolorem
Multa fremit: rapidoque fremens vomit ore venenum:
Saucius ut quadrupes hùc turbida vertit, & illùc
Lumina mox pectus vesano percitus æstro,
Talia dicta dedit. Me ne hinc desistere victum,
Nec posse Auroræ detrudere finibus hostem?
An ne vetor Superis? Non hæc mea dextera quondam
Empyreum, a primâ surgentis origine mundi
Evertit? superas potuit turbare phalanges
Aligertim: & summo fera bella movere Tonanti:
Ille meas sensit vires, dextramque potentem.
Si mihi tantus honor: si tanta potentia dextræ;
Tantaque vis animo, Superùm si nulla resistunt
Fata mihi: patiar Stygiis nova bella moventem
Saberiden? Patiar socios mea regna petentes?
Regna petent? Quisnam Numen Plutonis adoret
Præterea? Aut meritos aris adolebit odores?
Hæc dedit: atque acuens animo furit improbus iras;
Qualis arenoso libyæ fremit æquore tigris
Aspera, quam Caramas hirsuti pelle cameli,
Ac lycia armatus pharetrâ, maurisque sagittis
Horridus in pectus jaculatus spicula nervo
Confodit: calido exundans furit illa cruore:
Excutiensque; cupit læthale evellere ferrum;
Mox hostem insectata suum fremit ore cruento;
Haud secus immanis gliscit violentia Ditis
Hinc oculos circum torquens per inane Barathrum;
Iucrepat Eumenides, versantes pectore curas
Pallentesque Erebi manes, Scyllasque biformes
Et populum immanem, quem Styx liventibus undis
Cingit: & in gyrum novies revoluta coercet.
Haud mora, præcipites, rupto ceu carcere venti,
Qua via prima ruunt, vel fractis nubibus ignes
Dissiliunt, pavido replentes astra tumultu
Eumenides properant: nigroque Acheronte relicto,
Accurrunt; oculisque minas, atque ore favillas:
Funereas mittunt (iræ primordia) flammas;
Quales Phlegræi vibrant incendia colles.

Digitized by Google

Hinc ſequitur torvos nectens pro crinibus angues
Tiſiphone ; ſtygiaſque Soror bacchata per umbras
Dira Megera : parens ſcelerum crudelis Erinnys :
Aſtu cruda potens Alecto : his additur unà
Et Timor , & Dolor , & nutrix Diſcordia belli :
Curæque , Inſidiæque , Erebique exercitus omnis .
Atria flammatis ſubeunt ſuffulta columnis ,
Janua qua Ditis ſolido ex adamante pateſcit :
Poſt ubi replerunt ferrata Sedilia Manes ,
Sævaque collectis ſtipata eſt curia Monſtris :
Dux Erebi extemplo tumidas exarſit in iras :
Mox piceo innixus ſolio ; torvàque verendus
Majeſtate ſedens : palmis immania tractat
Sceptra ſuis : humeroſque clamys tegit atra nigrantes
Circumducta comas olli teterrima nubes
Aſperat : intonſi crines per colla , per armos
Deſcendunt : ſtygià fumant caligine nares .
Circum mille faces , & circum incendia mille :
Immugit , tollitque jubas , quaſſatque tridentem
Quo ſtrepitante , ſuos compeſcuit ore latratus
Janitor ; & Manes Erebi ſilvere : ſuiſque
Cocytus trepidans ; & Styx obmutuit undis ;
Ille autem indignans cælatam corde ſub imo
Sic orſus , rabidis patefecit vocibus iram .
Invicti Proceres , regni ſpes maxima noſtri ;
Olim qui , Duce me , Superos invadere ferro
Auſi omnes : Solio , qui mecum expellere Regem
Adnixi ; & Cœlum trepido miſcere tumultu .
Si vanus labor ille fuit , non irrita certè
Aut virtus animo , aut belli fiducia ceſſit :
Non dextræ robur ; verùm irreparabile Fatum
Obſtitit , & manibus rapuit Sors effera palmas .
Non ars , non animi poſſunt obſiſtere Fato :
Sed victi quamquam patriis diſceſſimus oris ,
Saltem nos bello Superi ſenſere potentes .
Præcipites cœlo ruimus , ſed fortibus armis
Nos Erebi ſignis totum ſubmiſimus orbem :
Sed nunc bella movent iterum , gentesque ſubactæ
Excutiunt cervice jugum : jam Nilus , & Atlas
Defecere ; gemunt victi felicibus armis
Sedis hyperboreæ populi , jam territus Iſter
Deditur , & magni titubat domus ardua Daci :
Suppetias poſcunt Avares , vicina Tibiſcus
Arma timet ; tuto nec vertice clauditur Æmi
Regia Threicii nobis devota tyranni :

Non

Non tutus Tanais, nec tutus inhoſpita Moſcus
Regna tenet. vicina pavent incendia Sylvæ.
Quis vero tot bella Stygi, tot funera Regi
Tartareo, quis tot ſtrages, & fata minatur?
Semivir Ignatius, qui jam propè Navaris arces
Confoſſus cecidit: tanta eſt audacia victo!
Non ſatis Europæ gentes ſua jura volentes
Accepiſſe: novos populos, nova littora quærit:
Proh dolor, & quantum victor jam poſſidet hoſtis!
Uni prædoni totus non ſufficit Orbis.
O nullis unquam delenda infamia Seclis!
Nos poſitis armis torpemus, & otia in Orco
Ducimus, & noſtri immemores, laudiſq; vetuſtæ?
Jam nemus heſperidum, fortunatoſque receſſus
Lyſiadum ſubeunt puppes; Saberius undis
Victor Atlantæis Auroræ fertur ad Oras.
Saberides (mea, ni Fatis hæc dextra reſiſtat)
Natus ad excidium Ditis, Stygiæque paludis;
Ingentes animos mortali in corpore geſtat;
Non artes, non ille dolos, nec noſtra paveſcit
Arma; nec æternæ formidat robora dextræ;
Omne illi auxilium Cælo, ſpes omnis ab alto eſt,
Scilicet invictum bello, clarumque triumphis
Regnatorem Erebi, devinctum colla catenis,
Et patrio expulſum Solio, nunc orbe relicto
Me domitum unius dextrà mea regna videbunt?
Non impunè quidem: noſtra hæc per flumina juro;
Spero equidem mediis (ſi quid nigra Tartara poſſunt)
Supplicia hauſturum ſcopulis. Inferre paraſti
Bella ne Tartareis? faxo, nec tempore longo
Pœniteat; meritas ſolves, me vindice, pœnas.
Hæc ille: & tumido ſoſpirare ore tremendum
Mugiit, ac totum ſtrepitu tremefecit Avernum;
Regis ad exemplum ſtygiæ fremuere phalanges:
Eumenides ſpumant rabie; pallentia Manes
Ora movent, & quiſque oculis duo fulmina vibrat.
Arma, arma inclamant omnes, bella horrida bella,
Bella Acheron, reſonat Phlegeton bella horrida bella;
Addidit hæc Pluto, & ſtimulis incendia ſufflat,
Irritatque animos odiis, & ſufficit iras,
Et furias furiis. Merito nunc plectite fato,
Qui ſtygio exitium regno, clademque minatur;
Torpentes damnate moras, agnoſcite demum
Quid Furias deceat: certandum Marte cruento;
Et claras bello palmas cum laude merendum,

Digitized by Google

Afflatu violate diem, tenebrisque refusis
Turbetur totus naturæ vultus in orbe;
Aërios aperite sinus, laxate profundo
Fræna mari, & gravibus nimbis diffindite nubes;
Fulmine commisto, ac tonitru Cœlum omne ciete;
Nulla fides rebus: decedant fœdere rupto
Ipsa suis elementa locis, omnisque repentè
In Chaos antiquum solvatur machina mundi;
Unus, ut effræno pereat data victima ponto
Sabarides; molem hanc mundi periisse juvabit.
Nec mora, sic stygias nutu qui temperat oras
Imperat. Extemplo motu concussa repente
Terrificos gremio tellus recludit hiatus;
Immenso titubat magni sub pondere Cœli
Altus Atlas; imis excussaque fundamentis
Africa tota tremit, Nilusque exterritus hæret;
Infremit Oceanus, fluctusque à littore torquet.
Responsant longè sonitu cava saxa tumenti,
Et cautes, Scopulique, omnisque remugit Olympus;
Continuo quicumque colunt nigra Tartara Manes
In turmas, acies que ruunt, ruptoque barathro
Surgit ab infernis Plutonia turba latebris.
Immanis primò, crinitaque sontibus hydris
Tisiphone revocat Furiarum sæva Sororum
Agmina: dum raucis clamoribus obstrepit aër;
Antè alios mittit Manes, vulgusque severum:
Hinc Furias damni comites, sceleriseque ministras;
Ipsa ubi cæruleo vestes intexuit angue,
Nodavitque comas hydris, galeamque rubentem
Gorgoneo aptavit capiti, manibusque prehendit
Ingentem piceo fumantem lumine pinum
Erupit tandem stygiis furiosa lacunis:
Audax belligeras animare in prælia turmas,
Ferre facem in superos, bellumque indicere terris;
Et Cœlo, ac totum flammis evertere mundum.
Horruit extemplo tellus, & nubibus aër
Palluit inferna tectus caligine: longè.
Infremuere vada, & sonitus cava saxa dedere:
Territus ipse suos laxis per inane quadrigis
Phœbus equos, currumque polo trepidante retorsit;
Ut placidas undas vidit, Cœloque sereno
Purpureum sine nube diem, lenique flabello
Eolias spirare animas, & ludere Ponto.
Sedibus erumpens stygiis Titania pubes
Infremuit, veteris memorans sua damna ruinæ;

Sed

Digitized by Google

Sed magis, atque magis ferali accenditur æstu
Lysiadas spectans puppes, victricia signa:
Hinc dolor in rabiem versus magis excitat iras;
Extimulatque animos odiis: furit impia turba
Bella minans, stragemque oculis. Lato undique diræ
Baccantur campo Furiæ: lymphataque circum
Agmina Tisiphone flammis incendia nutrit.
Mox primum, ut belli signum fecere trisulco
Fulmine, præcipites coiere in prælia Manes.
Hic variis elementa modis, undosaque Nerei
Æquora perturbat strepitu, miscetque tumultus;
Hic gravidas agitat nubes, nimbisque ministrat
Pabula, nimbiferas Cælo parit ille procellas.
Nube diem fædant alii, tenebrisque refusis
Purpureum nigro Cœlum velamine cingunt.
Æoliam petit Alecto, scopulosque tumentes,
Euros Hippotades ubi carcere frænat opaco:
Rumpit claustra ferox, & ventis laxat habenas;
Ilicet excurrunt turbata per æquora venti
Incumbuntque mari, totumque fragoribus implent.
Principio allisis succrescere murmur arenis,
Et vitreos crispare sinus Thetis incipit: Æquor
Sensim turbati faciem maris explicat undis;
Percussæ resonant cautes, & murmure tandem
Horrisono totus misceri à gurgite pontus
Cœpit, & albentes movet ultra littora fluctus;
Ingentes Cælo montes tolluntur aquarum;
Et modo deducto subsidunt gurgite valles.
Primus Psittacidum se tollens finibus Auster
Irruit in proram nigrantibus horridus alis.
Insequitur strepitans horrendo murmure Corus;
Antennæque immugit; & intonat ater ab ortu
Erumpens rubeo, & partem maris arripit Eurus.
Æstuat unda minax, ventoque impulsa furente
Horrendum stridens elatâ fronte lacessit
Spumantes undas adversa parte ruentes.
Ast ubi longinquo per multa volumina tractu
Circuit, atque undas instantes vibrat in undas:
Frangitur; & fracto candescit in æquore Nereus.
Horrifica excelso detorquet fulmina ab axe
Sæva Megæra manu: tonat alti regia Cœli:
Et rupti reboant circum, lucentque trisulco
Igne poli: tandem resolutis nubibus, imbres
Descendunt: noctemque mari imposuere tenebræ.
Continuò gemitusque virûm, fremitusque rudentum.

Exo-

Exoritur: pavido miſcentur cuncta tumultu:
Terror ubique, & ubique dolor: ſtant omnia luctu;
Lyſiadum ductor, procerumque exercitus omnis
Palluit ancipiti preſſus formidine pectus;
Corda tremunt mortis veluti præſaga futuræ;
Purpureuſque coit gelido ſub pectore ſanguis.
Ipſe gubernator puppi proclamat ab alta:
Ponite corde metum, o ſocii: quid pectora pulſat
Veſtra pavor? celerate moras: ſtat proxima tellus
Heſperidum: & vobis portus ſua brachia pandit.
Antiquos revocate animos ſolitumque vigorem
O' mihi ſorte dati! Quibus Acroceraunia quondam
Infames ſcopulos, Adriæque furentis arenas,
Et ſalis Jonii ſulcavi puppibus æquor.
Nos ſparſas cyclades, nos ſaxa capharea puppi
Legimus incolumes, Malacæque ſequacibus undis,
Ægæoque mari, Siculiſque erravimus oris;
Vaſtaque Sardoo tranavimus æquora fluctu.
Ergo agite egregii juvenes, depellite triſtem
Corde metum; redeatque iterum in præcordia virtus.
Nulla timet dubiis animoſa pericula virtus
Caſibus, aut ſubito Fortunæ frangitur ictu.
O' paſſi graviora! Trucis trans æquor Atlantis
Cum Tarteſſiaco primum de littore ſolvens
Ignotas aditura vias, alioque calentes
Sole plagas, Cœlique novos ventura ſub axes
Puppis arenoſi ſulcavit inhoſpita Nerei
Regna: coruſcantes eluſit & arte procellas.
Non vos albenti, qui Sydera verberat unda
Terruit oceanus: non implacabile Cœlum:
Ventorumque minæ: flammantis & ætheris ignes.
Ter lybiæ littus, ter vidimus ultima regna
Æthiopum, & rabidi ter vidimus ora Leonis.
Eja agite o ſocii; molles laxate rudentes,
Carbaſa nunc legite, & remis certantibus undas
Findite; & æratas terris advertite proras.
O' dextrum tentate latus; ſcopuloſque propinquos;
Infidas retro ſyrtes vitate: nec altum
Ære Secate ſalum. Nec plura; ſed ipſe relictum
Arripuit clavum, & dextras detorquet ad undas,
Qua vehitur ductor turrita mole, Chymæram.
Illius exemplo nautæ, Claſſiſque miniſtri
Pervadunt Scopulos: dextrumque ſecare, ſiniſtrum
Evitare latus contendunt. Veſpere ab atro
Cum ſubito præceps magno ſtridore procella

In

In classem ruit; & totam terroribus implet:
Ingeminant Austri; validisque afflatibus, alto
Dispergunt pelago puppes: a sede profundum
Murmurat; & medio fremit æquore stridor aquarum.
At contra nautæ, quoniam jam littora cernunt
Proxima; deducto subducere carbasa lino
Sollicitant; ventique minas eludere eundo:
Extemplo æoliis eurus dimissus ab antris
Humida vela ferit: concussaque concidit arbor;
Subiectosque viros, & puppim insana flagellat.
Proximà jam, socii, comprendite littora, rector
Clamat, & in tutum celeres succedite portum.
Pellite corde metum: procul hinc timor omnis abesto:
Hic jubet: impediunt mandata facessere venti.
Increpat hic; vocem irati fragor æquoris ullam
Non finit audiri. Properant tamen undique nautæ,
Sponte sua vitæ quisquis perculsus amore.
Ille fatiscentem rimis sarcire carinam;
Et geminum munire latus conatur: hic omnes.
Scissuras; tabulasque ratis rimatur hiantes:
Nectere transtra simul, tabulataque jungere, cera
Ac pice contendit patulas occludere rimas.
Pars tumido immergit pretiosas gurgite merces;
Intextas auro clamides, & murice vestes.
Ardentes tyrio, fucataque tela veneno;
Et pictas patrum tabulas; signa aspera gemmis:
Pars etiam argenti; pars auri pondera facti,
Infectique simul mergit: si munere tanto
Conciliet fluctus. It lysia gaza per undas;
Et Nereus fulvo ditescit turbidus auro.
Ille citus fessis inimicos puppibus imbres
Egerit assiduè, fluctusque refundit in æquor.
At rector puppi, clavoque immobilis hæret,
Atque hùc, atque illùc flectens, regit arte magistrà;
Et frænare ratem, medioque effindere fluctus
Nititur; evitans Syrtes, scopulosque minaces.
Omnis at incassum nautarum turba laborat.
Fortior insurgit ventus, clavumque ministro
Vi rapit: amisso errantem temone chymæram.
(1) Ophiris ad populos; Gomgemque heroa ferentem
Torquet; agens circum, & rapidis penè obruit undis.
Insequitur præceps dextrà de rupe procella,
Naufragium, mortemque ferens: Euroque furente;
Concidit icta arbos: fluitantque aplustria ponto.
Tunc demum rector tanto in discrimine lethi

(1) Ubi fuerit Ophir, non constat; Fortasse hic pro illius Africæ ora sumitur, ubi fofala urbs.

Pal-

Palluit, & mesto testatur funera vultu.
Haud equidem socii, fatur, spes ulla salutis
Est miseris; rapidus jam nos vorat æquore vortex
Hei mihi! Quis patriis amentem evexit ab oris?
Quis dulces spreviſſe lares? littusque coegit
Deserere; & Charâ teneros cum conjuge natos?
Quis furor extremi confinia querere mundi
Tot tumidos inter fluctus, Diraſque procellas
Impulit? & fragili vitam committere ligno?
Scilicet, ut primo populos Oriente repoſtos
Argento dites peterem fæta æquora gemmis.
Tuta quies patriæ toto pretioſior auro eſt.
Ingemit hæc fatus lachrymaſque effundit inanes.
Mesta gemunt alii ſua funera: luctus ubique;
Et crebras inter lacrymas ſuſpiria, quæſtus.
At reliquas vaſto diſperſas æquore puppes
Sors eadem vexat: Claſſis peritura per undas
Tota ruit: nullo clavum moderante magiſtro.
Tiſiphone vero dirâ comitante Mægærâ,
Quam penes inſani fremitus, ſævique tumultus,
Et furor, & rabies Erebi deſpûmat in ore.
Aſtu cruda potens Alecto: & triſtis Erinnys
Victrices baccantur aquis. Ruit illa per altum
Turbatum oceani fundum; tenebriſque refuſis,
Irritat ventos: nimbiſque alimenta miniſtrat:
Lætitia limphata tumens, ovat inter aquoſi
Vorticis ambages, ſcopuloſque, & caute fragoſa
Illa ſedens victrix, in gaudia læta Sorores
Conciliat; partæ referens præconia palmæ.
Vicimus imbelles: manibus victricia ſigna
Fregimus: Aurorâ victos detruſimus hoſtes.
Jamque rapax Nereus miſeros ſpumantibus undis
Devorat: & monſtris ibunt data præda marinis.
Interea tacitus ſtabat Saberius heros;
Occultuſque ſuis, ſubducta in parte carinæ;
Et genibus ſupplex, vultuque affixus olympo,
Alta divinos ſpeculatur mente decores.
Sæpè ſub amplexu Cœleſtis Numinis optat
Poſſe mori: vitamque leves diffundere in auras;
Sæpè ſuis Numen complectitur ille lacertis
Ore cruentato figens ſacra oſcula Divo.
Pignora chara fovet, lateriſque in fonte repoſtas
Haurit opes: toto verſat ſe pectore Numen:
Numen amoris amans, dilectum Numen amanti
Ora madent pluvia fletus reſolubilis unda

Plu-

Plurimaque irriguo miſcens ſuſpiria rivo
Uritur, atque hæret ſingultibus interruptis
Stipite ſuffixi dum Numinis ora tuetur,
Ardet amans, cæcumque bibit ſub pectore vulnus:
Intus flamma vorax arcanos elicit ignes
Igne fovetur amor, ſuccreſcit flamine flamma,
Fervet amor, taciti ferveſcit flaminis ardor;
Nec jam ſe capit ardor: ovat ſub pectore victor
Aliger ignipotens divina incendia ſufflans.
Ignes ſufflat amor, nec ſiſtit corde ſub imo
Ignitas torquere faces, præcordia flammis
Urit odoratis, & gaudia pectore verſat.
Olli autem ſuccenſa tument præcordia flammis,
Totus inardeſcit, ſupero calet ebrius igne,
Nec potis æthereos ignes æquare ferendo
Impatiens: Satis, ore refert, age ſiſte quid ultra
Divus Amor, tantum ſub pectore ſufficis Ætnam?
Siſte age dius Amor, nervo ne tende ſagittas:
Sat mea ſyderiis flagrarunt pectora flammis.
Mox ille, ut vulgi ſtrepitus, triſteſque ſuorum
Præſenſit lacrymas, & funereos ſingultus,
Accurrit; ſedemque ratis coſcendit in altam:
Obſtupuit primo aſpectu Saberus, & hæſit,
Undique dum tenebras oculis mirantibus haurit;
Attonitiſque bibit pelagique, polique fragores
Auribus horrendos. Hinc caſto pectore promit,
Oſtentatque mari ſuffixi inſigne Tonantis
Ære laboratum; dein os, oculoſque Tonanti
Figens; has fudit ſupplex de pectore voces.
Si te tangit amor rerum dulciſſime, ſi te
Vota, preceſque movent: felix nos aſpice: noſtri
O tandem miſerere: feres nos æquore mergi?
Non feret hoc certè pietas tua: nunc age fluctus
Diſſice, namque potes, Dominum te ſentiat æquor:
Te Dominum agnoſcant venti. Tunc protinus omnes
Agnovere Deum venti; pelagique procellæ
Depoſuere minas; ſubitò lux aurea Cœli
Effulſit; ſuperúmque Chori geſtire per undas
Conſpecti, & Dominum lætis luſtrare Choreis.
Quo viſo fugiunt imbres; cadit ira procellæ:
Præcipiteſque ruunt venti, Coruſque, Notuſque
Æoliam in patriam, ſaxoque abduntur opaco.
Omnia lætitiæ cedunt, procul undique triſtis
Luctus abeſt. Læto reſponſant marmora plauſu;
Reſponſant plauſu ſcopuli. Sed triſtis Erinnys,

Et manes omnes rabieque, iràque frementes
Ad Stygias remeant undas, iterumque reviſunt
Tartareas Sedes, loca nocte ſilentia late.
Quas ubi tartareæ, fractas certamine ſedes
Excepere; vadiſque Acheron tranſmiſit opacis,
Auroræ Genius niveo ſpectandus amictu
Littora nota petit: placidos ut littore fluctus
Vidit, & à toto detruſos æquore ventos.
Hinc claſſem aſpiciens, & lyſia ſigna per undas:
Quis novus hoſpes, ait, cui turgida marmora parent
Qui gelidas hyemes, tempeſtateſque ſonoras
Edomuit, cœloque diem, pacemque reducit?
Forſitan Auſonias Auroræ in regna phalanges
Lojola immittit: Saberus navigat æquor:
Quem fore tellure, & pelago, cœloque potentem
Jam mihi fatidici cecinere oracula Thomæ:
En video ridere fretum, cœlumque repentè
Nube ſerenari roſea: jam ſubſidet alto
Unda mari; Zephyrique redit levis aura canori.
Noſco equidem; nec me fallunt mea lumina; noſco;
Saberides ſperatus adeſt, cui paruit æquor,
Cui Zephyri, cui blanda maris pellacia riſit.
Hæc fatus: pelagi revocans ad gaudia Nymphas;
Saberiden heroa canit, geſtitque videndo.
Continuò auditæ voces penetralibus altis
Oceani, & liquidis reſponſat vallibus Echo;
Mille ubi conſurgunt muſcoſa palatia in undis
Chriſtallo ex alba: variis diſcreta figuris,
Candida purpureis fulgent intexta corallis
Marmora: cœruleos onerant conchylia poſtes;
Atria Barbaricis radiant ſuffulta columnis;
Valva nitet gemmis, viridique ex igne ſmaragdi:
Fortè ſacros celebrare choros tunc cætus in unum
Venerat: æquoreo circum ſtipante Senatu.
Sede Thetis ſublimis erat: ſubſellia Patres
Cœrulei gemmata tenent, ſtantque ordine longo
Squamigeri regni proceres: genus omne natantum:
In medio Nymphæ manibus per mutua nexis
Et lepidas nectunt choreas, & Carmina dicunt.
Hinc reſponſurum digitis cytharædus aduncum
Sollicitat lituum, atque argutum pollice Siſtrum:
Sed poſtquam auditæ voces penetralibus altis,
Extemplò choreas, & feſto carmina plauſu
Deſervere citi; vitreiſque ſedilibus omnes
Cœrulei venere chori, caput extulit unà

Æquo-

Digitized by Google

Æquoreus Platamon, Glaucus, niveusque Palæmon,
Et qui Delphineſque vagos, Vituloſque marinos,
Monſtraque cuncta ſolet magno æquore ducere Proteus.
Et reſona Triton, qui perſonat æquora conchâ,
Crinibus aſſurgit pexis: de more ſolutis
Aſpectu formoſa Thetis placidiſſima greſſu;
Purpureas imitata roſas, illi ora rubeſcunt;
Quam circum centum præſtanti corpore Nymphæ,
Egregium Nerei genus, unigenæque ſorores
Ore omnes formoſæ, omnes florente juventa
Ore nitent, fulget gena concolor omnibus oſtro:
Auroque, & gemmis rutilant, & torquibus omnes
Ex humeris pharetra, & lycius ſuſpenditur arcus,
Ac niveis præcincta nitent vaga crura cothurnis.
Quæ poſtquam vitreis exurrexere latebris,
Cæruleos duxere Choros, pedibuſque Choreas
Nexere ad numerum tranquilla per æquora ponti.
Magnanimum Thetis ipſa modis heroa canoris
Extulit ad ſuperas diis concentibus arces;
Et ſalit, & reſilit, concordi voce ſorores
Dum geminant plauſus, diſcurſat læta per auras
Vox: Scopuli aſſurgunt plauſu, longèque propinqui
Reſponſant luci; & Cœli convexa reſultant.
Hinc Rex cæruleus magnarum rector aquarum
Concidit in genua, & Sabero tradidit alti
Imperium pelagi; ſed ovanti percitus æſtro
Aſſurgit Genius, venturi haud inſcius Ævi,
Dum placidas puppi Saberus navigat undas,
Sabero memorat cœleſti voce triumphos.
I' felix Heros, nimium dilecte Tonanti,
Quem Charites fovere ſinu, cui blanda puello
Oſcula fixerunt labris; cui Mater honeſti
Virgineo totum ſuffudit corde pudorem:
Pax cecinit plauſus, celeres cui gloria pennas
Explicuit, ſuperûmque pios afflavit amores:
Suffecitque parem cæpta ad ſublimia mentem.
Te duce nunc Indis pandetur limen Olympi,
Fulgebitque novâ Sinis plaga lactea luce,
Sydereaque domo, Diviſque, videbit Japon
Regnantes Heroas, & ipſe videbitur illis.
Tu leges, tu jura poli, tu ſacra, Deumque
Auroræ in fines revehes, rituſque docebis
Romuleos, Triadi cultus dabit India ſacros:
Quàque cadit Titan, & quà ſua fræna retorquet
Cuncta per ora virûm divinum nomen ad aſtra

Tolletur; toto nomen celebrabitur orbe.
Quin, duce te, Chriſti imperium pietaſque, fideſque
Incrementa capit, totoque extenditur orbe.
Bactra ultra, Gangemque, atque extremos Garamantas
Miſſus abis. Supero Thomæ par omnia olympo
Indorum inviſos animos, & neſcia flecti
Corda hominum; Stygio devotaque pectora (1) Amidæ
Emollire ſacris dictis: undàque ſalubri
Eluere: & Cœlo extorres revocare paterno:
Fortunate Heros, duce te, gens ferrea toto
Tolletur, toto ſurget gens aurea mundo.
Ergo agè gemmiferas pacata per æquora terras
Gemmifero Ganges, qnà fluctu interluit Indos
I' pete; jam clauſus cœco ſub carcere Pluto
Ingemuit: Stygiiſque caput demerſit in undis.
Ipſe volens iter oſtendam, teque æquore ducam:
Dixit; & Auroræ pennis felicibus aulam
Invehitur, gratumque volans effundit odorem.

(1) Idolum celeberrimum.

Digitized by Google

SABERIDOS
LIBER II.

Argumentum.

Poſt ubi parta quies pelago, Furiæque ſubactæ
Herculeos ſubeunt portus, & corpora curant.
Hinc citò digreſſi, littus, colleſque virentes:
Heſperioſque ſinus relegunt, medioque ſub axe
Æthyopum multis exundat peſtibus aër
Fertilis in mortes. Heros ceu ſedula Mater
Uno omnes gremio refovet, morboque fugato
Squamiger in elaſſem denſis exercitus alis
Irruit: ille fugæ retro dare terga coegit.
Poſt oras Libyæ lectas, tumidoque remenſo
Gamaide; ad Praſias tandèm ſe contulit urbes.

INterea Nautæ quæ proxima littora cernunt,
Contendunt petere, & portus intrare patentes.
(1) Eſt locus eoum, qui brachia tendit in æquor,
Bina ſinum amplectens, medioque altiſſima ſurgit
In Cœlum Rupes, fluctuſque objecta repellit
Inter utrumque caput ſtatio benè tuta Carinis
Panditur. Herculeæ quondam clauſa æquora puppes
Trans Abylæ fines pelago tenuere remenſo
Antiqui, ſic fama loci: nam nomen ab illo
Servat adhuc: illique ingens è marmore templum
Regali ſumptu poſuere in littore Mauri.
Faucibus in mediis gemini minitantur ad aſtra
Turriti ſcopuli, quos dum furit æquor apertum,
Inſani feriunt fluctus, fuit unda ſonoris
Vorticibus: Nereus ſpumantibus æſtuat undis.
E latere adverſo rupis caput inter utrumque
Marmora tuta ſilent: ſuper ardua culmina montis
Planities immenſa jacet: nemora undique circum,

(1) Propè Herculis Promont. Capobianco, Portus tutiſſimus Taſſo.

Et

Denſa virent, lucemque arcent ſpiſſa arbore Luci.
Muſcoſi fontes vivo de pumice manant
Fluctibus è gelidis, ſerpit ſata florea circum
Irriguis criſpatus aquis placidiſſimus amnis:
Aërias inter ſedes, & frondea tecta
Garrit avis; reſonant modulis arbuſta canoris:
Speluncæ dorſo nigræ, ſtabula alta ferarum.
Hìc fera venantum canibus, rapidiſque ſagittis
Pulſa metu fugiens latebris abſconditur atris:
Callidus hìc avibus Corydon ſua retia tendit.
Lyſiades ventis, & tempeſtatibus acti
Hùc ſe provecti tutà ſtatione remittunt.
Navibus egreſſi, quà ſe protendit amico
Amplexu littus dulci potiuntur arena.
Et pars errantes undoſa per æquora puppes
Alligat in portu : madefactaque vela reductis
Exponit Phœbi radiis. Pars altera ſummis
Puppibus intextas imponit fronde corollas.
Hic ſedet in ſcopulo : hic viridi projectus in alga
In portu gaudet fluctus ſpectare tumentes.
Scintillam ſilicis duplicatis ictibus alter
Excudit, flammam foliis, & cortice ſicco
Nutrit : & ingentes ſurgunt de fomite flammæ.
Aſcendunt alii præruptæ culmina rupis
Rapturi ſylvas horrentia luſtra ferarum.
Vellitur extemplò platanus, faguſque reclinat;
Luctanteſque cadunt quercus, annoſaque pinus
Scinditur : & crebris excuſſa ſecuribus ornus
Ingemit; atque imis ruit è radicibus ilex.
Venantur multi pavidas indagine damas:
Pars ſectatur apros; pars cervis retia tendit;
Stellatos minio tauros pars altera ferro
Inſequitur : rapiunt ſylvarum ad littora prædas:
Inde boves jugulant pingues, & viſcera nudant.
Hic madidos artus ollis imponit ahenis,
Et nervos, & membra domat ferventibus undis:
Pars cæſas verò pecudes in fruſta recidunt;
Fruſta alii figunt verubus diviſa ſalignis,
Subjiciuntque focos, atque exta trementia torrent.
Pars onerat menſas epulis, & Maſſica portat
Pocula, & indomiti ſpumantia vaſa Falerni:
Pars Cererem ſaxo domitam, totumque per æquor
Servatam ratibus ; pars fervida viſcera geſtat
Cæſarum pecudum, & mantilia cana miniſtrat.
Ordine tunc longo proceres, atque inclyta pubes
Diſcum-

Digitized by Google

Discumbunt: epulis omnes saturantur opimis;
Omnia lætitiæ cednnt: ovat inter edendum
Ac lætos inter calices animosa juventus.
Post quam pulsa fames, temerè funduntur in aruis
Quà facit herba thorum: sensim sopor irrigat artus,
Et vaga luminibus labentia sydera somnos
Conciliant; & blanda cient qui murmura fluctus.
Saberides verò pietate insignis avita
Vix lymphà sedare sitim, modicàque severam
Fruge famem, & lætis potuit discumbere mensis;
Namque dapes alias, alia in libamina mentem
Numen agit; tacitis liquentia balsama fundit
Sensibus ardor amans; nec desunt nectare dulces
Deliciæ superùm, & Divorum viva voluptas.
Non ergo est animus geminare rubentis Jacchi
Pocula, & Eoos epulis miscere sapores;
Lætitiæ nec amat nimiæ indulgere, sed hostis
Ipse sui, lassata negat sua membra quieti,
Atque brevi renuit committere lumina somno;
Nil mortale sapit, cui ditat pectora plausu
Numen; & æthereis è fontibus elicit imbres:
Sublimem in tumulum secreti ad littoris undas
Conscendit, quà illi vertenti lumina circùm
Totus in obtutum cadit Æther: omnia spectat
Sydera: & ardentes mundi versatilis ignes;
Namque hic solus Amor sacris præcordia flammis
Accendit; victorque super rapit æthera mentem.
Ergo ubi stelliferum latè conspexit Olympum,
Hæc dedit, in Superos intendens lumina tractus:
O' pulchri stellarum orbes! Pulcherrima cœli
Lumina! Quæ tacitum cursu peragratis Olympum;
Ætheris immensi tractus, & amabile mundi
Tectum augustum, ingens! Superis gratissima Divis
O' Domus! ò Patria! ò Stellatus Jaspide Murus!
Qui summi cingis regalia tecta Tonantis,
Istic ò! Istic certè dignissima nobis
Patria: sydereique lares; charique Penates;
Istic perpetui Soles; sine nubibus Aër
Purpureus: nitido semper nitor afflat Eoo.
Istic tuta quies; felicibus otia Divis
Semper erunt; plenoque fluet torrente voluptas.
O', Anima ætherei pars seminis, ergo age cœlum
I', pete: nativos trans nubila scande recessus
Ætheris; atque iterum patriis allabere regnis,
Testor vos superi; vos tanti conscia amoris

Syde-

Sydera; ſi fluxis unquam me credere rebus
Auſus ego: vos (ſcitis enim) vos ſydera ſemper
Pignora chara mihi; veſtrum contemnere amorem
Non poteram, ni corda mihi Natura dediſſet
Ferrea: vel pectus duro ex adamante reciſum.
Etquis amet terram poſthac, dum ſpectat Olympum?
O' Polus! ò æther! victor depaſceris æſtu
Pectora noſtra pio; pulchri domus ætheris uris,
Uris amore tui, conſumis & uſque medullas.
Perge age, corpoream molem, & miſerabile pondus
Verte ſuum in cinerem; tu divide gemmea luto;
Liber ut in patrias jam ſpiritus evolet oras.
Sed tamen: his miſerum, mortali in carcere vinclis
Demoror; atque imà cogor conſiſtere terrà.
O' mea rumpantur ſi vincula! ſcindite Parcæ
Stamina, Sat vixi patriis procul exul ab oris.
Vos o felices Animæ! quas aurea Divùm
Tecta tenent; reduceſque iterum jam poſſidet Axis;
Concilio Divùm in medio vos ſtatis, & inter
Magnanimos Heroas, & addita Numina Cœlo:
Felices Animæ! plenis quibus aurea rivis
Sæcla fluunt; totoque polo jam depluit aurum,
Jam vobis eſt parta quies; vos nectaris undas,
Ambroſiæque imbres libatis, & otia vobis
Læta; Palatinà ſemper regnabitis arce.
Empyrei, & veſtri fructum capietis amoris.
At nobis imà hàc telluris valle locatis
Hei miſeris quantum, quantum eſt quod amantibus obſtat!
Sed tamen eſt aliqua immenſo medicina dolori
Si nobis liceat longè, quod adire negatur
Aſpectare oculis ſitientibus. O' mihi ſtellæ
In vos ſemper ego, ſemper mea lumina vertam:
Cœlum oculi, cœlumque animi noctuque, diuque
Proſpiciant: Cœlum mea mens, mea pectora verſent.
Vix ea: cum ſubitò in lachrymas ſua lumina ſolvit:
Ardet amans, luſtratque oculis rorantibus orbem.
Ecce autem extemplò corpus (mirabile viſu)
In Cœlum ſenſim pernicibus aëre pennis
Invehitur; magni veluti Jovis armiger ales
Aerias ſcandit ſedes, & nubila tranat.
Sex tantùm aëriam ſedem non amplius ulnas
Emerita levitate ſubit: ſtat penſile pondus
Corporeæ molis. Sunt hæc miracula amoris
Dat volucres pennas amor; atque amor aliger ipſe eſt.
Interea radios ſtellis ardentibus haurit,

Et

Digitized by Google

(1) Et ſuperos inter fulgentior emicat ignes:
Scintillant oculi; cœleſtibus ebria flammis
Tempora ſunt: qualis primo cum ſplendet Eoo
Phoſphorus, exortumque diem prænuntiat: ardet;
Totus ab obtutu aſtrorum, atque ex æthere pendet:
Luminibus luſtrat tacitis ingentia mundi
Tecta; ſed inconceſſa poli convexa tueri
Mente juvat, totumque animo complectitur axem:
Sydereos ſpectat cœtus, (1) Titaniaque aſtra,
Et tardum genitorem ævi, Martemque minacem,
Lucentemque Jovem cum pignore Cyllenæo:
Ac pluvias Hyadum flammas, & grandia Cete,
Atque Helices Sydus cum noctivagâ Cynoſura:
Nunc armatum auro circumſpicit Oriona;
Atque Hydram, Atque Aquilam: & candentis ſydus Oloris:
Nunc petit obtutu fulgentia cornua Tauri,
Gnoſſia ſigna comæ, atque immiti Scorpion aſtro.
Parte alia ſpectat, qua fulgurat horridus auro
Colla Leo, & retrò reflectit Carcinus orbes;
Et quà trans (2) Syenen ſplendeſcit ſtella Canopi:
Nunc it ad occaſum, nunc ſe deflectit ad ortum,
Nunc Noton ore petit, Boream nunc ſpectat, & omnem
Stelliferum tacitis oculis perluſtrat Olypum.
Uritur interea; calidoque in pectore fervet
Ætna; vel accenſus campano Vesbius igne
Ætheris aſpectu: diuſque in pectore flammas
Auget Amor, fibriſque potens exæſtuat imis:
Ire iterum in ſuperos oculis ſitientibus orbes
Cogitur (explere accenſum ſic ſperat amorem)
Sed major tacitæ gliſcit violentia flammæ.
Cum tandem impatiens has vibrat ad aſtra querelas:
Atque iterum fari cœpit. Pulcherrimus æther,
Egiſti totas flammis de pectore vires,
Jamque animus periit; tenebris hebetantur obortis
Lumina: jam totus dulci immorior tormento.
Deficit hæc dicens; exangues occupat artus
Pallor, & exiguo ſuſpirans murmere, Cœlum
Ingeminat, donec gelidus ſub pectore ſanguis
Obriguit: terràque jacent languentia membra.
Non ſecus Ætnæis cum flos emarcidus hortis
Langueſcit ſitiens, radios dum vibrat ab axe
Sirius; & nimiis ſiccat fervoribus arva,
Ille jacet: Sed membra ſopor defeſſa labore
Acrior invadit, geliduſque per ima recurrit:
Interea nemorum cultrix, per opaca ferarum,

(1) Notiſſimæ Conſtellationes, & Planetæ.

(2) Inſula, vel Urbs in confinibus Æthiopiæ, vel Aegypti, directè ſub Tropico Acſtivo, ideſt Cancro, in extremo Torridæ Zonæ.

Quam cervi bijuges, æquantes curſibus auras,
Luſtra ferunt; medium cœli conſcenderat axem
Cinthia ſtelliferis circum redimita choreis:
Cum tacitum gelidà rorans aſpergine cœlum,
Culta rigat; teneriſque humorem ſufficit herbis.
Aura ſilet, nemus omne ſilet; nec fluctibus æquor
Murmurat, & gratos carpunt animalia ſomnos;
Sed vigil excubias exercet littore fidas
Rector; & eludit ſomnos, & lumina fallit.
Hinc tumulo ex alto efflantes explorat ab omni
Parte poli ventos, atque auribus aëra captat.
Aſtra notat tacito præter labentia cœlo,
[1] Virgo (1) Erigonem, (2) lanceſque pares, (3) celeremque ſagittam
[2] Libra
[3] Arcitenens Et formidandum proſpectat (4) Oriona nautis.
[4] Orion Omnia, qui cœlo, ut vidit conſtare ſereno:
Eja agite ò ſocii, fatur, jam tempus in alto
Carpere iter pelago, & ventis dare vela ſecundis.
Jam placidus ſpirare mari, jam puppibus Eurus
Incipit, & tutum prædicunt ſydera curſum.
Ergo alacres cuncti pigros diſrumpere ſomnos
Incipiunt, viridique thoro conſurgere certant:
Mox ſcandunt puppes; littus, portumque relinquunt:
Pandunt uela, citis inflantur carbaſa ventis.
Sydera purpureo jam caligantia cœlo
Egelidàm Phœben, nocturni plauſtra Bootis
Hauſerat orta dies; & jam Tithonia noctem,
Humentemque polis omnem dimoverat umbram.
Littore provecti longè maria alta ſecabant
Lyſiades; retroque ſinus, terræque recedunt.
Eurus ab Eoo ſurgens in vela ſecundus
Sollicitat curſum, ſertur cita gurgite claſſis.
Jamque oculis fugiens nautarum abſcondirur Atlas:
Vix medio apparent fluctu nemora alta ſororum
Hſperetuſæ, Æglæque, abduntur Dorcades undis,
Gorgonis hoſpitium: pelago latet inſula Solis.
(5) Colùrus ſolſtitii æſtivi. Jam medio provecta mari; quà (5) circulus alti
Solſtitii torrens ſitientibus imminet Afris,
Et nigros alio Garamantas in orbe colorat:
Puppis, Atlantæo ſignans in gurgite curſum
Venerat; & rutilo fulgebat Veſper Olympo:
Cum ſic Saberus cætu ſtipatus ovantum
Aggreditur: cuncti pendent dicentis ab ore.
(6) Celeberrimus Fluvius, Nilo haud minor. Ille autem ventura canit: (nam Numen in aure
Inſpirat: furtimque animis arcana miniſtrat)
Proxima jam nobis ſeptemplicis oſtia (6) Nigris

Et

Digitized by Google

Et cœlum Æthyopum, & nigrantis littora regni
O' ſocii; revocate animos, jam gurgite ab alto
Arduus aſſurgens (1) Arſinoris invehet aſtris
Piniferum ſublime caput; gemmantia circum
Arva; peregrinis halantes floribus horti;
Vitiferoſque tegit pinguis vindemia clivos:
Ergo agite ignotum ferro proſcindite marmor;
Tertia lux claſſem Nigritis ſiſtet in oris.
Illi alacres obeunt ſua munera: Tiphys in alta
Puppe ſedet, clauumque regit, ſimul arte magiſtra
Inflectit, flectitque vias; & ſydera ſervans
Dirigit æratas incerta per æquora puppes.
Vela tument Euris: fugiunt ſpumantibus undis
Turres velivolæ, tanto ſub pondere cedit
Nereus: & liquido caneſcunt marmora ſulco.
Tertia lux aderat nautis optata, viriſque;
Et Titan primo colles aſperſerat auro;
Cum viridis ſurgit mediis Arſinoris undis:
Quem procul, ut malo vidit ſpeculator ab alto
Conclamat: Socii tellus rareſcit amica,
Jam virides colles ſpectantur, & oſtia Nigris.
Continuò juvenes optati fluminis oras,
Et virides læto colles clamore ſalutant:
Ventorumque petunt vires: cum flamine leni
Auræ increbeſcunt, & lintea cana tumeſcunt.
Ac veluti vibrata volat per inane ſagitta,
Sic cita pervolitat, campove excurrit aperto
Claſſis, & inflato tandem ſubit oſtia velo.
Navibus egreſſi viridi ſtatione reſidunt
Quà Nigris bibula Lybiam fœcundat arena.
Hic Gir Æthyopum toto celeberrimus orbe
Amnis erat, Nigrin noſtri dixere minores,
Par Nilo Nigris, lunæ de montibus altis
Diffluit, & medium Libyes interſecat orbem:
Heſperios rigat Æthyopes, lavat amne fluente
Qui nomen fluvio primi impoſuere, Nigritas.
Hic ſe ſe tandem ſeptena per oſtia ponto
Miſcet Atlantæo, longo trans littora tractu
Doris amara ſuas fluvio non ingerit undas.
Hìc ſpectata quies feſſis per cœrula nautis;
Hìc quaſſas pelago puppes, hìc arma miniſtri
Inſtaurant, & tranſtra ſimul, tabulataque jungunt
Et pice concludunt rimas, & vela flagello
Aerio lacerata novant; atque ægra relaxant
Membra thoro; priſcas revocant in pectora vires.

(1) Cabo Verde.

Poſt ubi parta quies feſſis Saberius heros
Tellure effuſos proceres, cœtumque virorum
Imperat acciri ſubitò: procul ære canoro
Increpuere tubæ: concurrunt undique plenis
Agminibus: circùmque Ducem turba advenit omnis:
Verum ubi verboſis fecere ſilentia linguis,
Saberus tumulo ſurgens, ſic fatur ab alto.
Multa mari magno per ventos, perque procellas,
Erroreſque viæ, fateor, vos damna tuliſtis
Hactenus ò ſocii. Verum majora ſuperſunt,
Donec ad optatas claſſis pervenerit oras.
Sole ſub Ætiopum (1), & rapido ſub ſydere libræ,
Quo nimiùm flammis ardeſcit Zona peruſta
Arbor ubi nulla radices protegit umbra.
Æſtifer ipſe dies, ſitientes undique campos
Urit, & immenſos ſuccendit Syrius ignes.
Mille ferenda mari diſpendia, mille pericla;
Mille plagà cœli ſub ferveſcente labores:
Atque æſtus (2) Guineæ, putridique malacia ponti
Impendent, ubi mille febres, & mille dolores.
Hinc vos digreſſos, infidas damna per undas
Dira manent (Non finis adhuc, requieſque labori eſt)
Finibus extremis Lybies, ubi (3) Cafrica Tellus
Senſim deficiens cuneata excurrit in Auſtrum.
Cardine ab adverſo mundi ſuſtentat utrumque
Ingentem oceanum, & furiæ obluctantur aquarum;
Perpetuam pugnam rabidis exercet uterque
Fluctibus Oceanus: ſeſeque in bella viciſſim
Immittit, ſemperque nova in certamina fertur:
Tempeſtas æterna mari. Furit æquore toto
Nereus. Abruptis deſcendunt ſemper ab alto
Nubibus immenſi imbres; & dejecta triſulcis
Collucent crebrò Libyæ (4) Acroceraunia flammis.
Certum naufragium miſeris. Via nulla ſalutis.
Incolumes pauci tantùm evaſere periclum.
Verùm animos revocate, novaſque acceſſite vires:
Neve labor, mortiſque metus præcordia frangat.
Spero equidem, nec vana fides (nam pectora Numen
Implet, & eventus aperit mihi mente futuros)
Incolumi optatos portus intrare carina
Aſtra dabunt: veniet Matutæ Claſſis in axem.
Mox ubi tempus adeſt committere claſſibus Euros
Dat clarum e puppi ſignum Palinurus: at illi
Caſtra movent; Euroque alacres dant vela vocanti:

(1) Sub Æquinoctiali.

(2) Guineæ, Regio Africæ peramplæ,

(3) Regio Africæ Meridionalis in Æthiopia inferiori juxta oram littoralem Oceani.

(4) Indicantur Montes Ignivomi Africæ.

Car-

Carbasa cana tument, ventus de puppe secundus
Concinit, & fluitant vexilla per aëra flammis.
Æquora cæruleæ rostro terit Amphitrites
Classis, & Æthyopum indomita Thetis ingemit ære.
Proxima (1) Gambraidę raduntur littora terræ
(2) Farimus undosus, duri capita asdua (3) Roxi.
Muscosi fugiunt scopuli, retròque recedens
Vergados ora fugit: Spectantur gurgite ab alto
Dira (4) Leæna procul, præruptaque culmina montis.
Hinc Staterę fauces prætervolat æquore classis,
Præterit & Palmam, & longe nemora alta Tripuntis;
Pestiferasque legunt flammis ardentibus oras.
Delia jam multos exactis mensibus orbes
Duxerat; atque novos iterum collegerat ignes.
Cum jam classis, utrumque polum (5) quà fulcit Horizon
Venerat, & medium mundi superaverat orbem.
Jam pontum Cynosura subit: jam plaustra Bootes
Fluctibus immergit: surgunt Aplustria puppis
Argoæ Stellis fulgentia: candida in auro
Crux labaro irradians cum (6) sydere Centaurèo
Oceano emergunt: procul emicat axis uterque:
Æquator medium signorum dividit orbem.
Rectus, & excelso decurrens vertice Olympi
Perpetuò luces æquat cum tempore noctis.
Non obliqua Mari surgunt (7) Cœlestia signa.
Par Aries Libræ pretioso in vellere fulgens
Exit; & ardentem non Taurus Scorpion urget
Rectior; & Geminos non prævolat ante Sagitta:
Par Cancro Ægoceros par tollitur Urna Leoni,
Nec Piscem Erigone flavà præcurrit Asistà.
Has coluere plagas candenti Sole perusti
Æthiopes; umbras nemorum quibus ire finistras
Contigit; Amphisci Graiis, nostrisque Biumbres:
Hos nulla æstiferi media sub luce diei,
Seu rutilus (8) Titan æqua sub lance refulget,
Seu flagrat nitido sub Principe; recreat umbra
Egelidas Phebus dum se deflectit ad Arctos
Si repetat rediens alium Sol aureus axem.
Ver geminum, geminæ Æstates, totidemque tepescunt
Frigoribus Brumæ. Squallent tamen undique campi,
Igne rubet Zona; & rapido Titanis ab æstu
Fervet inaccessum pelagus, terræque dehiscunt.
Jam venti posuere leves, omnisque resedit

(1) Gambra Æthyopiæ Regnum
(2) Farimus magnus Æthyopiæ nigritarũ fluvius.
(3) Rutheni in Scythia ultra Livoniam.
(4) Leæna oppidum Syrinitarum, qui sunt populi in ea Africæ parte, quę sinum Arabicũ spectat.
(5) Sub Æquatore.
(6) Constellatio, nobilissima.
(7) Signa Cœlestia in Sphæra Recta rectè ascendunt.
(8) Explicat Propriecates incolarum sub Æquinoctiali.

Flatus

Flatus, & Oceanus muta conſternitur unda:
Aura ſilet: polus ipſe ſilet; nil murmurat altis
Auſter aquis; tandem laxatis aura ſuperſtes
Immoritur velis. Saxo ſtat pigrior ipſo.
Credideris ſubter flactus Echeneida fundo
Hærere; & roſtro navem prendiſſe tenaci,
Tam ſubitò fixæ medio ſtant gurgite puppes.
Mira quies ponti! Fervet tamen igneus alto
Cardine Sol, radiis exardeſcentibus Æſtu
Flammeſcit circum rapidi plaga torrida Cœli,
Æſtus ubique ingens, pelagique malacia fervet.
[1] Exactiſſima igneæ Peſtis deſcriptio. (1) Æthyopum terris exundat peſtibus aër
Fertilis in mortes. Geminat ſe ſe igneus ardor.
At totam in Claſſem bacchatur triſtis Erinnys.
Putreſcit corrupta Ceres: ſoluuntur ariſtæ
Cæruleum in vermem, patulos qui gutture quàdros
Devorat, & diris cum dentibus omnia fædat:
Solvitur in vermes etiam flaventis Jacchi
Si quid reſtat adhuc, Candenti Sole peruſti
Lyſiades membra ægra trahunt, Furit igneus ardor.
Ima per ardeſcit fervens præcordia febris.
Fitque aſper pulſi tactus, penitùſque medullis
Eſtuat ignis edax, veniſque accreſcit eundo.
Squallidus ore fluit ſudor, fluit unda, ſimulque
Tabidus ex imo dimanat pectoris humor.
Sudant quinetiam fauces intrinſecùs atro
Sanguine; lethifero flammeſcunt ora rubore:
Pectore flamma furit veluti, in fornacibus ignis:
Omnes paulatim morbo, mortique dabantur.
[2] Peſtis diverſi effectus. (2) Sunt multi, quorum febrilis mentibus ardor
Æſtuat; & jaculis, quos acrior ignis adurit
Amentes veluti hùc furiis jactantur, & illùc.
Triſte ſupercilium, furioſus vultus; & ora
Præmonſtrant animi certiſſima ſigna furentis.
Hic ſe præcipitem puppi demittere ab alta
Poſſe cupit: mediis ut flammas mitiget undis,
Vel ſubmerſus aquis extinguat fluctibus ignem:
Si nequeat; tandem triſti de pectore vitam
Evomat impatiens. Non evitabile lethum,
Quod cunctis Natura animis, & viribus horret:
Vis morbi nimiùm miſeris optabile reddit.
Ille tamen ferro tentat conſumere vitam
Illacrimans: Moriar ferro, propriiſque peremptus
Vulneribus: Sic finis erit tot mortibus, infit,
Dulce mori citiùs, quàm vitam extendere morti.

At

At vitæ, quos tangit amor, mortemque paventes
Fortunam incusent alii, sortemque sinistram;
Et se stultitiæ damnant, quod credere ponto
Sint ausi, mercesque suas deferre per undas;
Quorum alter lacrymans has fundit ab ore querelas.
O' nunquam patrio solvissem littore puppim
Ignotas aditurus aquas; curva omnia circum
Litora, tot ventos inter, tumidasque procellas!
Scilicet Eoas raperem trans æquora merces,
Ac multis quæsita dolis ardentia fuco
Vellera Seriadum; argentique aurique talenta:
Sed miseri! O miseri perituras quærere gazas
Nitimur; & multa cupidi conamur opum vi
Ad multas emergere opes; Sed mergimur ipsi;
Nos ipsi tumulamur aquis: & vellera, & aurum
Alter habet. Miseri! Quæ nos dementia cæpit:
Heu cæci: tales jussit nos quærere terras
Auri sacra fames? Sic spe frustramur inani?
Hic mærore silens, vultuque affixus in uno
Aspectat socios claudentes lumina somno
Invito, atque avido projecta cadavera ponto:
Lacrymulis madet ille piis; dum membra parentis
Dulce fovet gremio: deflet sua rapta per undas
Pignora chara pater: mittit suspiria Cœlo
Alter aquis manans: stupet hic: vocat ille beatos,
Qui nunquam patrio solverunt littore funem.
Fortunati, inquit, patrii qui littoris oras
Raditis; & tutos colitis tellure Penates:
Expertes pelagi securos ducitis annos
Consilio meliore usi: non æquora vobis
Trans anni, solisque vias per inhospita mundi
Sunt fragili sulcanda rate; Æoliasque pavendum
Sæpè domos, & fæta feris cava saxa procellis.
Non vos Æthyopum fervor, non torrida Cœli
Zona coquit; Guineæ nec dira malacia lædit.
Sed vobis est parta quies; sunt otia vobis.
Vos intra patriæ fines, & rura paterna
Ducitis optatum lustris melioribus Ævum:
Ipse autem infelix terræ defertor avitæ
Ter miseram vitam hanc extrema per omnia ducos;
Impendetque mihi momenta per omnia lethum.
I' nunc, atque aude gemmas præferre quieti!
At pius intereà Saberus corpora morbo
Ægra fovet; dictisque animos solatur amicis:
Arte Machaonià quæsita unguenta ministrat,

Et

Et variis immitta refert libamina succis;
Sufficiant vires miseris, & languida curent
Membra: luem quæ ægris pellat; morbumque retundat.
Tharsia nux datur albescenti candida succo,
Et triste abrotonum, & cæsi cruor illitus hirci
Ac vivum argentum, & mixto rosa pinguis olivo,
Vitalesque auri potus, ac gemmeus humor.
Ac velut in teneros vibrat se provida natos
Mater amans; prolemque suis amplexa lacertis
Dulcè fovet gremio: Roseis dat basia labris:
Nutrit lacte suo: tepidisque tenerrima lymphis
Membra lavat: teneros involuit vestibus artus.
Sic pius Hesperios inter Saberius ægros
Se vibrat, dio pectus perculsus amore.
Unà omnes gremio refovet: Simul omnibus unùs
Promptus adest: cunctosque juvat: solatia tanto
Grata malo, & nimium præsenti debita luctu.
Hinc stygias animi labes, scelera omnia flere
Hortatur, meritas valeant avertere pœnas.
Iratum placare Deum, veniamque precari.
Crimina, quæ quondam Stygio suadente tyranno
In Superos, sic ille refert, tentastis, obortis
Nunc lacrymis purgare decet, nunc flectere Numen:
Nunc morbum tolerare juvat; lustrantur in illo
Quæ fædant animos maculæ: ne vindice flamma
Sit stygiis opus in tenebris purgarier Orci
Tartareas noxas, sordesque, & crimina vitæ:
Pestiferum morbum, & febrim purgare ferendo
Hoc virtutis opus: Namque hæc miserabile corpus
Atterit; at tetri sceleris contagia lædunt
Immortalem animam. Scelus est post fata luendum.
O' Fortunati patrium cognoscite Cœlum
Empyreique plagas, radiantis & Ætheris arces.
Illic vera domus, felicibus otia Divis
Semper erunt. Ergo hùc socii deflectite cursus;
Sydcream in patriam, regnumque intendite vires.
O' mihi tunc quantum divino concita motu
Lætitia undabunt præcordia! Quantus in imo
Pectore sensus erit! Cum vos per amæna polorum
Aspiciam supera stellarum sede locatos.
Plura illis dicturus erat; cum sponte fluentes
Prosiliunt Lacrymæ, dioque madescit ab imbre.
Illi autem sacris tacti præcordia dictis
Oderunt peccasse; genas, atque ora colorat
Mæsta rubor, pronique omnes in genua recumbunt;

Sub-

Submiſſique animis aſpergunt pulvere crines:
Pectora nunc fœdant pugnis, nunc ora cruentant
Unguibus; & lacrimis veniam, multisque precantur
Verberibus; lacerant triſti ſua membra flagello.
Qui Phlegetontæis rapuiſti victor ab umbris,
Exclamant, mortale genus, miſerere; poloque
Aſpice, Chriſte, tuos, quos olim divite vena
Ereptos Stygiis in regni parte locaſti.
Verùm alta ſi mente vides, (namque omnia menti
Divinæ ventura patent) nos fœdera rurſus
Sciſſuros pacti immemores; age fulmen ab alto
In noſtrum jaculare caput, priùs ima dehiſcant
Tartara, nos iterum tenebroſis faucibus arctet
Antiquum Chaos, & tenues ſolvamur in umbras;
Præſtat enim bis, terque mori, nigro urier Orco;
Quàm leges temerare ſacras, contemnere Numen:
Tu firma hanc nobis æterno robore mentem.
Interea vires ægris dum ſufficit humor
Pęonis, & triſtem pellunt medicamina peſtem;
Luna revertentes iterùm collegerat ignes:
Cum maria incæpit tenui criſpare flabello
Africus, & ſcopulis immurmurat unda canoris:
Illi alacres ventis expandunt vela ſecundis:
Crebreſcunt auræ; feſtoque celeuſmate ovantum
Nautarum intendunt crepitantia lintea venti:
Finditur ære ſalum; fugiuntque per æquora puppes:
Ipſe gubernator clavum regit, ipſe carinas
Flectit ad Ammeriæ littus, (1) Triadoſque propinquam
Tellurem; libycas cupiens vitare procellas,
Æthyopumque plagas; Hìc ſurgens Auſter in iram,
Marmora continuò turbavit, & imbribus axem;
Tùm Rector dextrà velorum cornua flectit;
Declinatque Auſtri flatus, atque arte magiſtra
Circinat immenſum per multa volumina pontum.
Æquora dum rapidis ſpumant ſulcata carinis,
Plurima collato proceres ſermone revoluunt;
Seu ruat orta dies, ſeu nox vaga ſydera pandat:
Hic memorat ſævas, nimbo comitante, procellas,
Oceani furias, & quaſſas gurgite puppes;
Amiſſos alius ſocios ſermone requirit:
Ille polos, axemque notat; labentia Cœlo
Sydera rara videt, Luna regnante per Arcton;
Ille diù, ac ſenior multa verſatus in arte
Aſtrorum, clari (2) Ptolemæi doctus alumnus,
Stelliferi curſum radio deſcribit Olympi;

(1) Inſula Triadis.

(2) Aſtronomorum Princeps Ptolemæus.

Et rapidum imparibus motum notat intervallis:
(1) Aſtrolabo intentus cœlo ſuſtollit ocellos,
Ac circumducens, oculo moderante, Dioptram,
Aut Helicen, Aquilamque videns, tardumque Bootem;
Aut Cycnum ſignat tranſactæ tempora noctis.
Jam caput Occano, redivivaque lumina Titan
Tollere, & obductum properabat pandere cœlum;
Cum medio apparet pelago ſublimis aquarum
Extolli cumulus, curvari montis & inſtar:
Ingens excelſo conſurgit vertice pontus
Et tumidum cœlo caput effert: qualis Olympi
Summus apex, circum fluidi nova culmina montis:
In varios veluti colles conſurgit aquoſis
Verticibus Nereus: jam montis culmina findi
Incipiunt; fracti deſcendunt vertice fluctus:
Atque ingens pelago moles caput exerit imo.
Plurima quam circùm Cæte capita ardua tollunt
Portenti genus inſolitum: concuſſus aquarum
Fractarum globus immugit, clamoribus unda,
Obſtrepit; & longe ſpumat mare: palluit ipſe
Nereus: erupto fluitantis vertice molis
Immenſum Cœlo flumen ſe vibrat aquarum,
Horrendiſque polos, pelagumque fragoribus implet.
Non tantus, regnante Noto, fragor horridus undas
Jonii, Siculique freti diſturbat, & altam
(2) Leucopetram ſpumoſa ferit gravis ira procellæ:
Nec latus Auſoniæ cum verberat Adria, & omni
Juppiter arce tonat: latè ſuccreſcere ponto
Undoſas nullo moles Aquilone furente:
Mirantur Nautæ attoniti: Quà gurgite rector
Tentet adire viam, pavidaſque impellere puppes
Anxius ignorat: damni præſaga futuri
Corda pavent procerum: Neptunia regna tumultu
Vexet, & inſolitas peperit quæ gurgite moles,
Cauſa latet; cauſam in diſcrimine noſcere non eſt
Mens potis, inſoliti prorsùs ſtupet inſcia monſtri.
Interea rector meminit (finxere Pelaſgi)
Æquoris Ægæi medio tumuiſſe profundum:
Atque novas olim (3) Cycladas peperiſſe virentes
Purpuream ſaxis Myconem, Gyarumque nivalem;
Fatidicam toto quæſitam gurgite Delon.
Eſte hilares, inſit ſocii, ſpe captus inani,
Magna equidem nobis pelagus ſpectacula præbet;
Dum terras alias, alioſque è fluctibus Orbes
Exerit, & nova ſydereis caput invehit oris

(1) Uſus Aſtrolabii ad inveniendam Noctis horam ex Syderum obſervatione.

(2) Brutiorum Promontorium Capo dell'Armi.

(3) Inſulæ in Archipelago.

Orty-

(1) Ortygia, & circum Cyclades quam mille coronant.
Incæptum tentemus iter; nos gloria tanti
Expectat facti, noſtrumque ad ſydera nomen
Extollent feri ventura in ſæcla nepotes.
Haud mora, remigio inſiſtunt, veliſque miniſtrant.
Jam propiùs puppes ibant; (mirabile viſu)
Cernitur extemplò, turritâ mole, moveri
Inſula, fluctivagæ circum colludere cautes;
Undoſum reſonare ſalum; ſpumeſcere fluctus:
Horrenduſque procul mugitus verberat aures.
Hinc monſtro ſimilis; monſtri mox vera marini
Apparet ſpecies, fluitantque per æquora longè
Agminibus denſata ſuis immania monſtra.
Hei mihi: tunc gemuit puppi Palinurus ab alta;
Quis furor: Hei miſero! vel quæ dementia adegit,
Sponte mea, atque volens tanto occurſare periclo?
Eheu! quæ miſeros monſtris fortuna marinis
Objectat, cogitque famem ſaturare ferarum?
Eia, Eia ò ſocii tantum vitate periclum;
Et celeres retro clavum torquete: ſed illi
Horreſcunt viſu in medio, calor oſſa reliquit:
Et riget in venis ſanguis: timor ilia pulſat
Dum novus hoſtis adeſt; & triſtia prælia tentat;
Ingens namque ſuis emittit naribus alto
Diluvium Cœlo, atque obnubilat æthera fluctu.
Extemplò mutati animi, vultuſque repentè
Palluit; in triſtes vertuntur gaudia luctus:
Non ſecùs ac populi, ſi quando prima triumphos
Fama tulit; plauſu exiliunt, totàque vagantur
Urbe viri, lætique canunt præconia palmæ:
Credula ſpes nutrit populòs, & gaudia mendax
Rumor alit: trepidus ſi mox pervenerit urbi
Nuncius, & victas acies, fuſa agmina narret;
Hoſtileſque addat properare ad mœnia turmas;
Continuò turbati animi, geliduſque recurrit
Oſſa pavor; timidaſque replet formidine mentes:
Omnia turbantur; pavidam timor occupat urbem;
Non patrios munire lares, non agmina contra
Ire hoſtem, aut validis muros ſtipare maniplis:
Non plebem denſare foro: non cogere Patres
Concilium; aut patriæ curant arcere ruinam.
Sic (dictu mirum) nautæ, rectorque repentè
Attoniti cecidere metu dum ingentia monſtra
Anteque oculis videre ſuos: fremit æquore toto
Squamoſis monſtrorum ingens exercitus alis:

(1) Inſula in Ægæo, alio nomine Delos.

Turritæ ſtrident horrendo murmure Phocæ:
Incipiunt ululare Canes: immanior Orca
Immugit; terrore polos, & cærula replens:
(1). Belluæ marinæ admirabili magnitudine, quæ aquam faucibus hauſtam tantâ copia in altum effiant, ut veluti denſiſſimùs, quidam imber decidens, conſpectum circumquaque eripiat.
At (1) Phyſeteres ſimulantes nare cylindros,
Vorticibus vibrant alternis flumen aquarum:
Inſequitur Piſtris ſquamoſis Nerea pinnis
Percutiens, partemque ſuo maris evomit ore;
Æquoreique ruunt contra denſo agmine Tauri.
At præit, Heſperiis nunquam ſpectata ſub oris
Bellua, lernæa nimium crudelior Hydra.
Monſtrum horrendum atrox; cui quot ſunt vertice nares,
Tot patuli ſurgunt ſinuoſo tramite fontes,
Queis revomit fluctus, æquorque refundit in æquor;
Horrendum ſtridens cœlo ſe vibrat aquæ vis,
Ac majore ruit præceps ſtridore per auras:
Quot dorſo rigida conſurgunt cuſpide ſpinæ,
Ferratæ totidem pinus; quot tergore ſquamæ,
Scuta tot, horrendum quibus impenetrabile dorſum eſt:
Præruptus veluti vertex caput eminet; antrum
Os immane refert; ſubter (mirabile dictu)
Quot dentes, haſtæ totidem, totidemque ſecures
Horrent; Dii pelago tales avertite peſtes.
Jam propiùs præceps ſquamoſis bellua turmis
Adventat, claſſique acies inimica propinquat:
Cum ſubitò nautarum ingens ferit æthera clamor,
Auxilium ſuperos, & Numina voce rogantum:
Advolat en Divus, monſtroque eſt talibus uſus:
I' celer, atque aliis occurre ſub æquore prædis;
Jamque undis immerge caput, ne torvus euntes
Territet aſpectus; jubet hoc qui temperat æquor,
Qui cœlum terraſque regit. Tunc bellua dictis
Paruit, immani repetens cum gente profundum.
Frigida tum primùm pulſus pavor oſſa reliquit:
Omnia lætitiæ cedunt: Saberus ad aſtra
Concordi plauſu, & feſtivo murmure fertur.
Ergo hilares curſum inſtaurant, cava gurgite pinus
Ocyus it vento, & fluctus vorat ære tridenti.
Bis novies Titan luſtrarat lampade terras;
Cum pelagi tractu magno, cœlique remenſo
Orta dies, vento nunquam laxante rudentes,
Tellurem oſtendit Triados de nomine dictam:
Hinc Garam retro, Nereo ſpumante, reliquit:
Purpureamque legit Vaziam: tres inde ſiniſtra
Deſertas pelago radit ſine nomine cautes.
Provehitur longè claſſis, geminoſque virentes

Tranſ-

Digitized by Google

Transmittit Picos: hìc circulus eminet alter
Solstitii; & Libyes hìc terminat ora perusta:
Altera temperie, & tepidis felicior astris;
Frigoris, & flammæ medium quę possidet orbem
Adversa sub parte poli plaga luce coruscat:
Est alia hìc cœli facies, extraneus orbis
Panditur, & rerum surgit contrarius ordo:
Permutat Natura vices, atque omnia versis
Procedunt rebus; nam cœlo nulla sereno
Hìc Cynosura micat, quæ nautas dirigat alto
Fida mari, signetque viam; tardusque Bootes
Non septem cogit pigros ad frena Triones:
Dum nobis vario gemmantia prata colore
Ver pingit, teneras Zephyris spirantibus herbas
Omnigenum in florem color explicat; æmula cœlo
Nais purpureo convestit germine campos:
Hìc largas Autumnus opes, & mitia poma,
Atque alios spargit fructus, & ruris honores.
Flauus & irriguis prælis despumat Jacchus
Ambrosiæ fundens latices: dum Bruma rigescit
Imbribus, & sævis Aquilonibus aspèrat undas,
Tunc tranquilla dies, rutilis & clarior astris
Hìc polus irradiat: ponunt defessa furorem
Æquora: & Eoi spirant clementius Euri:
Flavescunt campo segetes, fervoribus Æstas
Urit agros: Matura Ceres indurat aristas.
Dum nobis oritur Titan, tunc mergitur illis:
Dum nos optatos per amica silentia somnos
Carpimus, exercent illi sua muncra; Arator
Invertit terram; multo sub fasce Viator
Ingemit, & dura quèritur sub sorte labores:
Inversis calcant nobis lata æquora plantis,
Unde illi Antipodes Grajo stant nomine dicti.
  Cum primùm terras alieno sole pertusas
Intrarat, niveamque mari transmisit Achuncam,
Et Gitalicis aquas jam devorat ære tumentes;
Sic ait, assurgens puppi Palinurus ab alta:
  O' docti frenate rates, & plena sinistris
Vela Notis laxate manu; demittite malo
Antennas, madidosque vado curtate rudentes:
O' Socii nunc tempus adest tentare magistra
Quantum ars, quidve animi possint, quidve æmula virtus:
Magnanimi revocate animos: sua munera quisque
Lætus agat: dictoque volens data jussa faceßat:
Nam (nisi me fallit depictus imagine mundus,

Astra

Aſtra nec eluunt, nec multum circinus errat;)
Eſt prope mons nimbis creber, gelidiſque procellis:
Jam caput horrendum, Libyæque Ceraunia turgent.
Vix ea: cum nautis metuendus Gamais undis
Eminùs apparet: luctantur cardine venti
Adverſo: Libyæque polo Acroceraunia ſurgunt:
Horrendùm reſonant Cautes: fremit Afra Caribdys:
Scylla latrat, naveſque vorax rabido ore dehiſcens:
Dat pavidos nautas canibus lacerare marinis.
Ut ſaxis ululare feras, cæciſque cavernis
Æquoreos latrare canes, maria alta ſonoris
Perturbata Notis, illiſas cautibus undas,
Sylvarumque ſonum puppi Palinurus ab alta
Auribus excepit patulis, his vocibus infit:
Nunc opus, ò Socii, priſcas aſſumite vires:
Iſte citi, ventis date vela, & ſcandite malos,
Obliquate ſinus, dextros laxate rudentes:
Quod modo vos monui: nec me mea cura fefellit;
Nec montis depictus apex, nec Circinus æquo
Decepit ſpatio, ſervataque ſydera curſu.
Ille tenebroſis obtectus nubibus æther,
Qui micat interdum improviſis ignibus inter
Obductos horrore polos, horrendaque crebris
Fulmine nunc aperit dejecta Ceraunia flammis:
Hoc caput extremum Libyes, quo Cafrica tellus
Paulatim fugiens cuneata recurrit ad Auſtrum:
Hic inter ſe ſe obluctantes prælia miſcent
Crudeles venti, Coruſque, Notuſque procellis
Horridus, Auſter atrox, altàque Propontide vectus
Thracius; Eurus equis ſtrepitat furioſus Eois:
Nec mora, nec requies, concurritur undique flabris
Nimbiferiſque alis: geminuſque refringitur atris
Syrtibus Oceanus, ſpumis bis terque refuſus
Aglomerat Nereus undas; fluctuque tumenti
Attollit Caput; & Cœlo ſe ſe arduus infert:
Hinc præceps ruit; & nigrum petit unda barathrum.
Hæc fatus: ſubitò dextram petit ille; ſimulque
Dextram cuncta cohors flexo temone petivit:
Gamaidem læti ſuperant, vitantque procellas;
Et Cuncti immanes Libyæ execrantur arenas.
In Boream, verſo Rector temone carinas
Dirigit; & Præſias alacer contendit ad oras:
Infidæ retro Cautes, Syrteſque latrantes
Aufugiunt; legitur ventis Algòa ſecundis;
Et fœta horrendis Nathalidos ora procellis.

(1) Praſum, Capo delle Correnti Promontorium in ora Æthiopiæ, inter Moſambicum & Promontorium Bonæ ſpei

Hinc

Hinc medio apparet fluctu nemorosa Pichelis:
Ceruleæque mari surgunt fastigia Zenes.
Totaque ab Eoo sic raditur ora Libyssa;
Jam medium Titan signorum legerat orbem;
Cum ponto tollente caput Pyroente repexum,
Tot pelagi furiis, & tempestatibus actus
Saberus tandem Prasiis allabitur oris.

SABERIDOS
LIBER III.

Argumentum.

Templa petit Prasias Heros delatus in oras,
Et longis noctem precibus traducit, Olympo
Donec ab æthereo se se obtulit Aliger; Indos
Extremos petat, hortatur, Chrysemque repostam.
Mane facit Saberus, opemque exposcit ab Axe,
Et Sacram Cererem primoribus exhibet; illi
Aptandas naves curant, Ægrosque levandos:
Et seno tandem Prasio de litore mense
Discedunt: pelago elapsi tenuere Melindam;
Inde tenent etiam Zocotoræ litora: classem
Huc Prætor jussit socios appellere; at Heros
Edocet hic populos legis pia jura latinæ.

EST in conspectu Libyæ telluris, adurgens
Qua celeres Titan ad lucida fræna Jugales
Oceano emergit; radiisque nitentibus orbem
Induit, & currum cœli ad capitolia vertit;
Insula parva situ, Prasiis habitata colonis:
Contra elata mari respondet Tharsia tellus
Insula dives opum, Solymæ dum regna manerent;
Jessæusque daret populis mandata subactis

Indiæ Populi. Metropolis Palibrotan de qua Plin. lib. 6. cap. 9.

David

David ; vel ſolio Salomon regnaret avito :
Nunc populi coluere truces : præcepta tyrannus
Dat genti Acarabus Mahometis ſigna ſecutus.
(1) Inſula Sancti Laurentii. Ipſa Praſus (1) Cernæ quondam conjuncta ſuperbo
Paruit Acarabo ; gemmis quo ditior alter
Eoos inter Reges, vel fortior ullus
Non eſt, qui vaſtis Libyæ imperitaverit oris.
(2) Tharſia, nunc Sancti Laurentii Incolis Madacaſcar. At nunc (2) Menuthides dirà haud ditione tenetur ;
Sed partim Tamaro paret, qui corpora geſtat
Mole Gygantea, Cami de ſanguine cretus,
Numina nulla colens ; quin & Mahometa nefandum
Nec colit ; at ſimulat, vult & coluiſſe videri :
Lyſiadum partim Regi ; pia ſacra, Fidemque,
Chriſtiadùmque tenet ritus, Legemque fidelem.
Non locus eſt aptus pecori, nec bobus habendis ;
Nec cultu arvorum, nec multo fertilis auro :
Non gelidi fontes, non culta virentia circum
Flexibus obliquat ſe ſe chriſtallinus humor :
Bullantes nec fagus aquas radicibus ipſis
Protegit, ardentes umbra nec temperat æſtus ;
Namque ſubeſt Cœlo, medium quà torrida Zona
Cingit, & aſſiduas jaculatur vertice flammas.
Fida tamen ſtatio Praſiis concluditur undis,
Puppibus & tutum longo curvamine portum
Dat littus ; geminæ tranquillant æquora cautes.
Pellit ab Arctoo perflantes ſede nivoſa,
Odryſios Boreas : vireſque Erimantidos Urſæ
Dextera, & abruptis propulſat Nerea ſaxis :
At contra Libyci furias, Eurique ſiniſtrà
Aſſurgit Caurus ; ſic tutus clauditur omni
Parte poli, ſtatio nautis gratiſſima, portus ;
Prærupta de rupe micat Pharus æmula lunæ,
Nocte viam, curſumque regit : ſtat littore primo
Arx tripliei munita foro, triplicique recincta
Murorum gyro : circum per mænia turres
Lunatæ firmant arcem, vallumque tuentur :
Hanc rex Lyſiadum ; (geſtis fortuna ſecundis
Cui dedit imperium Matutæ ferre ſub axem ;
Auriferoque Tago ſocios aſciſcere Gangem,
Gemmiferumque Indum ; celeres cui gloria pennas
Explicuit, meritique viam patefecit olympi :)
Ædificari alto ſcopuloſi vertice ſaxi
Juſſerat, & validos armato milite muros,
Complerique cavis vibrantibus ore metallis
Fulmineos per inane globos, ùt lentus inertem

Dum

Dum brumam terris immittit Carcinus, alto
Dum pelago desævit hyems, dum frigidus astris
Jupiter horrescit nimbis; & aquosus Orion
Æra permiscet, Nereique exasperat undas,
Oceanusque furens, & non tractabile cælum
Intercludit iter; tutò hac statione residant
Defessæ pelago puppes, portuque quiescant;
Donec aquis redeat facies: iterumque sereno
Purpureus micet axe dies; flabroquo sonoro
Sibilet, & classem optatus vocet Auster in altum:
Ut primùm læti portum subjere carinis
Lysiades, strepitu plausere metalla canoro:
Arx geminat plausus, festisque timoribus undæ
Respondant, tutâ trepidant formidine cautes.
Inde coronatis cedunt ad litora proris
Remigio celeres, vertuntque ad mœnia puppes;
Tuta sinu Classis concluditur omnis amico.
Saberus, primique duces, & Lysia pubes
Navibus egressi, portuque, & classe relicta,
Vota soluturi supremi ad Numinis aras
Littora curva petunt, gressusque ad mœnia tendunt;
Jamque propinquabant muris, templumque subibant
Assyrios fumos, Nabathæaque thura ferentes:
Et pictas auro tabulas, & pinguis acerræ
Munera, & intextum pretiosis Vestibus Aurum;
Bacciferamque Thetin, gremiumque rubentis Erythræ:
Magnanimus prætor pietate insignis avità
Nomine Martinus Sosano è sanguine cretus,
Marte potens, atque acer equis, generosus & armis,
Quem Rex Lysiadum procerum è tot millibus unum
Delegit, jussitque Indis dare jura subactis;
Cæruleis seriem ex adamantibus, atque pyropis
Contextam defert, Thetidosque rubentis alumnas;
Illustresque duces circumfusi ordine longo
Ad sacra regales portant donaria gazas.
Templum ingens mediis extructum sedibus urbis
Regifico surgit luxu, pretiosaque sumptu
Machina, turritus vertex ardentia pulsat
Sydera, campano circùm tonat ære canoro:
Porticibus redimita suis, pariisque columnis
Moles fulta nitet: paries de marmore fulget:
In foribvs splendent saxo variata vetusto
Labra duo, sacris semper rorantia lymphis;
His se se abluere, & frontem munire solebant;
Et tenues animi labes demergere fluctu:

Dein animare focos, ubi sacros thuris odores
Ardebant cœlo; & superos in vota vocabant:
Jamque patescebant regalis limina templi,
Et fora lustrabant populi, festoque tumultu
Agminibus densata ruit gens tota per urbem:
Regia templa ducum magno comitante Senatu
Intrat Saberus; Prætorque, & cuncta juventus
Nobilium stipata choris, cœtuque canoro
Plaudentum ad citharas, & carmina læta canentum.
Atque hic pronus humi sacris advoluitur aris
In genibus supplex, junctas ad sydera palmas
Extollit, multaque Deum sic voce precatur:
Summe Pater, soli rerum cui summa potestas
Semper honos, nomenque tuum, laudesque per orbem;
Oceanique sinus, extremaque regna ferantur:
O' mihi si centum faciles in carmina linguas
Oraq; si centum mihi solvere posse liceret,
Ut tibi summe Pater meritas nunc reddere grates;
Conarerque tuum super æthera tollere Nomen:
Quo Stygię cecidere manus, Lemuresque rebelles;
Et nos incolumes Prasias devenimus oras.
Hæc dicens, cumulat sacris altaria donis.
Vota soluturus: redolent altaria fruge
Assiria, & latè Nabathæo munere fumant:
Plurima sed postquam superis est gratia Divis;
Divorumque Patri: tumulo Saberus ab alto
Sic ait; o socii, cum primos crastinus ortus
Extulerit Titan, auroque asperserit orbem;
Dum volucres ad sacra vocant delubra, venite
Mane salutatum Numen; summoque Parenti
Dilecti corpus, sacrumque offerte cruorem:
Interea, (rutilo nam surgit Vesper olimpo)
Ire licet, defessa thoro componite membra.
Hæc ille: & procerum magna stipante caterva
Prætor abit: temploque omnes cessere relicto.
Ipse autem, interior quà pars penetralia claudit;
Abditur, æthereà ut foveat dulcedine pectus;
Atque imis fusum Numen bibat usque medullis:
Magnanimùm monumenta virùm, pia gesta Sacrorum
Heroum tacita secum sub mente volutat:
Dumque solo stratus palmas ad sydera junctas
Elevat, arcanosque bibunt præcordia sensus.
Divorum pietas animo, multusque recursat
Gentis honos; & dia lacessit adorea pectus,
Et stimulis urget mentem; ut pia gesta sequatur
Magnanimùm Heroum, qui tot retulere triumphos

Et

Et patriæ fines, & amati littoris oras,
Spemque omnem rerum, & charos liquere Penates
Vasta peragrantes extremi limina mundi:
Unde oriens Titan è fluctibus excitat Indos,
Quàve cadens celeres undis defessus Iberi
Abluit alipedes: libratus cardine summo,
Quà ferit Æthyopes rapido sub sydere Cancri:
Et quà longinquum cernens terra aspera solem,
Sentit Hyperboreas glacies, montesque nivales.
Spontè procellosi petiere minantia ponti
Æquora, nec dubio timuerunt littore Syrtes;
Barbaricas adiere plagas, Garamantas, & Indos
Assueti contemnere opes, contemnere honores,
Et duram tolerare famem, parvoque beati
Pauperiem, atque omnes Erebi vicere labores;
Scilicet, ut terras redigant sub sceptra Tonantis:
Avertant Erebo prædas: cœloque paterno
Transmittant reduces animas Acheronte subacto:
Dum secum hæc memorat, curis jam saucius Heros
Vulnus alit venis, & dio carpitur æstu:
Ac veluti multo Cretensis cerva calore
Dum sitit, aëreo cursu nemora avia lustrat
Flumina amata petens, nimium queis temperet æstum;
Hùc, illùc fertur, nec cessat flectere cursus;
Donec ad optatos pervenerit ignea fontes:
Haud aliter dio flagrans Saberius igne
Quærit anhelus aquas, optatque remittere flammas
Accensi cordis, charoque explere cruore
Pectus amore avidum, sitibundaque lumina fletu.
Ocyor assurgit vento, & sua lumina circùm
Vertit; & explorat vacuæ penetralia sedis:
Cuncta videt, templique simul notat omnia visu,
Si quem fortè modum inveniat, quo mitiget æstus
Pectoris; & nimium rapidos refrigeret ignes:
Optat amans sævo corpus domuisse flagello,
Et latos maduisse suo de sanguine campos
Divorum exemplum recolens, mortemque Tonantis;
Magna quidem exempli vis est, nec fortius extat
Quod mentes acuat stimulis, atque excitet æstum.
Fortè tamen stabat suspensum è pariete flagrum,
Quo se verberibus consueti cædere crebris,
In sacri quoties socii penetralia templi
Iratum placare Deum, veniamque precari
Demissi intrabant animis; hìc cæde cruenta
Contractes scelerum labes, mala cuncta refuso

Sanguine delebant; (Verâ hæc medicina malorum eſt:)
(1) Eſt opus horrendum, triplici de fune retorto
Compactum, nodiſque freqnens, & ſentibus horret
Æratis, rigidiſque rubis, atque horridus intus
Æneus axis ineſt, radiis armatus acutis;
Contextumque riget jaculis, multaque rotarum
Formatur ſerie, lamnis grave pondus ahænis.
Ergo ille (interius cor exedit ignifer ales)
Impatiens validos animi compeſcere motus
Ulteriùs, rigidum vellit de pariete flagrum;
Et veſtem fragilem, & tenuem deponit amictum:
Denudat linis humeros, & pulſibus aptat:
Hinc rotat acta manu ſtridentia flagra catenis
Dulcibus horribilis furiis, ictuque ſevero
Artubus inſultat teneris; atque axe trilingui
Candida terga ſecat, nervos terrore trementes
Verberibus lacerat, radiiſque cruentat acutis,
Ingeminatque ictus, & vulnera vulnere cedit;
Langueſcunt vires, langueſcit verbere corpus;
Sed generoſa animi neſcit langueſcere virtus:
Haud mora, terribiles ſuccedunt ictibus ictus;
Non tantus cœlo deſcendit grandinis imber,
Undique cum ſævis Aquilonibus arva rigeſcunt:
Dant animum plagæ, geminatur vulnere vulnus:
Omnis ab aſſiduis reſponſat pulſibus ædes:
Sanguine terra madet: paries jam purpurat albus
Sanguineis maculis: plagæque dehiſcere circùm
Incipiunt humeros: quaſſâ compagine nervi
Diſſiliunt, gelidoque labant genua ægra tremore:
It per membra cruor, rorant in ſanguine funes,
Deficiunt manibus vires, & anhelitus ori
Fit creber, totis ſimul artubus ingruit horror.
At non ille pavet; ſed ferrea flagra reſumit;
Terga ferit rursùm jaculis, dextramque morantem
Increpat; & vires geminatis ictibus addit.
Non ſic horrificum quaſſat Bellona flagellum
Ægidis objectu, ſi quando ad bella Gradivus
[2] Biſtonas immittit; ſubitoque aſſurgere valles,
Cædibus oppletas ſpectamus, & undique campos
Purpereis ſpumare vadis: funeſta cadentum
Corpora, & abſciſſis lacerata cadavera membris,
Sanguineos inter rivos, inter lacrymarum
Eheu naufraga membra! Quid ò quid verbere ſævis?
Nil laceros artus, nil triſtia funera curas?
Heu ſtragem immanem! O! laceros crudeliter artus!

(1) Atrociſſimi Flagri accurata deſcriptio.

[2] Populi Thraciæ ſic dicti à Stagno, quod Biſtonium vocatur

Par-

Parce, precor maculare manus; ah parce cruori:
Membra, viden, lacerata tremunt, jam penè labat cor;
Quid queror ô demens! Intus præcordia fervens
Quid non tentat Amor? Quid non pia pectora cogunt
Magnanimùm monumenta virùm? Quid ſtipite duro
Suffixum, & multo diſcerptum vulnere Numen.
Ergo fluat ſanguis: madeant in ſanguine terga,
Purpureique humeri: fundatur mixta cruore
Vita: peregrinas animus vaneſcat in auras;
Sic Pietas, ſic chara Fides, ſic imperat Ardor.
Poſtquam purpureo rorarunt flagra cruore,
Udaque ſanguineis fluxerunt corpora guttis;
Defeſſus tandem claudit ſua lumina ſomno,
Invito; fragilique thoro membra ægra reclinat.
Prævius Eois Matutæ Phoſphorus undis
Exierat, lucem referens mortalibus almam;
Saberus ſubitò diſrumpens corde ſopores
Aſſurgit ſtrato, & Numen de more ſalutat;
Carmina dia canens, (quæ quondam carmina Vates
Jeſſæus ſacri cecinit Jordanis ad amnem,)
Numinis ante aras ſupplex in genua recumbens:
Mox pia tergeminis offert ſua munera votis,
Demiſſuſque animis tenui ſic voce profatur.
Tu mihi nunc adſis Diuùm Pater, atque hominum Rex;
Si qua tenet te cura mei, ſi gentis Eoæ;
Da faciles aures, votiſque aſſueſce vocari
Dive meis, noſtriſque volens allabere cœptis:
Da Pater omnipotens terras penetrare repoſtas
(1) Seriadum, & centum Chryſorum appellere regnis;
Te duce, jam liceat littus penetrare Siami,
(2) Mogolin, Rhamnaſque vagos; Indique fluenta:
Monticolas luſtrare Baras, & gemmea Gangis
Littora, Bepyrri celſum trans culmen, & ultra
Mæandri radiis juga ſubdita matutinis.
Ipſe tibi ſupplex ingentia templa dicabo,
Aſſyrios ſpargam fumos altaria circùm.
Ah liceat ſacros aris imponere honores
Littore in eoo; da feſtas ducere pompas;
Et celebrare tuum ter flexo poplite Nomen.
Da Pater ignotos Americæ inviſere fines,
Et cultus inferre tuos; licet illa repoſtas
Jactet opes, quamvis auratas volvat arenas
Unda ſinu: verùm patrio ſordeſcit in auro:
Undique barbaries dominatur, & undique dumis
Arva rigent; homines ſine lege, & rege vagantur.

(1) Populi Aſiæ ultra Sinas.
(2) Imperium Magni Mogol,

Æthe-

Digitized by Google

Ætherei obliti generis, similemque Tonanti
Divinum traxisse animum, mentemque potentem:
Humano agrestes nequeunt mansuescere cultu.
O' mihi si detur Christi submittere sacro
Barbara colla jugo, latiisque adscribere fastis
Quot Scythiam Populi, & Tanaim coluere remotum,
Tristis ubi gelidis passim devincta lacunis
Terra gelu friget: stygiis tamen impia flammis
Corda calent hominum, quos primo perdidit ortu
Prisca lues Generis falso præcordia sensu
Immulcens, cypriisque armis sociata voluptas:
Inde referre pedem liceat, Furiisque subactis
Tollere signa manu, & sacri vexilla Quirini
Trans Asiæ fines: olim ò terra inclyta regnis,
Prima hominum sedes, generis mortalis origo
In te prima fuit; tu patria sola Supremo
Chara Deo, nam divino dignata cruore es.
Quid tamen ista juvant si te caligine densa
Nox infesta tenet? si te spes nulla salutis,
Nullus amor cœlestis habet? sed cœca sub umbras
Tartareas, Manesque ruis; deliria mille
Mille sequens fera monstra Deùm, quibus impia solvis
Munera; nec supplex horres imponere honores.
O' me felicem, si ritus ferre latinos
Trans metas, Ægypte, tuas; Libyæque repostos,
Æthyopumque sinus possem, qui lampade quantùm
Æthereà, tantùm divino à sole calerent.
Verùm Titànis radiis ambusta propinquis
Ora rubent, dum corda rigent sub pectore nigro
Immites populorum animæ, & præcordia duro
Marmore facta latent: rabidos feritate Leones,
Immanes rabie tigres, genus omne ferarum
Barbarie superant: sævam mitescere gentem
Si tandem aspicerem, caderem data victima ferro;
Aut mea tunc utinam laniarent membra leænæ:
Non ego, quas peperit crudas Hircania tigres;
Qui Nomadum latitant per inhospita lustra Leones;
Quæque venenatæ repunt per Maurica mortes
Arva, perhorresco: mens est audacior illis.
Ibo Deo fidens, rapiar per tela, per hostes,
Ibo; licèt tentanda mihi foret ultima mortis
Alea, non equidem lethi genus omne recuso;
Ut mihi sic liceat Triados proferre per orbem
Imperium, triplicisque extendere jura Tiaræ.
Hæc memorans, longo fletu simul ora rigabat:

Ecce

Digitized by Google

Ecce autem volitans cœlo deſcendit ab alto
Nuncius, atque auras findens victricibus alis
Saberiden heroa petit, tum ſpargit odorem:
Ut contra ſtetit, & divina in luce refulſit
Os, humeroſque Deo ſimilis; namque ipſe decoram
Olli Cæſariem Omnipotens, lumenque juventæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.
Qualis ab Oceano ſurgens crinitus Apollo
Effulget; ſubitò tenebris Oriente remotis;
Haud aliter tacità ſubtermicat Aliger æde.
Extemplò obſtupuit viſu clariſſimus heros;
Et ratus eſſe Deum, qui claræ lampadis inſtar
Undique fulgebat, ſupplex ſe abjecit: at ille
Deſine, nec famulum ſupplex venerare precando;
Nam dominl unius juſſis paremus uterque.
Dixerat: at contrà ſic eſt Saberius orſus.
Haud equidem talem (nec me ſententia fallit)
Eſſe puto, cui tantus honos præfulgurat ore,
Cui caput auricomum ſtellata cyclade fulget,
Cui ſoles duo fronte micant, cui gratia labris
Omnis ineſt, gena cui nitet immortalis in ore:
Non tua vox hominem ſonat. O' Vis magna polorum.
Sis felix, noſtrumque leves de corde timorem:
Audi vota volens; inceptum perfice munus:
Auriferis tandem da proram appellere ripis;
Ante tuas multum tunc thus adolebitur aras.
Tunc ille; Haud equidem tali me dignor honore:
Spiritibus ſuperis mos eſt, velamine fićto,
Ac tenuem aëreis animum veſtire figuris;
Purpureis humeros alis, & crura cothurnis
Cingere cæruleis; pedibus talaria celſis
Nećtere, dum Patris magni parere ſupremo
Imperio juſſi portant mandata per auras:
Et tibi me cœlo Aligerum tot millibus unum
Dimiſit Pater Omnipotens, ut triſtia curis
Corda levem; rerum ſeriem, venturaque pandam:
Eia age mećte animis, quo te rapit igneus ardor
I, pete; concordes intendent carbaſa venti:
I, fortunate, & dias moderare phalanges:
Et Loyolæas acies in prælia victor
Inſtrue, dum patrios ultrò liquiſſe Penates
Juvit, & Auroræ fines penetrare repoſtos:
Aggredere; & cæptis nimium confide ſecundis:
Te duce (1) Gangaridum reges, Chryſeſque tyranni
Submittent Latio faſces: iterumque receptus

(1) Gangaridæ hîc Populi Aſiæ inter Indos.

Auſo:

Auſonias Oriens ſupplex venerabitur aras:
Et Tybri Ganges, Tybri famulabitur Indus.
Hæc ait; & celeri fugiens ſecat aëra lapſu.
Aſt ille attonitus ſtetit, & ſua lumina paſcit
Splendore inſueto, vultuſque in lumine figit.
Aſperſos auro crines, auroque decoràm
Cæſariem, raræque decus memorabile formæ
Spectat, & auguſtum generoſæ frontis honorem;
Suffuſas candore genas, mixtumque ruborem,
Vernanteſque viri roſea lanugine malas.
Verùm ubi ſydereos gemma ſeptemplice poſtes
Aliger Empyrei petiit; ſic ille profatur:
O' quæ majeſtas animi! Quæ frontis honeſtas!
Quàm pulcher vultùs ſplendor! Quàm blandus in ore
Ridebat ridente lepor! Quàm dulcis, & undans
Aligeri roſeis vernabat gratia labris!
Quàm grati geſtus! pleno de fonte fluebat
Eloquii torrens, & doctæ copia linguæ
Dulcior ambroſiâ; & dium ſpirabat amorem:
Aligeris ſi tantus honos, ſi gratia vultu
Tanta micat; ſupero quis fulgor ab ore Tonantis
Enitet? aſtra quibus radiis, & luce ſerenat?
Cæperat interea clareſcere luce propinquà
Aurea (1) Taprobane. Nais procul igne coruſco
[1] Ceilan Inſula. Emicat, & montes oſtentat lucida circùm
Solis opes, flammatque crocis; & purpurat oſtro:
Inclyta templa petit procerum dilecta juventus,
Titane exorto; Praſiique in veſte decori,
Eoique ruunt equites, pictique Daphylæ.
Prætorem in thalamo cunctantem in limine primi
Lyſiadum expectant: generoſus ſedibus imis
Aſtat equus, gaudetque aureis ſpumare lupatis;
Ingenteſque animos tollens fremit, & pede pulſat
Tellurem, excuſſæque jubæ funduntur in armos:
Gemmatæ pendent phaleræ, vaga purpura circum
Auratis rutilat fibris, zoniſque coruſcat.
Regia tecta procul jam linquens magnanimus dux
Egreditur, magno procerum ſtipante ſenatu,
Indutus Tyriam chlamydem, multoque decorus
Vellere, purpureo veſtis fucata veneno
Regia terga tegit, fluitant per colla capilli
Electro ſimiles; zephyri fert aura comantes,
Aſperſaſque auro criſtas; caput emicat auro:
Diſcolor ex humeris gemmato baltheus enſe
Pendet, & auratis argentea cingula bullis.

His

Digitized by Google

Hinc Prætor gemmis, multoque coruscus in auro
Alipedis celeri saltu se vibrat in armos;
Atque citans aureis calcaribus Asturconem
Fertur in augustum templum: circùm ordine longo
Hinc proceres, atque hinc turbæ, populique catervæ,
Unà omnes properant matres, castæque puellæ.
Ventum erat ad templi limen, cum protinùs omnes
Templum intrant; dios lustrali ex fonte liquores
Pollice decerpunt, & frontem flumine signant.
Hinc genibus nixi venerabile Pignus adorant:
Intentique sonum expectant procul æris ab alto
Marmore: quo tandem nitidis in vestibus Aram
Ædituùm ingreditur turba præeunte Sacerdos.
Hæc inter totam correptus Numine mentem
Saberides, dum plena Deo sua pectora fervent;
Sacra litare parat (dederat canor æris ab alto
Signa tholo, procereſque ædis jam tecta subibant.)
E' templi latere, & subductà in parte Sacellum
Extructum, libyco steterat de marmore; moles
Exiguis quamquam consurgat fulta columnis;
Verum Phidiaco multùm sudata labori.
Eoâ rutilat gemmâ, & Garamantide gaza:
Aurea Seriadum fulgescunt pariete dona;
Et circùm Tyrio pendent fucata veneno
Velamenta tholo, pictis variata figuris.
Hùc sacra facturi subeunt de more ministri;
Ut se sacrificis componant vestibus, ostro
Purpureo, & multà rutilis Gangaride bacca;
Gemmatosque parent Calices, Cereremque nivalem:
Hùc ubi Saberus penetravit, flumine palmas
Abluit; & supplex felicia Numina poscit:
Mox linum imponit per candida colla repandum:
Lintea perque humeros flectit porrecta minister.
Hinc circumducto sinuosa volumine corpus
Contegit alba clamys, multo spectabilis auro;
Cuspidulis subsuta aureis tegit ultima talos
Instita; perque pedes mentito sente rigescit:
Extensum spirâ simulatum Cestον in anguem
Aptat; & albatam cohibet sub pectore pallam:
Stellatis aspersa rosis, & flore coruscans
Zona cadit, lapsuque pedes aspectat utrosque:
Non directa fluit duplici transversa sub ala
Quadrifido incumbens albata in pectora ductu
Vincta labat; pressatque albam propè cingula byssum:
Haud gravis è lævo descendit Zona lacerto

Pendula; vincta ruit cum nexu palmula duplex:
Demissa ex humeris currens per pectus, & armos
Descendit stellata clamys, quam plurima Circùm
Purpura Mæandro duplici Melibœa eucurrit.
Innexusque puer Bethlæjo regius antro,
Bethlæjum Hyblæis non vallibus invidet antrum,
Nec nemori Assyrio, & Pæstani floribus horti:
Quem pudibunda, genas ostro suffusa decenti,
Ore rubente rosas, & candida lilia puro
Candore exuperans; geminis amplectitur ulnis
Virgo parens, telluris honor, clarissima lampas
Ætheris, & Cœli non aspernabile pignus;
Virgineoque fovet gremio, Sacra oscula libans.
Quin etiam tenui talos discreverat auro,
Et gemmas mira depinxerat arte magister.
Versicolor textu decor, & variabilis ostro
Fulget honos operis, gemmatis fulgurat astris.
Hoc cultu, hoc habitu, gemmis ornatus, & auro
Divinas celebrare dapes, & pocula Patri
Aurea sydereo, Cereremque offerre paratus
Astat ovans Divus: Comites stant ordine longo;
Quorum cuique nitet divina modestia vultu,
Ille præit primus, qui defert thura supremo
Munera danda Patri, sacrisque cremanda favillis:
Gemmatum dextrà, & puro rutilans argento
Vas fluitat; gratumque polis emittit odorem.
Lævà purpereis maculis, atque aspera baccis
Emicat, & stellis fulgescit thuris acerra.
Mox alii sacro facibus radiantibus igne
Incedunt comites. At majestate verendus,
Divinosque gerens vultus, & mentis honestæ
Præclarum specimen, se aris Saberus agebat
Ultimus; & circùm juvenes, sacrique ministri:
Egressi, clarum celso dant marmore signum.
Conticuere omnes, intentis auribus astant.
Illi aras circùm deflexo poplite fusi
Astra petunt manibus, submissa voce precantes
Numina: Sanctamque exoptant cœlestibus Auram
Sedibus allabi; Cœlo spirabile lumen
Demitti, & dio repleri Flamine pectus.
Inde aris propior sustollit ad æthera palmas,
Demissusque animis, humilique in voce Sacerdos
Prævia verba facit. Mariam testatur, & omnes
Felices animas; quæ clara per ætheris arva
Tranquillum Superis traducunt Sedibus Ævum.

Hinc

Hinc sacros memorat fastos : Divosque precatur.
Dein se componit, mediumque altare quiescens
Occupat ; & tacito superis sermone profatur :
Mente Patrem, Genitumque rogans, Auramque potentem :
Totus inardescit : dulci præcordia motu
Subsultant, mollesque fluunt, torrente beato,
Luminibus lachrymæ vvidulis, lux aurea magno
Obnubit splendore caput ; micat igneus almo
Ore nitor. Dulces captantur in aëre cantus
Aligerùm ; superis resonat concentibus ædes :
Tunc Cererem tractat, verbisque potentibus afflat :
Continuò dispersa Ceres, penitusque fugata
In chaos antiquum ; molis stat pensile pondus
Corporeæ ; & nullo vacuum fulcimine fultum.
Sydereæ secreta trahit de sedibus Urbis
Verborum vis magna Deum : Quis crederet unquam?
Ni Deus æternis adytis stellantis olympi
Ipse olim nobis oracla immota dedisset :
Dein calice inflexo arcanas dedit ore loquelas
Sacrifico : Præclara sacri miracula Amoris
Extemplò cratere volant ardentis Jacchi
Ambrosii latices ; At pocula plena cruore
Numinis, æthereo spirant de nectare Christum ;
Christi tantus amor ! Mortali tanta potestas?
Dant subitò signum deflexi in genua ministri
Ære cavo. Populi submissi pectora pulsant
Numen adorantes. Superùm tibi maxime Rector
Devovere animos ; noxasque odere vetustas.
Continuò tutis plausere timoribus arces.
Emicuere ignes, strepitosque dedere metalla,
Ingeminant festos, iterato murmure, plausus
Ænea dum magno replent tormenta fragore
Aëra : & ardentes mittunt ad Sydera flammas ;
Lætitiæ dant signa, & plausus plausibus addunt ;
Numinis obsequio subitò procul ære canoro
Increpuere tubæ ; sonitusque dedere per urbem ;
Cymbala pulsa sonant, & crebris pulsibus aures
Permulcent, modulis ægyptia sistra stupentes
Dulcè fovent sensus ; & vires mentibus addunt
Vertuntur duplici genialia nablia palma ;
Pulsaque plectra sonant, reboant concentibus auræ ;
Cunctaque festivo responsant tecta tumultu :
Ingeminat plausus aër, latèque per auras
Discursat vox ; & cœli convexa resultant.
At pius interea complet commissa Sacerdos

Munera; nectareis celebrat convivia menſis:
Inde fluens lacrymis, titubanti pollice ſumit
Numen in exiguo veſtitum frugis amictu.
Tu ne, inquit, generoſus Atlas, qui pollice mundum
Immenſum; & ſuperas ſuſtentas ætheris arces
Te mea, te fragili nunc verſat pollice dextra?
Terrarum, cælique plagas qui numine reples
Parvus in exiguo cereali clauderis orbe?
Tu, nutu qui cuncta creas, verboque potenti
Stare ſolum, voluique polos, diffundere lucem
Aſtra jubes: pennis pernicibus æthere ab alto
Ad mea verba volas? Quid non tu pectora cogis
Dius Amor! Superi tu pandis limina cæli:
Tu mortale genus ſuperis aſcribier aſtris
Poſſe ſinis. Famulum tanton' dignaris honore
Sanctus Amor? (Quis enim dio modus adſit Amori?)
Hæc fatus: niveis immittit Numina labris
Veſca ſuis. Totum redolent præcordia Chriſtum,
Pocula delibat divino fœta cruore,
Dulciùs ambroſiâ ſpirat ſub pectoris imo
Purpureus ſapor, & ſeſe altos fundit in artus:
Inde dapem procerum primis tranſmiſit in ora
Ætheream, quæ certa ſuper medicina malorum eſt.
Inde aras repetens ſolemni more ſacerdos
Munera perſolvit; ſacras deflexus ad aras
Diſcedit latus hinc, atque hinc ſtipante Miniſtro.
Jam procul egreſſus templi de limine Prætor
Inſtaurare rates, ſæviſque erepta procellis
Carbaſa & effractas juſſit ſarcire rudentes.
At ſocios, quicumque (ducem namque illa remordet
Cura magis) vexata trahunt membra ægra dolore,
Curari edicit, reficique Machaonis arte.
Haud ſecùs, ac juſſi faciunt. Pars Pæonis artem
Exercent, tentantque viam reperire ſalutis.
Fornice ſub nigra, & latè fumantis opaca
Rupe ſub Aſclepi medicam ſiccare paludem,
Dulciaque ingratis miſcere liquamina ſuccis
Doctus Apollineâ veſtigat in arte magiſter.
Ille adhibet ſuccos, atque auxiliantia morbo
Gramina, & in Perſis quæſitas montibus herbas:
Hic ſenior tractat niveo ſuccinctus amictu
Pocula fœta roſis, oleoque, atque unguine plena,
Et fronti ſuccos, & faucibus ingerit undam.
Junior ille autem, vittis, parvàque pharetrâ,
Obtectum celans penetranti cuſpide ferrum,

Ut

Ut fallat pavidos, venæque haud inscius ægris
Succurrat; dextrum denudat veste lacertum,
Et morbum simulans scrutari, pollice venas
Purpureo undantes fluvio, tum bracchia passim
Refricat, & calidum plantis irritat ab imis
Sanguinem: ut ille fluens rubrum sinuetur in arcum;
Ceu vitreis præceps longis siphonibus humor
Evolat in superos; ne rerum provida mater
Damnatas vacuo sedes Natura relinquat.
Varix plena tumet; fervet spirabilis intus
Humor, in accensis veluti fornacibus ignis.
Junior at triplici devincit brachia nexu;
Atque dolum simulans, vitta hæc, quam nectimus, inquit;
Expellet labem. Tu retrò lumina verte,
Vel claude; effusus ne te sat noxius humor
Inficiat. Ferrum tacitè mox nudat acutum,
Incautique ferit venas; jam vulnere pestis
Effluit; ejectà hac subitò membra ægra levantur.
  Ast alii evellunt pinos, & montibus altis
Eductas scindunt platanos, ornosque comantes:
Et tabulas jungunt, & nectunt ordine transtra.
Antennas alii, atque amissa aplustria ponto
Instaurant. Puppes pars ostro aspergit, & auro;
Fervet opus; Medio consurgunt æquore turres
Velivolæ: clavisque rigent latera omnia ahænis.
  Jamque soror Phœbi senos traduxerat orbes
Delia, & auratis Aries cum cornibus annum
Vere recludebat propero. Cum cardine libra
Occidit adverso; roseæque per aëra nubes
Nectareis cœlo distillant roribus, alto
Dum surgit Matuta mari, strictisque lupatis
Purpureas agitat velox per inane quadrigas.
Muta silet Tethis: placidi pellacia ponti
Invitat pictas tranquilla per æquora puppes.
Tunc Prætor dare vela jubet, cursumque per æquor
Tentare, & tandem pelagi superare pericla.
  Haud mora: velivolas scandunt magno agmine turres.
Lysiadum primi proceres, tellure relicta,
Scandit & armata stipatus milite Prætor.
Et medius socios inter Saberus ovantes.
Intenti signum per densa sedilia nautæ
Expectant. Cuncti pendent ductoris ab ore;
Ceu pueri attenti mandantis jussa magistri.
(Quandoquidem ludi similem tenuere palæstram);
Auribus excipiunt patulis: præcepta sub ima.

Quæ

Quæ dederit tunc mente locant; mox jussa facessunt;
Incumbunt operi. Virga, vultuque Severo
Excurrit circi medio vigil ipse magister.
Haud secus ex alta Palinurus puppe sonoro
Ære facit signum; portumque, urbemque relinqui
Edicit. Subitò celerem propellit ab omni
Quisque suam statione ratem: jam tota per æquor
Provehitur portu classis, littusque recedit.
Carbasa dant vento; reflexo navita cornu,
Et lævo obliquat pede lintea; celsaque pandens
Suppara, ventorum meliores excipit auras.
Jam portu egressas venti rapuere carinas,
Absconditque fretum classem. Non amplius ullæ
Apparent terræ, Supremi regia cœli
Undique spectatur: spectatur & undique pontus.
Vela regunt nautæ, Zephyris animata secundis;
Rector adest clavo; calybique intentus & astris:
Barbaricos radit fines; secat æquora classis.
Phœbæa novies lustrarat lampade terras
Orta dies, Zephyro nunquam laxante rudentes:
Cum rector gelidas iterùm provectus ad Arctos
Venit, ubi geminis curvo decurrit Horizon
Orbe polis, nocteſque pares jubet ire diebus.
Eminùs è puppi prospexit cella superbæ.
Mœnia (1) Melindæ, Mahometis & arce sacellum;
Tunc Prætor jussit dimitti cornua veli,
Et notas urbes, portusque subire carinis
Ergo omnis noti portus subit ostia classis.
Vix pedibus terræ bibulas Saberus arenas
Presserat, extructum suffixi insigne Tonantis
Forte videt tumulo; tunc pronus poplite flexo
Concidit; & cœli venerabile pignus adorat:
Lætus ovat, superi regis vexilla nitere
Dum videt Odrysias & lunas inter, & Aras
Tartareas, Stygium debellatura tyrannum:
Ter devota truci Mahometi pectora dictis
Emollire sacris conatus, inania terque
Verba dedit vento. Duras obsederat aures
Error, & in mediis penetrarat pectora fibris:
Progenies scelerata hominum Maurique, Arabesque:
Quos intra libyæ fines exosa relegat
Barbaricis Natura plagis; & vivere jussit
Getulas inter tigres, Libycosque leones.
Gens inimica Deo passumque perosa Tonantem;
Et levis ingenio, trux, perfida, docta bilingues

(1) Melinda Urbs perampla in Africa, & Regni cognominis caput.

Ordi-

Ordiri insidias, & barbara nectere fraudes.
Eccuinam tales posthàc domuisse rebelles
Contigerit Populos? Nequiit si flectere diis
Saberus pollens studiis, multoque redundans
Eloquio, & totum spirans de pectore Numen:
Verùm tempus erit, nec multum gemmea distant
Sæcula; nam celeres currunt sub stamine fusi;
Cum nostris cælo conatibus annuet alto
Omnipotens; tantisque favens felicibus orsis:
Debellare dabit lunas, Mahumete subacto.
Jam tandem oceano ter mergens auricomus sol
Auratos crines terris induxerat umbras:
Hinc cùm digressæ pelagus tenuere carinæ
(1) Formosus legitur collis, cautesque (2) Caynæ
Aufugiunt. Mox Janca retrò sinuosa recedit.
Lamenium superant montem, Jungique citatis
Littora transmittunt proris, levis aura secundo
Aspirans flatu propellit carbasa ponto.
Jam medio cœli circo, terræque remenso
E pelago rursus surgentia sydera Plaustri
Rarescunt. Cœlo radiat Cynosura sereno.
Contra ex adverso Centauro nobilis Argo
Præcipitat Ponto. Latet abditus æquore vertex.
Mox retrò nautis (3) Macaja raditur ora;
Et formidandus saxis (4) Magadoxus opacis
Apparet, Resonant longè clamoribus undæ
Hinc tandem vectus (5) Zocotòræ contigit oras.
Non procul Æthyopum, quà surgit (6) Aromata terris
Arduus, & se se ostentat de vertice summo
Inter Erythrei fauces, Tethinque rubentem,
Inter, & Arabiæ littus, camposque beatos,
Quà dives surgens alto de monte (7) Syagron,
Thuriferam celsis (8) Azanam collibus ambit,
Insula parva jacet, quæ nunc Zocotora vocatur,
Dicta olim antiquo Dioscorida nomine Graiis:
Aruorum sterilis cultu, pecorique sinistra:
Non aurum gignit, tellus non gaudet Jäccho:
Non ridet Pomona solo, nec gramine Nais:
Sed tantùm baccis, aloeque viresci amara.
Hùc olim ad fines Arabum trans æquora vectus
Appulerat Didymus (namque est certissima fama)
Cum cursus Erythrà solvens torqueret ad Indos;
Ac dites primi populos lustraret Eoi.
Hùc lapsus, fato Diùum vexilla Tonantis
Explicuit: Stygios domuit, cultusque profanos.

(1) Formosum, Promontorium ubi Mahometis Templum.

[2] Azaniæ Regionis Oppida ad oram Oceani Æthyopici.

[3] Regio montosa contra Zocotoram.

(4) Promontorium in oceano Æthyopico.

(5) Insula in mari Arabico Aloes fertilis.

(6) Aromata Promont. juxta Zocotoram.

(7) Syagron Promont. Arabiæ felicis Capo Saschias.

(8) Regio inter Arabiam, Trogloditicam, & Barbariam, vulgò conte d' Ajan.

Et

Digitized by Google

Et Zocotorinos lustralibus abluit undis
Hi sacros latii ritus, legesque secuti,
Christiadumque Fidem; tot jam labentibus annis
Servarant pacti memores præcepta Quirini
Patris; & augustis scripserunt nomina fastis:
Undique Cocyti rabies, licet undique circum
Impeterent crudi Mauri, Mahometis alumni,
Ut leges vertant sacras. Cum cœlite ductu,
Barbaricas frænatum acies Saberus ab Urbe
Appulit; & trepidas firmavit robore mentes.
Antiquos Fidei ritus, & sacra novavit,
Supremo extolli jussit delubra Tonanti
Quadrificamque Crucem suffixo Numine jussit.
Ast ubi flabra vocant, cursum instaurare secundum
Imperat acciri populum; dein talibus infit.
O' mihi dilectæ gentes, servate fideles
Juratam Christo pacem, pactumque Tonanti
Optatum fœdus: cumulate altaria donis.
Mox teneros patriis animos amplectitur ulnis,
Missurum spondens socios, qui sacra revelent
Numinis; & Stygios domitent victricibus armis.
Hæc fatus, jussit comittere classibus Austros.
Ut primùm puppi signum Palinurus ab alta
Extulit; insistunt remis, & cærula verrunt.
Continuò classis ventosum proscidit æquor;
Pulsaque remigio spumis incanuit unda.
Aufugiunt puppes, latitat sub classibus æquor.
Intentus calybi rector, trans cærula cursum
Eoo inflectit. Scopulos, & cæca sub undis
Saxa fugit. Circum proceres in puppe sedentes
Aspectant mundi tabulas; tunc orsus ab alto,
Depictas radio demonstrat imagine terras.
Cernite; quæ angustis se emittit faucibus: hæc est
Rubra Thetis, nupta Oceano: sed circulus ille
Æquator medium signorum dividit Orbem.
Quas verò innumeras, dispersas gurgite terras
Cernitis (1), Eoi Maldivas nomine dicunt,
Insulæ Oceano in magno, quas mille virentes
Fama canit, sed magna mari circumflua tellus
India; quam nostræ baccata per æquora puppes
(2) Remigio, velisque petunt. Hic mergitur Indus;
Hic Sophus imperitat, domitor generosus equorum.
Cernite felices campos, quos Persidis unda;
Et quos rubra Thetis; quos gemmis ditat Erythra:
Sed spectare juvat si terras, unde profecti;

(1) Maldivæ Insulæ innumeræ, licet parvæ, in Oceano Indico.

(2) Indus, maximus Indiæ fluvius, qui 60. fluvios in se recipit: torrentes autem ultra 100: in eo sunt Crocodilli ut in Nilo.

Cer-

Digitized by Google

Cernite (1) Tarteſſum, & ſepoſtas gurgite Gades:
Lyſiadum campos gemmatis irrigat undis
Dives Atlantæo qui ſe (2) Tagus æquore miſcet;
Noſtra hinc cœruleum deſcendit claſſis in æquor
Eoos lectura ſinus. Celeberrima fama
Hæc eſt Fortunæ, præfert quæ plurima nomen,
Inſula: Se cœlo tollit (3) Teneriffia Rupes:
Hinc procul Heſperides, ditis cuſtodia, ſylvæ
Oceano rutilant: hic tempeſtatibus acti,
Vi Stygiâ Libyæ vitantes torrida regna,
Ad latus Ammeries properavimus: inde relictâ
Gamaide, ad Praſias tuti pervenimus oras.

(1) Tarteſſus Oppidum in fine Hiſpaniæ juxta columnas Hurculis alio nomine Tariffa, & Gaddir, inde adjectivum Tarteſſus, ideſt occidentalis.

(2) Luſitaniæ Fluvius, aureas habens arenas immixtas.

(3) Teneriffia vulgò Monte del Pico in Inſulis Fortunatis.

SABERIDOS

LIBER IV.

Argumentum.

Eois tandem Saberius appulit oris,
Ut Thomas Indis prædixerat: Obvia Divo
Turba ruit: Carmenque canit maturus Aphelides,
Qui ſaxo deſcripta videns oracula Thomæ
Venerat. Exceptus populo Saberius vvante
Templa, Deo grates acturus, ad aurea tendit:
Hinc ſubmiſſus adit, toti qui præſidet oræ
Pontificem; & ſupplex veniam de more precatur.
Ille autem ſolio deſcendens, brachia circum
(Lætitiæ indicium) dat collo, & baſia labris,
Sacra canens populo Saberus, Sydera terris
Conciliat; dictiſque viam patefecit Olympi.

INterea medium ſulcabat claſſis Eoum
Flantibus è puppi Zephyris; vada ſecta carinis,
Et pulſus tumido cantabat gurgite Nereus;
Cum Sol Oceano radiis armatus Ibero

(1) Unus æquorum solis ab ardore dictus.

Efflantem Pyroenta faces, rapidumque (1) Phlegontem
Tingebat, currumque imis mergebat in undis:
Continuò venti siluere: silentibus Auris
Vela cadunt: lento luctantur in æquore tonsæ:
Cœrula muta secant nautæ: Palinurus in altâ
Puppe sedet, curvoque regit temone carinas:
At fusi circùm proceres, generosa juventus,
Ac medius Prætor, per noctem plurima voluunt;
Et sermone fugant somnos, & lumina fallunt:
Numine divino cum fœtus pectora, circo
Saberus medio surgens, ita farier infit:
Audite o socii, magnam mihi mentem, animumque
Inspirat divinus Amor delapsus olympo;
Et jubet, & suadet vobis aperire futura:
Oceanum ut primùm linquens Aurora resurget,
Et roseo virides asperget lumine montes;
Eminus è specula lætus spectabit Alethes
Littora purpureis circum baccata lapillis,
Et Phœbi radiis ardentia matutinis.
Vix ea: cum tacitus descendit ad ima carinæ
Tecta, coronatum quà se de mole sacellum
Attollit cedrina, & sacris micat undique lichnis:
Depictæ circum tabulæ, multæque coruscant
Divorum effigies: medio stat pensilis ara
Virginis, & puerum Virgo complectitur ulnis:
Hìc ille ante aram venerabile Numen adorat.
Cernuus, & patrii meditatur gaudia regni:
Ardens in superos cor exilit, evolat imo
Pectore purpureum super æthera plena Deo mens:
Et videt, & sentit sacri penetralia cœli,
Et quæcumque Deus pandit cœlestibus ultrò
Mentibus, arcanâ recreans dulcedine sensus:
O' mihi, quis memoret! Cœli super aurea raptus
Sydera Saberus quos sacro è fonte liquores
Libarit superùm? calidum quæ gaudia pectus?
Nam neque mortali fas est comprendère sensu
Gaudia Cœlicolûm, fonteſque haurire beatos:
Nec licet augustos Divûm penetrare recessus:
Vos regni proceres oro, vos dicite vati:
Non ego Divorum inconcessa arcana canendò
Pandam terrigenis, propriis in viribus audax:
Nec mea Musa audet tanto se credere ponto,
Nec labyrinthæas incauta intrare latebras:
Aut cæcis errans numquam elapsura tenebris,
Icarium aut certâ casum expertura ruinâ.

In:

Interea fugiens medio nox humida cœlo
Præcipitat, leni suadens oblivia somno:
At Proceres, quoniam sperabant tangere portus;
Cum primùm surgens Aurora nitesceret Orbi,
Insomnes noctem vario sermone trahebant
Donec ad occasum deflexit Delia currum
Visura Antipodas, cum rara intermicat Arctos
Indignata regi: Vix cernitur æthere Plaustrum,
Gnossiaque ardentis languescit stella coronæ.
Et jam Tithonum, tenebris, lunaque repulsis,
Liquerat annosum strictis Aurora lupatis;
Cum procul è specula fidus respexit Alethes
Depressos colles, humilemque in marmore lato
(1) Salsethim: Salsethim alto conclamat Alethes;
Salsethim læto proceres clamore salutant:
Continuò accitur sociis Saberius heros,
Ut cursum, ventosque petat, Numenque secundum;
Haud mora, Regalis subducta è parte carinæ
Saberus puppim lætus conscendit in altam,
Induit & magnum duplici cratera corona;
Implevitque sacris lymphis, Numenque vocavit
Stans celsa in puppi, cœtu stipatus ovantum:
O' maris, & terræ, & superi moderator Olympi
Tergeminum Numen, precor, auxiliare petenti:
Da facilem vento cursum, da littus eoum
Tangere, da tandem portus intrare patentes.
Hostia sacratis tibi multa litabitur aris,
Et tua fulgescent sparsis altaria donis.
Crebrescunt auræ prima sub luce diei:
Vela tument Zephyris, prætervolat æquore classis.
Paulatim oceano surgit Barygasa tumenti,
Assurgunt pariter turres cum mœnibus altis;
Et sensim curvata sinus sua brachia pandit.
Littore in extremo (2) Canarę telluris Apollo
Quà cadit, & longo se porrigit India tractu
Gangem intra, sensimque caput tenuatur in unum:
Parva mari magno jacet insula, mille virentes
Quam circùm arboribus colles cratere coronant;
Dixere (ut perhibent) Barigàsam nomine prisci;
Sed nostri dixere Goam: Nam Marte siniſtro,
(3) Onorno ejecti posuere hìc mœnia Mauri,
Et tutam multis firmarunt turribus urbem
Ingentem, augustam, regionis nomine dictam:
Hanc propè frugiferæ surgunt Salsethidos oræ,
Vitiferi colles, & tellus aurea glebis.

(1) Salsete insula parva cis Gangem prope Goam Urbem.

(2) Regio Indiæ exterioris in ditione Regis Bisnagaris.

(3) Onorno, Pegnatar, Urbs caput Regni cognominis in India intra Gangem.

(1) Magnus ab Hesperiæ longinqua sede profectus
Lysius Alphonsus, generoso è sanguine cretus,
Nec peritura suæ Albucherchia gloria gentis,
Æternum decus Hesperiæ, quem vexit ad astra
Fama volans, fovitque sinu Fortuna beato;
Atque novis, semperque novis succesſibus auxit:
Bella gerens Mauris Bargasâ est urbe potitus,
Devicitque suo Canarinos milite campos,
Et super explicuit victas labara aurea turres,
Atque viam dedit imperio, quod deinde nepotes
Gangaridas ultra, Chrysenque, & littora Jàvæ
Extendère: Favet cœptis Fortuna secundis.
Ergo hùc Saberus, Celesti numine Eoos
Venerat Ausoniis submittere fascibus Indos,
Et vetito dirum solio exturbare tyrannum,
Ut primùm aërias moles, lunataque cœlo
Mœnia multivago circum redimita theatro,
Turritos scopulos, & propugnacula muri
Aspexere oculis; subitò prætoria puppis
Dat signum: læto conclamant cornua cantu;
Curvaque festivo responsant littora plausu:
Inde tonans reboat tormento incluſus aheno
E' salice ambusto, nitroque, ac sulphure pulvis,
Conceptasque levem convertit in aëra flammas;
Tentat & hinc exire, locum collectus in arctum,
Erumpitque, polos horrendo murmure miscens:
Contra respondent geminatis plausibus arces,
Dum curvo socias portu excepere carinas.
Acciti strepitu populi sua tecta relinquunt,
Præcipitesque ruunt ad portum, & littora complent;
Visuri Heroem, quem tot labentibus annis
Venturum Populis Thomas prædixit Eois.
Ergo age Musa mihi memora, quo tempore rerum,
Et quo divinas stupefactus Numine voces
(2) Ediderit Thomas, venturum cœrula præter
Ausoniâ ex magnâ, sacroque è fonte Numici
Cum cecinit Vatem. Viridi statione columna,
Non procul Eoum quà litus verberat unda,
Quà dives surgit muris vallata Milispar,
Fortè fuit; defessus ubi sub fasce viator
Rumpere iter medium solitus, multoque levari
Pondere torrentis medio sub sydere Cancri:
Hic olim Didymus (sic tradidit alta vetustas)
Sederat æstivo sub Sole, & plurima circùm
Turba silet, dictis pronas accommodat aures:

(1) Alphonsus Albuquercius Indiæ Prætor, innumeris planè victoriis sub Emmanuele Lusitaniæ Rege Malacum, Regnumque Armuzii armis cœpit: Goâ expugnatâ Lusitani imperii Metropolim esse voluit.

(2) Illustre Thomæ Apostoli Vaticinium de Xaverio, ut habent Indorum Monumenta.

Con-

Digitized by Google

Continuò vates, cui talem numina mentem
Inſpirant, dïs ſua vocibus ora reſolvit:
Tethyos auriferæ, & roſei Titanis alumni
Attentas præbete aures, & mentibus altè
Sculpite, quæ vobis Vates oracula pandam:
Ut ſerò noſcant ventura in ſæcla nepotes.
Quid poſcant ſuperos, rebuſque ruentibus optent;
Jamdudum cecini (nec vos latuiſſe putandum eſt.)
Aſtrigeris veniſſe polis telluris ad ima,
Qui Patrum luat omne nefas, & crimine ab uno
Quot quot inundarunt noſtris ſcelera omnia terris:
Qui noſtri generis mortali tectus amictu.
Et proavùm faſces, generiſque exoſus honores,
Regalemque domum, voluit de paupere naſci
Virgine, muſcoſo media de nocte ſub antro:
Nulla domus magnâ (quis crederet) in angulus urbe
Nullus erat; terraſque, polos, pelagusque profundum
Qui replet; & magno mundi ſe corpore miſcet,
Hoc Deus exiguis pannis involvitur antro:
Egelidi patiens flatus Aquilonis iniquos,
Ac duras hyemes, rigidæque ſilentia noctis:
Inde Puer teneram traduxit in abſide Fabri
Ætatem, noſtræ docilis diſpendia vitæ,
Pauperiemque pati: Socios majoribus annis
Aſcivit, triſti bellum indicturus Averno
Ut mortale genus, ſtygio data præda Tyranno
Unius ob noxam, & furias lacrymabilis Adæ,
Lætiùs ad priſcos iterum aſpiraret honores.
Qui poſtquam victor Cœlo ſeſe intulit alto,
Amplexus repetens reſerato Patris Olympo;
Promiſſum nobis demiſit ab æthere Flamen;
Flamine quo firmans animos, & pectora ſacro
Igne fovens, mundi penetrare ad limen adegit
Extremum, & terras alieno Sole calentes.
Nos partiti orbem: ſummo mihi munere Divùm,
Et votis optata meis, datur Indica tellus.
Ergo alacer parere Deo, trans regna Canòpi,
Ardua Carmeli celebrati montis, & ultra
Cedriferum Libani culmen, Tigriſque fluenta;
Et nemus Aſſirium, quod puro à fonte volutus
Purior electro medium rigat amne (1) Choaſpes
Aurifero; fauſtis perveni Solis ad ortus,
Auſpiciis ſuperi referens mandata Tonantis:
Quo duce, tartarei expertos juga ferrea Ditis
Expedii; poſteſque poli, limenque recluſi:

(1) Medorum Fluvius ad fines Perſidis in Tigrim defluens, de quo Tibul. lib. 4. Suſamque, Urbem præclaram alluens.

Sed

Sed miseri! multis posthàc labentibus annis
Vos iterùm Ditis juga dura feretis, & omnes
Ibitis ad Manes, animarum regna dolentùm,
Per cæcos adytus, & per loca nocte perenni
Obsita; ubi numquam resplendet sydereus Sol:
Tunc ego sublapsis cupiens occurrere rebus
Numen, inaccessum Patris, Gnatique precabor,
Ut justas ponat succensi pectoris iras
Placatus tandem lacrymis, & mittat ab alto
Magnanimos Cœlo Heroas, qui fœdera terris
Concilient, Ditique iterum fera cornua frangant:
Annuet Omnipotens, septeno è colle Quiritum
Eois mittens Loyolæ ex agmine lectum
Saberum, qui regna Deo Tithonia subdet:
Inde Ignatiadas spectabitis ordine gentes
Venturas Tybri gemmei Gangetis ad undas:
Hoc Thetis ad saxum cum alternas egeret undas;
Lætaque germinibus Nereo teget arva refuso,
Nunc ubi depascit cythisum fœcunda capella.
Verùm, ut nulla rapax verba hæc abolere vetustas
Audeat, hæc pario describam carmina saxo.

Hoc marmor ficca campi statione locatum
Ut Nereus undis, atque aggere cinget arenæ;
Gens alba, Ausonia veniet, quæ sacra Quirini
Restituet; Christoque iterùm pia templa dicabit:
Aurea tum largis decurrent sæcula rivis:
Induet & niveos Mores, illà auspice, Eoum.

Illi autem patulis hæc circum heroa refusi
Auribus excipiunt, altaque in mente recondunt:
Mox gnatis pandunt memores, serique vicissim
Patribus accipiunt geniti; sic ordine longo
Extremos tandem pervenit fama sub annos.
Et jam bis septem traducto sæcula motu
Transierant, hilares cum juncto fœdere Parcæ
Aurea felicis texebant stamina sæcli;
Et celeres nitido currebant vellere fusi:
Fortè peragratis se se referebat Apheldes
Seribus ad patrium littus, portusque relictos;
Iste Indo Lalonte satus, sinaque Lerinda,
(Reliquiæ veteris Fidei, sanctûmque virorum
Quos Thomas olim lustralibus abluit undis.)
Per fasces numerabat avos, & stemmate longo
Regali de stirpe satus, totoque rubente
Nobilis Eoo, tenuitque Milispara princeps:
Filius huic fuit, & cognomine dictus Oliber;

Ingenii dives; quo non formosior alter,
Nec pietate fuit, melior nec moribus alter;
Aligero similis species frons lucida quale
Est ebur: irradiant veluti duo lumina Soles;
Aurea cæsaries collo descendit in armos,
Nativa Sidone genæ, miniove rubescunt.
Et non dum teneræ vernant lanugine malæ:
Hunc illi peperit Meliaporis urbe profecta (1)
Pelirias, partuque obiit clarissima conjux;
Ac propè Cantonem (2) fuit alto condita saxo:
(Hùc procul à patriis laribus penetrarat Apheldes,
Ut sævi effugeret leges, iraſque Tyranni,
Qui populos dira oppressos ditione tenebat:)
Primævam Puer hic alio sub sole juventam,
Gangaridum procul à terris, cœloque paterno
Egerat extorris Patriâ, sine matre relictus:
At pater ætati metuens, formæque decoræ,
Ne fortè externæ devinctus amore puellæ,
Et Veneris stimulos, & cæcum pectore vulnus
Excipiret; nam dira Venus florentibus annis
Incendit violenta faces, & pectoris imo
Æstuat: & rarò concordat forma pudori:
Astantem Gnatum alloquitur: Pars altera vitæ
Nate meæ, miseroque seni tu sola voluptas;
Jamque vices rerum, & nimium inclinata senectus
Non ultra externis traducere finibus annos
Admonet; optatis revocat me patria tectis:
Oppetiit, (si vera tulit jam fama) Tyrannus;
Detrususque gemit cæco sub carcere Ditis,
Et pœnas scelerum crudelis in igne rependit;
Ergo peregrinà sulcemus marmora puppi,
Antiquas iterum sedes, mea regna revisam;
Fessaque nativo condam mea membra sepulcro:
Solamen misero est, patriæ qui finibus errat,
Optatosque Lares, charasque revisere sedes;
Et teneras inter lacrymas, luctusque suorum
Dulcè mori; & saxo condi de more paterno:
Quin præter solitum, summa dulcedine pectus,
Nescio, concepta qua spe, mihi gestiat imum;
Et me nunc cogit committere carbasa ventis:
Venturi præsaga boni mens urget, & altis
Lætitiâ insolitâ subsultant pectora fibris:
Namque etiam Superi arcana vi sæpè futuri
Semina subiiciunt animis, furtimque ministrant:
Hæc puero genitor; puer hæc dat verba parenti:

(1) Melispar, ubi fepultus S. Thomas?

(2) Sinarum Provincia

Si

Si dilecte ; tuæ ſedet hæc ſententia menti
O' genitor , pariterque ſedet ſententia nato ;
Nam noſtras alit una duas concordia mentes ;
Unus amor. Nec plura puer . Sed lintea ventis
Committunt alacres : pleno volat æquore velo
Uncta carina : retro relegens cava littora Apheldes,
Eooſque ſinus , patriis allabitur oris:
Vix patrium tetigere ſolum , cum fortè columnam ,
Feſſus ubi dederat Thomas oracula quondam ,
Aſpiciens crebrò fractis allidier undis:
Heus pater , en veterem jam contigit unda columnam ;
Et Thetis ad ſaxum undas egerit , inquit Oliber.
Nec plura effatus ; cum vox ea prima laborum
Aſſervit finem , primamque loquentis ab ore
Eripuit genitor divino percitus æſtro
Faucibus in mediis , medioque in gutture preſſit.
Salve ſancta dies , multos optata per annos,
Sancta dies , inquit , niveo ſignanda lapillo ;
Una per æternos ævi memoranda recurſus:
Salvete ò menſes , anni ſalvete beati:
Hæc olim promiſſa dies ; nam talia nobis,
(Nunc repeto ,) Didymus fatorum arcana reliquit:
Cum medius medio lapis hic in gurgite ſurget,
Tunc ſore venturum ſepteno è colle Quiritum,
Memnoniis referet clauſum qui limen Olympi ;
Quodque etiam antiqui deſcriptum cortice ſaxi
Cernitur exeſo , ſervatque oracula marmor:
Vix ea : cum curſus Canarinas flectit ad oras
Saxa per , & ſcopulos , & præcipites convalles
Credulus haud certe Senior ſpe captus inani eſt:
Nam vix luna ſuum novies luſtraverat orbem,
Tum tandem Eois Saberius appulit oris,
Lunatumque Goæ gremium ſubit advena Claſſis:
Ergo hilares tendunt ad portum , & littora complent
Dum geminant plauſus iterato fulmine turres:
Ut littus tenuere , rogant felicia Cœlo
Numina , & æthereis delabi Sedibus Auram ;
Lætoque Heroem populi clamore ſalutant.
Hinc primus venienti , ævo maturus , Apheldes
Sabero occurrit , plantiſque advolvitur ultro:
Plurima quem circùm juvenumque , ſenumque corona
Aſtat , & Heroem cupidâ bibit aure loquentem:
Olli ſic placidè genibus ſubmiſſus Apheldès
Aggreditur : pendent populi dicentis ab ore:
Ultima Thomæi properavit Carminis ætas

Ma-

Magna per exactos renovantur fæcula menſes:
Jam redit & Pietas, redeunt Jeſſeja regna:
Jam redeunt Latii faſces, cultuſque fideles:
Hæc Indis promiſſa dies, hæc aurea Sæcla;
Hæc nova progenies ſuperis, quam mittier aſtris
Ophiris ad populos, & Eoi regna rubentis
Divino Didymus nobis tunc carmine dixit:
Progenies, per quam toto gens aurea mundo
Surget; & in toto jam ferrea deſinet orbe:
Qua duce, tartareus Pluto frænabitur Orco;
(1) Et Cami, & Fotoches, & debellatus Amidas;
Et quæ multa manent ſceleris veſtigia noſtri,
Perpetuâ ſolvent cæcas caligine terras:
Hæc vetitum clauſi recludet limen Olympi;
Quin ſummo delubra Deo, ſacraſque dicabit
Aras, atque Indas divino Numine mentes
Imbuet; & Cœlum extorres revocabit in altum:
Occidet antiquus (nec ſpes me ludet inanis.)
Nec noſtris Serpens ultra dominabitur oris,
Peſtiferum fundens mendaci ex ore venenum:
Tu ſuperùm vitam accipies, ſuperiſque videbis
Miſtos heroas, quin te numerabis in illis.
En cœlo demiſſus ades: Tu Lucifer ille es:
Aurea nocturnis qui rareſcentibus umbris
Sydera, & ætherei recludis lumina Solis,
Quem nobis olim roſeo patefecit Eoo
Sydereus Thomas; cui tu par omnia miſſus
Romuleo de colle venis; tu fæcula victor,
Et priſcum menſes primus renovabis in aurum:
Quin rorem roſeæ nubes, nectarque beatum
Stillabunt; rutilis imber deſcendet ab aſtris
Gemmeus, & toto cadet aureus imber Olympo
Perpetui ſurgent flores; per ſaxa volutus
Purior argento campis fluet amnis; & undis
Ridebit tellus riguis; & ſponte virentes
Erumpent agris ſegetes non ſemine jacto:
Annoſæ quercus referent liquentia mella:
Extremos alter Thomas mitteris ad Indos:
Sed quoniam vis dia parem te reddidit auſis;
Incipe ſumme heros ſocias ductare phalanges,
Et Stygio victor nova dicere bella tyranno:
Aſpice convexo nutantem pondere mundum
Chryſemque, & Seras, Baraſque, Thetynque rubentem:
Aſpice quot plauſus geminant, & gaudia gentes.
Vix ea fatus erat Divo longævus Apheldes

[1] Notiſſima Indorum Idola

Auguſtum in templum cum ſe Saberus agebat
Vota ſoluturus, Regi quæ voverat ante
Sydereo, & fruges aris offerre parabat.
Suppliciter lætus, procerum ſtipante ſenatu
Auguſto, genibus tellurem preſſit, & ambas
Ad ſuperos palmas humili cum voce tetendit.
O' qui nos pelagi ſinuoſa per æquora vectos
Servaſti incolumes, tibi nunc, Pater Optime Divûm,
Emeritas agimus grates: tua Numina magna
Submiſſi colimus: ſacriſque advoluimur aris.
At tu', ſumme Pater, mundi qui cuncta coerces
Limina, & Oceani tractus, terraſque revincis
Fœdere concordi; ſi, quod te poſcimus, æquum eſt;
Si juſtum gerimus bellum cum Dite ſuperbo;
Da nobis immitem armis ſuperare tyrannum.
Nunc bellum Stygiis indicere, caſtrą movere
Incipiam in Manes, regemque laceſſere Averni:
Tu mihi, qui ſuperi culmen premis altus Olympi,
Dexter ades, noſtriſque volens, Pater, annue cęptis,
Dum latios Fidei ritus, dum ſacra tuebor.
Dixerat: atque Arabum fumos altaria circum
Spargit; odoratis ſubtermicat ara favillis.
Inde (ſub oſcuro properat nam Veſper Olympo)
Ædibus occluſis cuncti petiere penates.

[1] D. Joannes Albucherchius, generis claritate, & ſanctimoniæ inclytus, Goæ Antiſtes.

(1) Fortè vices ſuperi Patris Albucherchius heros
Inter Memnonidas, Eoaque regna gerebat:
Hic claros patriæ titulos, & gentis avitæ
Exoſus faſces, regalem deſerit aulam
Lyſiadum Regis: non illum purpura flexit,
Non patriæ fortuna domus, non regia luxu
Dimovet; aut cepto poſſunt revocare petulcis
Otia blanditiis: tituliſque, opibuſque relictis,
Ante aras ſupplex ſummo ſua vota Tonanti

[2] In Divi Franciſci Religione adſcriptus.

(2) Nuncupat; & miſeri venit ad loca diſſita mundi:
Verum, ubi virtutis ſinuoſo tramite culmen
Attigit, ad ſacros iterum provectus honores;
Et quas ille olim generoſo corde reliquit,
Tempora multiplices certant redimire Coronæ:
Non ſecus ac umbræ, fugientes Gloria niſu
Sectatur celeri; ſectantes pellit, & odit.
Romuleam ille gerens auguſta fronte Tyaram
Auroræ ad populos, & Eoos mittitur Indos:
Sed quamquam noxis vacuam, & ſine crimine vitam
Duceret, & populis caneret mandata Tonantis,
Æternas Erebi pœnas, & Numinis iras;

Nulla

Digitized by Google

Non tamen evaluit duras inflectere mentes:
(1) Nullus erat pudor, aut innati cultus honesti:
At crimen, strageſque, & læſi injuria lecti.
Quò vos, quo rabies ſcelerum, atque infræna libido
Tranſverſos egit? Non inſita jura coercent
Inſuetam veneris labem, Sodomæ (heu pudor!) æſtus
Urbibus Eois latè bacchantur, & axem
Tartareo inficiunt pædore, & fulmina in Indos
Uſque cient: Erebi tenebræ, Pœnæque perennes,
Voſque manet Phlegethon, & ineſuperabile Fatum.
Huc uſque, o miſeri, ventum in ſcelera omnia? quando
Commiſſis finem veſtris ſtatuetis, & iram
Numinis ejecto flectetis crimine? quando
Expulſum tandem inſanâ de fronte ruborem
Induet, inque alios vertet ſe fœmina mores?
Infamis-ne throno Cypris Regina ſedebit
Semper? Memnoniis dicet ſua jura Cupido?
Exul ab Eoo, Templis, Ariſque relictis
Ibit Religio? Rapiet ferus omnia Pluto?
(2) Bracmanes-ne inter Pietas, Badagaſque (3) vigebit?
(Jäpeti durum genus illi, in rupibus Indis
Progeniti, & diro nutriti lacte ferarum:
At genus hi ducunt ſcelerato à ſanguine Cami
Caucaſcas inter cautes, rupeſque creati.)
Undique tartarei cultus, rituſque profani,
Atque ſuperſtitio veſtris dominabitur oris?
Hic ſtatus, hæc rerum facies, hæc tempora, mores
Hi totum obducunt tetrâ càligine Eoum.
Cum demum Heſperiâ veniens Saberus ad Indos
Pervenit; en miſeris luxit ſpes unica rebus.
Poſtera jam cœlo tranſacta nocte rubebat
Orta dies; radiiſque ornaverat aureus orbem
Sydereis ſol altus equis, quos Sirius anteit
Igneus, & rapidos vibrans de corde calores
Accendit ſiccos jaculis ardentibus agros:
Ac gens Inda ſuis excita ſedilibus, ortu
Lampadis æthereæ, munus properabat adire
Quiſque ſuum; variiſque ſimul ſermonibus ibant
Perque urbis trivia, ac vicos, lataſque plateas
Permixti ſenibus juvenes, pueriſque puellæ:
Pectora pars nigra, & pars ſubnigra corpore toto;
Pars rutilis maculata notis; pars oblita fuco:
Clari omnes gemmis; ſed operti veſtibus omnes
Inguinibus tenus: (Albata nam cætera byſſo
Membra tegunt) nudi talos, capita ardua nudi.

(1) Perditiſſimi Indorum mores.

(2) Sapientiæ ſtudioſiſſimi, qui & Brachmenidæ, & hodie Stramines dicuntur.

(3) Populi ferocis in India.

Interea excitus rutilis fulgoribus heros
Surgit, & Indorum toti qui præsidet oræ
Pontificem Saberus adit; verituſque Tiaræ
Romuleæ decus, ante pedes seſe abjicit ultrò.
Vix ille heroem venientem vidit ab alta
Sede sedens, subitò perfusus gaudia pectus
Descendit solio, Divoque occurrit eunti:
Et circùm teneros deflectens colla lacertos,
Lætitiæ indicium, gremio complectitur: indè
Olli, sedato sic orsus pectore, fatur.
Salve Memnoniis multos sperate per annos
O' Loyolæi decus agminis, inclyte ductor
Magnanimùm heroum salve; fortissime salve
Divorum vindex, noſtræ tutela Tiaræ.
O' Erebi domitor nigrique everſor Averni:
Te duce, Matutæ magnum venere sub axem
Promissi proceres, formidandæque Cohortes
Tartareo Diti: quantus tibi, marcida Lethe
Proh! quantus tibi terror ineſt Styx horrida Averni:
Auſpice te: qui noſtra tenes jam litora Soſpes
Saberide, queis primus opes, sua lumina, fundit
Cynthius; ò quantâ trepidant formidine diri
Brachmanes, Naireſque feri, quique undique cultu
Sacrilego devota colunt Templa impia Diti.
Te duce Sabere execrandis decidet aris.
Dira superſtitio: duce te gens inda profanos
Dediscet ritus; meritoſque adolebit honores
Numinis ante aras; Paſſique insigne Tonantis.
Clarior Eoo Titan, radiiſque coruſcis
Nata dies; melior micuit lux aurea Gangi:
Fauſta quidem tenebræ per quam pelluntur Eoo;
Emicat & radiis melioribus orbis; & omnis
Lætitiæ exultat tellus torrente refuſo.
O' Ganges! ò Indus! & aurea Memnonis ora:
Gemmiferi Mogores, & Seres vellere dites:
Gangarides populi: & centum celeberrima regnis
Chryſe, purpureis centum freta consita terris,
Et matutini colitis qui celsa (1) Bepyrri
Audite ò populi; cunctoſque advertite senſus:
Quem toties Heroa diù speravimus, Heros
Saberides speratus adeſt; Deus intulit illum
Incolumem veſtris oris, trans æquor Atlantis;
Ut vobis signaret iter, quà tenditur aſtris.
Ergo agite Aurorâ geniti, præſtantibus auſis
Monſtratam calcate viam: veſtigia vobis.

(1) Mons Aſiæ: sic Taurus mons appellatur in India extra Gangem apud Damaſios montes, ex quibus duo flumina Saonas & Dorias effluunt, & in Sinum magnum excurrunt.

Sabe-

Digitized by Google

Saberus ſignat; rutilo via ſternitur auro.
Hoc duce memnonii ſurgent decora inclyta regni;
Et vos æthereis volitans Fama inferet aſtris
Auſpice Sabero, regem domuiſſe profundi
Audete; & contra ſtygios generoſa maniplos
Arma ciete viri, totumque laceſſite Avernum,
Tænarioſque lacus: certæ nam præmia palmæ,
Dite triumphato, & partos referetis honores;
Nam quid ſperandum non eſt ſub principe tanto?
Hæc dum proſequitur, rurſus ſua brachia tendens
Currit ad amplexus, iterum dat colla lacertis;
Nec potis eſt fletus oculis cohibere fluentes
Lætitiâ; geſtitque inter pluvias lacrymarum:
Nec valet accenſo retinere in pectore voces;
Sed pluvios, dio ſtupefactus Numine mentem
Flectit ad Heſperiam, dum talibus inſit, ocellos:
Quas tibi pro tanto perſolvam munere grates
Cælifer orbis Atlas, Tarpejæ culmina ſedis
Qui fulcis, dextrâque polo faſtigia molis
Tollis, & immenſo geſtis ſub pondere mundi,
Heſperiæ Sol Ignati, magnumque latini
Imperii columen; Latiis qui lumen ab oris
Undique devibras; totum fulgoribus orbem
Afflas, & ſuperi diffundis lumina fontis
Occaſus Sol Ignati; Saberus Eoi.
Hìc, poſtquam noſtram ſtrinxit fulgoribus urbem;
Extemplò cecidere umbræ, cecidere tenebræ.
Nox cecidit, totoque micat lux aurea cœlo:
Viſa etiam umbroſi trepidare nigra atria Averni,
Ac ſimulacra Deûm miris palleſcere formis:
Viſus in infernis ululare ſedilibus Orci
Umbrarum Rector; triplicique immanis hiatu
Cerberus, & Python, flammiſque armata Chymæra;
Et Lamiæ epoto ducentes ſanguine vitam.
Ter Phlegeton trepido revocavit gurgite curſus;
Terque Acheron nigræ gemuit ſub pondere cymbæ.
Non tamen Eöos populos, Gangetica regna
Portenti inſolitum tremefecit triſtibus omen
Auguriis; fractuſve novis terroribus axis
Horruit; aut mœſto Matuta expalluit ore:
Non nimbi texere polos, non fulmina cœlo
Mæandri tetigere apices; nec nigra Bepyrrum
Obſedit nubes, vitreis nec fluctibus Indus (1)
Palluit, aut retro curſum detorſit Hydaſpes;
Sed roſeis Aurora comis, ſolitoque rubore

(1) Maximus Orientis fluvius Indiæ ab occaſu alluens à quo tota Regio nomen accepit: Hunc in ſe undeviginti amnes recipere, vulgò feruntur.

Pul-

Pulcrior Oceano rubuit; crinemque repexi
Blandius Eoo Phœbi micuere Jugales:
Gemmiferis operosus aquis, & turbidus auro
Fluviorum rex Indus, ovanti in Cærula cursu
Voluitur; & Nereo sua munera divitis urnæ
Beryllos donat niveos, prolemque coruscam
Fluminis: Aurifero gavisus gurgite Nereus,
Currite majores in pontum, currite lymphæ,
Dixit: & insuetos duxit sub marmora lusus.
Hanc unam (superi vos testor sydere ab alto)
Hanc unam optavi Matutæ ad littora gentem,
Unum Saberum trans Calpen vespere mitti.
Vos mea nunc tandem exaudistis Numina vota:
Sed quid nunc ultra cupiam? Quidnam ampliùs optem?
Scandere ni superas, truncato stamine sedes.
Interea, Ignati, (si quis tibi rumor ad aures
Adveniat) lectà de Gente huc mitte maniplos:
Laurigerasque Acies, ad nigras tendere Gentes
O jubeas tandem, quæ toto Japonas Orbe
Divisos, Seras, Batos, regna ultima lustrent,
Quos mihi mens præsaga tuis referenda catervis
Suggerit, objectatque animo decora ampla triumphi;
En jam prima Tui visunt cunabula lucis
Delecti Comites, Indorum ut lumine terras
Æthereo illustrent: styga vertant, jura reducant
Christiadum latiis fastis, regnoque latino
(1)Ophiris ascribant Populos, Chrysæaque sceptra
Fascibus ausoniis submittant, dite subacto.
Vosque Duces olim ventura in secla Parentis
Cæsturique vices Primi, & tanta agmina in Indos
Moturi populos, Vos sacra ad bella, phalanges,
Trans anni, solisque vias, per inhospita terræ,
Oceanique plagas, Eois mittite regnis,
Non inferre facem, aut nostros populare Penates,
Sed solio infamem Stygis exturbare tyrannum.
Vos olim memores Auroræ ad littora turmas
Mittite, ut antiquos valeant cumulare triumphos,
Atque novis agmen patrium insignire trophæis:
Muneris hic vestri labor est; hæc maxima cura.
Plura senex dicturus erat, cum corde redundans
Vocem interrupit diffusi copia amoris:
Solvitur in pluvias, subsultant pectora fibris;
Atque diù siluit singultibus interruptis.
Ut tandem potuit fluvios frænare cadentes,
Atque animi rediere; viro conversus ovanti

(1) Regio aurifera ad mare rubrum, teste Josephoaliis Aurea chersonesus esse videtur, vulgò Sumatra in India ulteriore: aliis Taprobane, vulgò Zeilan, in India citeriore.

Addidit hæc illi. Sequere ò, melioribus orsis
I, pete; quandoquidem spondent fausta omnia Divi:
Magnanimis (est certa fides) Deus annuet ausis.
Numinis æterni non me cortina fefellit:
Nec tunc falsa dedit populis oracula Thomas.
Hæc ubi dicta, Senex dextram porrexit, & illâ
Herois tetigit dextram, qui pauca repentè
Subjecit: Venerande Senex, spes unica gentis
Eoæ, mihi tantarum spes maxima rerum,
Auxiliare precor cœptis, & vota secunda:
Me misit Pater omnipotens, qui lucida flectit
Sydera, Tartareos Manes, sævumque tyrannum
Imperio premit; & Nerei maria alta coercet:
Quo duce, fluctivagum Atlantis sulcavimus æquor;
Vicimus Odrysios, Boreas, Eurique procellas
Fregimus, & Libyæ syrtes, scopulosque latentes:
Tartareas acies prostravimus: æquore toto
Devicti Manes, stygiæ cecidere phalanges.
Non equidem Naires, Badagasque in bella ruentes,
Aut ego Barbaricas acies, & tela pavebo;
Non Erebi furias (quamquam ruat omnis ab imo
Eumenidum pharetrata cohors) Manesque furentes:
Ingentes dabit ille animos, dabit ille potenti,
Magnanimum dextræ robur, mentisque vigorem.
Ille per armatas acies in prælia miles
Pugnabit, primàque locum statione tenebit:
Ille suum nomen, sacras tutabitur aras.
Sævos umbrarum Cives, ditemque rebellem
Omnipotens contra stabit Deus: hoc Duce, leges
Excipient Indi: fastis ascriptus Japon
Romuleis extremus erit: sua limina Seres
Tergemino pandent Patri: quin auspice tanto,
Amissum decus Auroræ reddatur Eoæ.
At si mortali reddenda est gratia, detur
Ignatio, qui almam Jesu de nomine gentem
Instituit; surgatque polis Ignatia virtus.
Sic ait, & lacrymis vultum perfundit obortis:
Mutuus urit amor, dulcis fovet ardor amantes:
Saberus, quoniam melior pars acta diei,
Aùlai è medio fecessit, & ultima dixit.
Dispulerat dulci cantu Tithonius ales
Otia blanda viris, recinens lucemque, diemque:
Et formosa polo rutilis, pexisque capillis,
Igne rubescebat roseo, tenebrisque fugatis
Spargebat conjux Tithonia lumine montes:

Cum

Cum ſurgens templi cuſtos, dat marmore ſignum;
Quo acciti veniunt facturi ſacra miniſtri.
Vix aderant templo proceres, populique catervæ,
Cum latio de more Sacrum celebratur ad aras
Virginis; & multa æterno datur hoſtia Patri.
Mox templi medio Saberus pectmate ſurgit,
Et geminas palmas, & lumina tollit ad aſtra;
Suppliciterque gravis demiſſa hæc voce Tonanti,
Orſa refert: Cuncti intenti ſimul ora tenebant.
O'adſis alterna Patris, Gnatique voluptas
Aurai vis magna, potens, ſacer ardor Amoris,
Qui Patris, Gnatique foves individuum cor;
Flamen ades, diiſque reple præcordia flammis.
Hinc populo aſtanti converſus, talia dicit.
Non me gemmarum, non auri arrecta cupido
Impulit Eoos Indi penetrare receſſus.
Purpurat Europe gemmis, micat aurea glebis,
Et montes adamante rigent, Tagus auriſer undis:
Effulgent Parii lapides, ſunt pondera facti,
Infectique auri; ardentque effoſſa talenta:
Stat patriæ fortuna domus, ſtat regia luxu:
At ſi pauperiem noſtris pateremur in oris,
Attamen infido vitam committere ponto,
Et trabe tàm fragili perituras quærere merces
Magna foret, fateor, læſæ dementia mentis.
Non fluxas ſectamur opes: non quærimus aurum:
Nec titulos proavùm, aut faſces jactamus avitos:
Cæleſtes optamus opes, perituraque nuſquam
Gaudia Cælicolùm; & clarum ſuper æthera nomen.
Sed Pater omnipotens, hominum qui pectora flectit,
Ad veſtras duxit ſinuoſa per æquora portus:
Ut dios renovem cultus, rituſque latinos:
Debellem ſtygias acies; regnumque Tyranni
Tartarei evertam; atque Eoi reſtituam rem.
Principiò, qui ficta colunt nigrantis Averni
Numina, Tænarias leges, & ſigna ſecuti
Deſperent Cœli patriis aſcribier aſtris;
Sed triſtes Erebi ſedes, & Tartara regna
Expectent, tetrumque chaos graveolentis Averni;
Flammarumque globos, gelidoſque in gurgite fluctus.
Quis furor ò gentes? In vota, precelque vocatis
Vos (1) Plutona Deum? Non hic Deus: Aliger olim
Hìc fuerat, ſuperos inter pulcherrimus omnes,
Et ſummos inter proceres ſtellantis Olympi,

(1) Idem ac ſummanus, quaſi ſummus Deorum manium; huic Romani nocturna fulmina aſſignabant uti diurna.

Pri-

Primus erat; primâque locum ſtatione tenebat:
Et quantum reliquos excellit Phoſphorus ignes,
Tantum ille Aligeros; unde eſt cognomine dictus
Lucifer, æthereis ſcintillans æmulus aſtris:
Sed poſtquam ſuperos inter ſplendeſcere Divos
Se non luce pari, at majori lumine vidit,
Intumuit; cœcum ſtimulis audacia pectus
Irritat, cœptumque audax fiducia nutrit,
Ut regni ſolium, & ſummos affectet honores:
Et ſecum hæc agitat: Superi trans culmen Olympi
Aſcendam victor, ſedemque Aquilone locabo.
Vix ea: cum ſubito præceps in Tartara regna
Fulmine deiicitur cœlo cum gente rebelli.
Nec Numen Camus, nec Numina vera Pagodes,
Sed muti lapides, & durum marmor, & aurum.
Eſt (1) unus Deus omnipotens, atque una poteſtas;
Sed Perſona triplex natura in ſimplice ſurgit:
Eſt Pater; eſt Genitus, qui par tenet omnia Patri;
Et ſpiratus Amor pariter procedit utroque
Par Patri, & Genito, & verum de Numine Numen.
Tres numero quamquam Perſonæ (advertite ſenſus,
Ne fortè ignaris irrepat mentibus error)
Eſt individuus Deus, unus, & una poteſtas.
Hic primus fator Omnipotens, rerumque creator;
Qui mare, qui terras, ſummoque rotantia cœlo
Signa chao eduxit magnæ molimine dextræ;
Æheris immenſi gyros firmavit, & aſtra;
Auricomum texit radiis Titàna coruſcis;
Et variam juſſit fraterno lumine Phœben
Compleri, & niveis equitare per aëra bigis;
Ut nocti hæc præſes ſit, & arbiter ille diei.
Aëra diffudit liquidum; atque ingentia terras
Æquora firmavit circùm; tunc penſile pondus
Telluris medio poſuit libramine mundi.
Vos hìc Memnonides Cœnoſo è pulvere fecit;
Atque immortales ſenſus afflavit, & auras,
Ingeniumque, animumque dedit; mentemque potentem
Divinoſque ſimul divinâ ab imagine vultus.
Cœleſtes quin ille domos, & pergama Divùm
(Sydereæ quæ tecta colunt ſtellantia mentes)
Vitam immortalem, magnumque in ſæcula nomen
Exigui nobis tribuit mercede laboris.
Ergo agite, & cuncti lætum Pæana Tonanti,
Ac plauſus geminate ſacros, & dicite carmen,

(1) Propria Trinitatis Auguſtiſſimæ deſcriptio.

Sydereum luſtrate vadum, caput abdite in undis;
Nam nullus ſuperi culmen traſcendet Olympi
Ni ſacro immerſus fluvio deterſerit undâ
Primævi labem ſceleris: Via nulla ſalutis,
Ni quam purpureo decoravit Sanguine Chriſtus;
Fluminis unda lavet, quos ſanguinis unda redemit.
Hoc vobis cecinit Didymus, cecinere Prophetæ:
Quin veſtra de gente ſatæ cecinere Sybillæ.
Ergo alacres damnate moras, aſpergite lymphâ
Luſtrali caput, & vitreas deſcendite in undas;
Divinuſque latex vos ſordibus eluet atris:
Candidior Cycnis, rutilis formoſior aſtris
Emerget ſacris animus redivivus ab undis.
At vos Lyſiades, queis omine regna ſecundo
Subdere Memnonidum magni dedit Arbiter orbis,
Romani Patris imperium ſervate latinum;
Et cultus augete ſacros: removete profanos:
Temnere ſancta Dei memores mandata cavete:
Evitet rixas virtus, & temperet iras:
Non Venus illiciat; vireſque infringat iniquis
Forma modis armata; nec ignea ſpicula Amoris
Inflamment miſerum pectus, nec corda perurat
Ardor Acidalius; vultuſque arcete nocentum.
Stet longè pellex, ne vos contagia lædant
Proxima; ne pectus vicinus devoret ignis.
(Væ Catanæ miſeræ nimium vicina voraci
Encelado, & rapidis nimium ſubjecta favillis.)
Culpa gravis ſuperas cœli ſtellantis ad arces
Intercludit iter; rutiliſque à ſedibus arcet;
Sed piceas Erebi fauces, atque horrida Ditis
Antra aperit, tectoſque nigrâ caligine poſtes
Pandit Avernorum; atque aſtu Cytherea doloſo
Præcipitat miſeros, cæcumque immittit in Orcum.
Nox ubi perpetuis (quis non pavet?) atra tenebris
Incubat, & denſis glomeratus nubibus horror:
Mille ubi Tartareæ rapidis incendia flammis
Eumenides ſufflant, ignique alimenta miniſtrant;
Milleque terribili ludunt ſub imagine formæ.
Perpetuò miſeri manſuram avertite flammam,
Tænarios vitate lacus; precibuſque Tonantem
Flectite, tot ſcelerum labes delete precando.
Numinis ira cadat lacrymarum fonte perenni;
Obruta; Tartareas valeant extinguere flammas,
Quos calidos fundunt rorantia lumina, rivi:
Non vos divinæ perterrent fulmina dextræ

Nec

Digitized by Google

Nec tantus mentem pœnarum perculit horror?
Extemplò assurgunt populi, terramque gementes
Ore petunt, diris fœdantes pectora pugnis:
Terra madet lacrymis, sacræ clamoribus ædes
Respondant quesulis, humilesque ad lucida tendunt
Astra preces; mittique petunt à vertice olympi
Fœdere perpetuo mansuram in sœcula pacem.
Tunc sic Saberus, sustollens lumina cœlo:
O' Pater omnipotens supreme ex ætheris arce
Qui pius aspectas subjecti lumina mundi,
Semper honos, nomenque tuum celebretur in orbe:
Te supplex Indus, supplex veneretur Hydaspes,
Te Ganges, te rubra Thetis, te Seres adorent:
Incipiant promissa, precor, procedere lustra,
Dum tua Gangarides populi mandata facessunt;
Et tua jura Mogor jam sentit, & India leges.
Da pacem Pater omnipotens, vultusque serenos
Immemor antiqui sceleris nunc exere terris:
Sic ille effatus; divinis eluit undis
Memnonides, clausique viam patefecit Olympi:
Vertitur & rerum facies, & gaudia Eoo
Incipiunt: versis procedunt candida rebus
Sæcula: & antiquum mores vertuntur in aurum:

SABERIDOS

LIBER V.

Argumentum.

Ver erat, & placidi fulgebat regia cæli;
Cum mole extructa templi; Saberus in altum
Carpit iter pelagus Colchini que advenit Urbem:
Inde actis de more sacris discedit: at æquor
Ut tenuit, sera surgit, hyems tumuitque profundum;
Sex sine luce dies, totidem sine sydere noctes
Erravit: tandem incolumis Piscaridos oræ
Appulit, æthereas lecturus in æquore conchas:
Hic populum, dum magna parit portenta, Paravum
Ad Christi revocat cultus; vincensque duello
Brachmanes; Triados cultus, & sacra revelat.

AUrea progenies cœtu plaudente beato
Cælicolùm, Eois passim consurgere regnis
Cœperat; æthereum Cœlo dum nectar ab alto
Depluit, & florens tepidis Ver incipit auris.
At turpis senio, atque comis squallentibus annus
Exulat, ac læti capiunt exordia menses:
Ipse serenato, qui pellit ab æthere nubes,
Atque suis totum splendoribus induit orbem
Purpureis Sol vectus equis, melioribus ibat
Auspiciis, meliore comâ, crinemque repexus;
Certabat solito terras circumdare gyro.
Jam nusquam tenebræ, tenebras nox atra recondit;
Ipsa Polo Pietas, arisque potita profanis
Relligio; sacrique tenent altaria cultus:
Sydereas iterum sedes Astræa relinquit
Antiquas visura plagas; perque oppida bigis
Purpureis invecta redux jam Gratia triplex

Ire

Ire amat; & dii Genitrix arrìdet Amoris
Alma Fides, Spes unà, & pulchri Mater Honesti;
Fracta jacet stygis ira: sub atro fornice Jani
Mars latet; ac toto surgit Pax aurea mundo.
At Pater omnipotens summo stellantis Olympi
Vertice vota audit, tùm dextrà continet ignes
Immemor antiqui sceleris, noxæque protervæ:
Atque serenato placatos lumine vultus
Memnonidum in terras, atque alta in mœnia (1) Goæ
Dirigit, & pacem concordi fœdere firmat.
Sed pius optatis gaudens successibus Heros;
Post ubi Religio ex oris male pulsa redivit,
Illam Colaicos ultra protendere fines
Tentat ovans, Latioque Indos submittere sceptro:
Ergo alacer meditatur iter, dum Bruma remittit
Frigora, purpureique Polo lucescere soles
Incipiunt, lætoque tument in palmite gemmæ,
Et teneri effulgent per prata novalia flores.
(2) Ante tamen pario magnum de marmore Templum
Ædificare jubet, cœloque assurgere molem
Numinis obsequio, Temploque adjungere sedes;
Se quibus Europà devecti cœrula præter
Excipiant Socii; fractaque ad prœlia vires
Instaurent, aptentque suos ad bella lacertos,
Excidium crudele stygi, Ditìque daturi.
Hìc alii pueros doceant juvenilibus annis
Cecropias artes, disciplinasque Minervæ,
Ut docti paribus concurrant viribus hosti:
Phœbigenæque alii sacro sint ore potentes,
Ut doctæ exundet victrix opulentia linguæ:
Cura aliis superi cursum describere Olympi,
Stellarum Eoos ortus, rapidosque recessus;
Lumine, quo niteat Cœli via; lucis origo
Quæ sit prima; suos capiant unde Astra nitores?
Astra quid edicant? vario sol aureus ortu,
Et quid Luna canat? quid labi visa per auras
Ignea fax, aureo signans vestigia limbo?
Ast aliis convexa Poli, sedesque beatas
Empyrei, dum flamma recens præcordia tangit
Explorare labor, rerumque exquirere causas.
Centum ergo incumbunt opera ad fabrilia Fabri:
Excidunt alii lapides, & viscera montis
Denudant: rupes rigidà gemit icta securi.
Excisos alii lapides, & grandia quadrant
Saxa manu artifici; pars sedibus excavat imis
Tellurem, & cumulos deducit mollis arenæ. Fun-

(1) Barigata, nùc Goa tùm incolis, tùm lusitanis, unacum Insula appellatur, capta ab Albuquerchio Duce anno 1509. cùm antea Idelkano subjecta esset. Caput lusitani Imperii apud Indos, & Urbs summa opulentia, ubi Archiepiscopi, & Prætoris sedes.

(2) Collegia erudiendæ Juventuti Goæ a Xaverio erecta.

Digitized by Google

Fundamenta locant alii, longo ordine quadros
Connectunt lapides; sensim se tollit in auras
Magnifico luxu, & sumptu prædivite moles:
Hinc Parii surgunt lapides, Afræque columnæ,
Hinc radiat marmor, foribus flammescit ahenis
Pellucens cardo gemmis, auroque coruſco,
Atque ebore effulgent vestigia summa vetusto.
Haud mora, pinnatum consurgit ad æthera Templum.
Interea Paulus, Camerino è sanguine cretus
(Liquerat hunc libycà Saberus in urbe, relictis
Solamen miseris) Prasiâ regione profectus
Venerat, Oceanum ratibus permensus Eoum:
Quem, postquam Divus complexu excepit amico;
Augustum in Templum, & sacra ad delubra reducit,
Ut meritas superis grates, & vota referret;
Augustæque jubet moli, Sociisque præesse,
Ac veteris Fidei cultus, & sacra tueri.
Ipse autem (sic jussa Dei, monitusque vocabant)
Victor in Eoas Comotini litoris oras
Signa, triumphalesque acies inferre parabat.
(1) Tempus erat, quo Vere novo domus aurea cœli
Panditur, & puro suffusus lumine Titan
Emicat; atque novæ fulgent cunabula lucis:
Ros matutinus distillat ab Æthere guttis
Uberibus, tereteſque micant in palmite gemmæ.
Arrident gelidi fontes, arridet in ipsis
Najas aquis; valleſque novo se gramine comunt.
Vernat apex adamante novo, gemmisque coruscant
Floribus intexti colles, & montibus humor
Liquitur; & latè spirant sata florea odores.
Taurus & auspiciis aperit felicibus annum;
Et micat antè Aries stellato vellere dives,
Auroramque suo vicinam nunciat ortu:
Arboribus redeunt crines, sylvæque comantes
Assurgunt lętis tendentes brachia ramis.
Floret ubique solum, jucundo gramina risu
Ver variat, teneras Zephyris spirantibus herbas
Omnigenum in florem calor explicat: æmula cœlo
Tellus purpureis convestit floribus agros
Quin & odoratas gremio ambitiosa recludit
Chloris opes, & mille solo gemmata colores
Hinc atque hinc spargit; credas tot sydera, quotquot
Dat rutilare rosas: tot lucida dixeris astra,
Quot nivea in viridi fulgescunt lilia culmo:

[1] Amœnissima Veris descriptio.

Dant

Dant rupes Scatebras, latè chriſtallinus humor
Funditur argento ſimilis; tum compita circùm
Flexibus it variis, ac florea culta recurſat:
Aſſiduo patrium complent modulamine Cœlum
Aſſuetæ ripis volucres: hinc avia longè
Reſponſant nemora, ac nemorum vaga ludit imago:
Ipſe coronatus, fagique comantis in umbrâ
Tityrus agreſtem meditatur arundine Muſam:
Marmora ſtrata ſilent, mutà conſternitur undà
Oceanus; tumidis nec Nereus æſtuat undis:
Ipſe iterum tentat tranquilla per æquora curſum;
Et fidens placido credit ſe navita ponto:
Ipſa ſuas Natura novo perfuſa lepore
Jactat opes, geſtitque ſinu recludere gazas;
Suffuſus fulgore Polus, Telluſque virenti
Læta ſinu; pelaguſque ſilens arridet, & aër;
Afflatuque ratem leni vocat Eurus in altum.
Ergo ſacris tandem Saberus ritè ſolutis,
Et mole inſtructa Templi, poſtquam alta quierunt
Æquora, tentat iter velis, Goamque relinquit:
Crebeſcunt auræ in noctem, nec Delia curſum
Plena negat; ſplendet claro ſub lumine puppis:
Ipſe gubernator depictos arte magiſtrâ
Terræque, Cœlique globos, & pixida ventos
Diverſa regione Poli, terræque volantes,
Signantemque viam nautis per gurgitis alti
Immenſos latè tractus, & limina Mundi:
Exigua quâ luce micant pigra plauſtra Bootis;
Et qua Centaurus ſtellato cum pede fulget;
Quàve altis invectus equis Sol emicat undis:
Quàve citum Oceani rubro lavit æquore currum:
(1) Hanc igitur Nauta in medio locat: ilicet intus
Hâc illâc acus in gyrum, perque omnia fertur;
Mox ſiſtit ſaxo pigrior, fruiturque potiti
Syderis obtutu: ſervant (mirabile dictu)
Et lapis, & ferrum calidas in pectore flammas;
Vireſque ignotas, queis dum propellitur, alto
Signat iter pelago). Sed jam Palinurus acuta
Rectus acu puppem Comorini inflectit ad oras:
Obliquatque ſinus, & amicas excipit auras.
At puppis fugiens, plenis trans æquora velis,
Gurgites in medio ſpumantes eruit æſtus:
Et ventis vada ſalſa ſalis ſecat uſa ſecundis.
Jamque pateſcebant Colchini mœnia, & arces,
Et ſenſim tellus gremium tendebat amicum,

(1) Acus magnetica deſcribitur.

Jam

Jam propior latè portus sua brachia curvans,
Tuta peregrinæ pandebat littora puppi.
Vela legunt Nautæ, manibusque animosa juventus
Arma capit; crebroque ferit tumida æquora pulsu.
Cedit victa Thetis: portu dominatur aperto.
Puppis ovans, & pulsa retro maria alta repellit:
Hinc ubi lunati puppis subit ostia portus,
Obvertunt pelago proram; longoque rudente
Marmoreo ripæ religatur in aggere pinus.
Haud mora: Nautarum victrix manus emicat ardens
Littus in Eoum: molli pars ægra reclinat
Membra thoro, & gremio silicis trahit ictibus ignem:
Pars vestigat aquas, inventaque flumina portat:
Annosas alii populantur vertice sylvas.
At pius interea Saberus ad alta Triformis
Flectit iter delubra Dei, gressuque decoro
Incedit, Cætu circùm stipatus ovantum.
Et jam Fama volans se se extulit ocyor Euro;
Heroem Ausonio vectum de littore, pacem
Qui populis, stygioque ferat qui bella Tyranno:
Cum subitò tectis excita animosa juventus;
Et castæ matres, procerùmque effusa caterva
Diversum per iter properant ad littora nota:
Non secus irrigui, variis ceu cursibus amnes
Præcipitant, pelagique unam labuntur ad oram:
Saberum excipiunt, geminasque ad sydera palmas
Extollunt hilares, Numenque in vota vocantes
Innumeras reddunt flagranti pectore grates.
Hinc proceres, populique senes Heroa sequuntur
Una omnes; circùm pueri, innuptæque puellæ
Sacra canunt, vestemque Viri contingere gaudent.
Ventum erat ad Templum: Saberius aurea tecta
Intrat adoratum Numen: mox genua recumbens,
Inclinat ter ritè caput, Numenque salutat:
(Hoc procerùm primi expediunt, hoc cætera pubes
Exemplum venerata facit) tum lumina tollens
Alloquitur Numen: Cœli qui sydera torques
O' Pater, O' terras, & qui regis omnia nutu:
Semper honos, nomenque tuum, semperque vigebit
Laus tua; Te semper totum pennata per orbem,
Fama canet; felix ibit per sæcula Nomen.
Assurgunt per te Reges; tibi Sceptraque, & arma
Deponunt: per te cingunt diademate Crines.
Quidquid in Orbe viget, per te viget: omnia solus
Sub ditione tenes: te norunt sydera Regem,

Exere

Exere felices vultus: gentem aſpice Eoam;
O' tandem miſerere: tuum colat India Nomen:
Plaudite vos populi, Dominum cognoſcite veſtrum;
En favet; en alto vos aſpicit æquus Olympo:
Jam vobis optata dies affulſit ab Aſtris,
Qua reduces iterum complectitur India faſces:
Romuleos; votique memor ſuſpendit ad Aras
Fulgentes auro tabulas: redit arce latinâ
Relligio divina patrum: jam ſydera terris
Conciliat Romana Fides: jam pulſus Eoo
Tartareus Pluto, regnumque immane Tyranni
Ceſſit; & aurati redeunt exordia Sæcli.
Hæc ille: & Latii populo dat jura volenti:
Incipit & ſuperis adſcribere ſedibus Indos,
Tartareos populare lares, invadere regna.
Cocyti, & toto Manes expellere Eoo.
Interea aſtantes circùm pia vota precantûm
Aligeri, commiſſa quibus cuſtodia noſtrum eſt,
Dona Sabæa velut plena conduntur acerrà,
Excipiunt; vapor ut grato conſcendat odore
Æthereum per iter latè Omnipotentis ad Ora,
Audiat orantùm voces, ac vota ſecundet.
Jam Tarteſſiaco ſubmerſerat æquore Titan
In noctem diffuſus equos, Cœlumque ſerenum
Undique texuerant, ſubducto Sole, tenebræ:
Hoſpitiis unà juvenes, puerique, Seneſque
Succedunt, placida componunt membra quiete:
Diſcubuere thoris omnes, & pocula Bacchi
Libarunt, feſſos tandem ſopor irrigat artus.
At pius evigilat Saberus poplite flexo
Virginis ante Aras, immortaliſque Triformis:
Nunc ille accenſo rapidos jacit ore nitores,
Irriguos miſcens inter ſuſpiria fletus;
Nunc oculos vibrat in Cœlum, ſtellantia ſpectat
Mœnia; ſydereas optat traſcendere ſedes
Empyrei; mortale onus, & terrena peroſus
Pondera; nunc ipſum votis ciet Axe Tonantem;
Et nunc divinam alloquitur prece ſupplice Matrem;
Immiſtaſque jacit dictis ad ſidera flammas.
O' felix una ante alias Ieſſæla Virgo,
Unus amor Superſim, Diuorum ſola voluptas:
O' nimium dilecta Deo, quam Gratia primùm
Naſcentem placidis excepit molliter ulnis,
In te nil iræ Stygii potuere Tyranni:
Nil te primævi noxæ læſere Parentis,

Una tot ex veteris natarum millibus Adæ
Eligeris paritura Deum; fęduſque Tonantis
In noſtrum latura ſolum, mea vota ſecunda:
Audi verba volens, precibuſque aſſueſce vocari
Diva meis: Tu ſola potens terràque, Poloque es:
Hæc memorans, tandem invito ſua lumina ſomno
Clauſit, & in nudà corpus tellure reclinat:
Vix ſopor egelidus feſſos oppreſſerat artus,
Cùm fugit, & rapidis alis devecta ruit nox:
Emicat Oceano roſeo ſuffuſa rubore,
Et vaga puniceis ſubvecta Aurora quadrigis:
Luce ſub exorta, Zephyrique tepentibus auris
Prata per herboſa, & volitans ſata florea circùm
Garrit avis; veteres iterat Philomela querelas:
Excitus volucrum cantu Saberius heros.
Corripit è ſtrato corpus, tenditque ſupinas
Ad Cœlum cum voce manus, & Numen adorat
Tergeminum; Chriſto triplici ſua munere vota
Nuncupat: Iſacidum ſupremi carmina Regis
Concelebrat; ſanctumque canit pæana Tonanti:
Ac Mariam recolit perfecto lætus honore;
Sacrificamque dapem cereali è munere in aris
Apparat, immiſſoque rubent jam pocula vino;
Evocat & Cœlo ſacra in convivia Numen.
Interea mediis excitur ſedibus urbis
Hàc, illàc populus; variis per compita fuſi
Agminibus, delubra petunt puerique, ſeneſque,
Sole recèns nato, & tenebris oriente remotis:
Poſtquàm gens omnis luſtrales venit ad aras,
Saberides ſacro cingit ſua corpora cultu,
Ut ſanctas epulas ſummo libaret Olympo.
Egreditur magnâ juvenum ſtipante catervâ,
Auguſtoque gradu incedens altaria ſcandit:
Ære datur ſignum: ſubitò procumbit humi gens;
Atque ſuum ſupplex expectat Numen ab aſtris:
Prævia verba refert Saberus, ſancta precatur
Numina, pertractat Cererem, poſt vota, preceſque:
Inde vocat verbis Verbum: volat æthere Numen
Dapſile, triticeàque latet ſub imagine, & inter
Anguſtos orbis fines: dextrà ille rubentem
Ritè mero calicem ſtringit: vix miſtica promit
Verba; merum mutant in Dium verba cruorem,
(Una etenim ſpecies ſupereſt) mox Numen adorat;
Et ſupplex tales fundit de pectore voces:
Salve hominum communis amor, te, te manet unum
No-

Noſtra fames : ſalvete ſacri dulciſſima Amoris
Pignora , quæ Regem tegitis radiantis Olympi :
Vos Dominum celatis ; opes vos frugis amictu
Conditis æthereas ; nivcoque abſconditis orbe
Regnatorem Orbis, nimis ò felicia ſummo
Pocula fœta Deo! felix gravida Hoſtia Terris.
Cur non ſe ſcindit, nec purgat in æthera nubes,
Divinas quæ condit opes, quæ Pignora ſummi
Integit obducto tenui velamine Patris:
Tu radios effunde tuos, Sol auree, nubem
Diſſice, & æthereum nobis reclude nitorem.
Perfectis de more ſacris; Luſtralibus Indos
Jam dociles deterſit aquis, adſcripſit & aſtris
Et Procerum primos, vilique è plebe Juventam:
Et Lemures toto turbavit victor Eoo.
Qui pulſi retrò vertentes terga, calentes
(1) Pandionùm petiere plagas, hùc flectere curſum.
Ergo jubet, fractoſque fuga exagitare ſequendo.
Ad medium cœli niveis Latonia bigis
Venerat, & tremulo ſplendebat lumine pontus;
Extemplò rector vigilantibus aſtat ocellis,
Et celſæ de puppe notat labentia cœlo
(2) Sydera, Pleiades, Helicen, tardumque Bootem;
Ægoceronta, Canem, gravidumque Oriona procellis:
Atque Comam, atque Aquilam, atque obſcuram Caſſiopeam.
Dum notat hæc rector, lunæ palleſcere vultus
Cœpit, & extemplò cœli de parte ſiniſtra
Orta mari ſurgit nubes, cœlumque ſerenum
Paulatim obducit, latèque aſſurgit eundo,
Nimborum, ac pluviæ certiſſima ſigna futuræ;
Sed quoniam blandi ridet pellacia ponti,
Cœrula ventoſo non Æolus æquora flatu
Perturbat; Rector cœli ſuſpenſus, & inter
Æquoris augurium, vel ſolvere carbaſa vento,
Carbaſa vel tuto ſervare in littore neſcit:
Dum ſecum hæc agitat, mentem timor anxius urget;
Aſtra petit rurſum, ſimul auribus aëra captat;
Jam tenuem ſpectat ſenſim vaneſcere nubem,
Atque iterum argento perfundi cornua lunam.
Ergo alacer pelagi, & cœli ſpe captus inani
In ſtratis ſomno ſocios, vinoque ſepultos
Increpat edicens collectos littore toto
Corripere arma viros: ſubitò velociùs Euro
Aſſurgunt nautæ celeres, & juſſa faceſſunt:
Conſidunt tranſtris, remiſque apluſtria tundunt

(1) Indiæ intra Gangem regna. Ariaca, & Limyrica, ubi Populi Pandiones Salaceni, Mafolii ſic dicti à fluminibus, quibus inter lunantur.

(2) Coſtellationes ſatis notæ, quarum orru, & occaſu tempeſtates excitari, antiquorum, præcipuè Poetarum opinio fuit.

Ille facit signum, moniti quo cœrula nautæ
Salsa secent, ventisque alii dent vela secundis:
Non secus ac jussi faciunt, freta cæca reductis
Sollicitant remis; fertur cava gurgite pinus:
Sic illi: at doctus sublimi in parte magister
Assidet; & non ille forum, non ille pererrat
Transtra, nec insurgit tonsis, aut suppara pandit;
Dextrà temonem sed temperat: inde carinam
Flectit, ut optati subeat ratis ostia portus.
Saberus pelago fœdam impendere procellam
Haud dubitat; (nam plena Deo præsaga futuri
Mens erat) & meliùs quàm celso vertice pastor,
Sive Supercilio Maleæ, (1) summàve Caphareï (2)
Fronte hyemes, subitosque solet prænoscere ventos,
Jam videt undisono procul alta tumescere Cauro
Æquora, & imbriferas Cœlo insanire procellas,
Fulmineque immixto paulatim assurgere nubes:
At simul incolumem præsentit turbida puppim
Marmora victuram, fragili quamquam abiete textam:
Hoc Deus inspirans animo monet: Unde futuri
Conscius ire ratem sinit, & se credidit Undis.
Interea Pyroisque, Phlegonque, & Eous, & Æthon
Purpureum surgens emittit naribus ignem;
Hinnituque fugat stellas, lucemque reducit:
Nigra malis magno subitò cum Sole coorta
Tempestas, imbresque tulit, cœlumque recondit:
Jam rapidos æstus latè maris explicat; & jam
Incipiunt curva elato spumescere fluctu
Littora, & allisis succrescere murmur arenis;
Et scopuli, cautesque sonant; fremit æquore toto
Ventorum furibunda cohors, & marmora miscet.
Ipse gubernator puppi sic fatur ab alta:
Astra malum hoc nobis (nisi mens mea cæca fuisset)
Pallida jamdudum, & tantam ostendere procellam:
Hoc mihi prædixit surgens à Vespere nubes,
Dum cœlum latè obduxit. Sic deinde locutus,
Colligere arma jubet, medioque effindere fluctus:
Obliquat velum in ventos; dein talibus infit:
Inclyte Saberide, rerum nisi spondeat Auctor,
Colaicum haud spero hoc littus contingere cœlo:
Præcipites medio surgunt è cardine venti,
Et conjurato propellunt flamine proram:
Ipse Polus gravidis involvitur undique nimbis,
Undique miscerï spumantibus incipit æquor
Æstibus, & cœlo montes attollit aquarum;

(1) Promontorium Græciæ in Laconia, ubi difficillima est, & maximè periculosa navigatio. Nomen sumpsit à Maleo Rege Argivorum, qui super hoc struxit Apollinis templum, quod Maleoticum dicitur.

(2) Mons altus in Euboea insula, Hellespontum versus, apud quem Græci à Troja recedentes, naufragia fecerunt.

Sed

Sed nos nec vento obniti, nec tendere in altum
Possumus : at quoniam superat fortuna, sequamur ;
Et retrò flectamus iter : nec vertere vento
Terga truci, aut pelagi sævas vitare procellas
Detur dedecori : adversæ cedamus, oportet
Fortunæ : quis enim nostrùm aut audentior ivit
Fortunam contrà ? aut victor remeavit ab undis ?
Nulla fides præstanda mari. Saberius illi
Hæc contra : fateor nobis instare furentem
(Jamdudum novi) hanc hyemem ; sed flectere cursum
Non sedet : inceptum turbata per æquora puppi
Incolumi tentemus iter : juvat ire per undas.
Mutati impellent (1) Comorina ad littora venti
Carbasa, Cocyto, & Stygio frendente Tyranno.
Dixerat : extemplò venti (mirabile visu)
A' prora in puppim flectuntur ; vela secundo
Intendunt flatu : rostrum freta pulsa nitenti
Ære secat ; medii montes finduntur aquarum.
Ipse diem spectare nequit Sol, Sydera noctem :
Usque adeo contexit hyems Cœlum atra tenebris !
Sex sine luce dies, totidem sine Sydere noctes
Errarunt pelago cæca caligine septi.
Septima lux tandem cœlo detrudere nubes
Incipit, & roseo vestiri lucis amictu ;
Cum procul apparent Comorini culmina montis :
Hæc relegens rector temonem flectit ad oras
Pandionum, bo.eamque petit ; ventisque secundis
Agaricum superat pelagus ; Phœboque cadente,
Pandionum tandem æstiferis allabitur oris.
(2) Montibus Apocopis, & quà se (3) Vindius astris
Inserit, immensum latè protracta per Orbem
Europamque, Asiamque amplexa calentibus Oris
Litoris Agarici, tandem se immittit Eois
Fluctibus, inque caput Tellus tenuatur acutum
Calligiis producta jugis (sic nomine prisci
Dixere, ut perhibent, aliique deinde nepotes
(4) Colaicos apices, & promontoria Chorys :
Hinc tandem seros melius Comorina minores
Appellasse ferunt) : Imo hìc jacet Insula ponto,
Quam Ziquatræ similem non longè dividit æstus
Faucibus angustis Comorini à vertice montis.
Humanæ in speciem linguæ se tota figurat
Terra hæc, quam medius protensam gurgite vasto
In geminas partes hinc, illinc culmine longo
Dividit (5) Adisathrus, (mutato nomine, quæ nunc
Dicitur Occiduis Gathes, Malabaricus Indis.) Ma-

(1) Promont. in Oceano Indico satis notum.

(2) Continentis descriptio à Gadibus usque ad sinum Agaricum, vulgò Golfo di Bengala.

(3) Hispaniarum Mons Cantabros ab Asturibus dividens.

(4) Juga Colaica quibus Travancoridis Regnum à Piscaria dividitur.

(5) Mons intra Gangem, qui velut Apenninus peninsulam totam secat inque oceanum excurrens Cory appellatur, capo di Comorin.

Digitized by Google

Inclytus Alpinis veluti de montibus ortus,
Antiquam Heſperiam medius ſecat (1) Apenninus.
Hinc ubi proſpectat Solis juga ſera cadentis,
Qua Goa ſe medio tollit circumflua ponto:
Gemmiferoſque ſinus ratibus modica inſula pandit
Olim Doris Arabs, nunc purpurat Indica Tethis
Quam magna ſe mole ferens irrumpit, & auro
Ditat flaventi, bacciſque nitentibus Indus.
At latere adverſo, quâ primo aſpergit Eoo
Delius Odurios, ſua munera ditia pandens
Se Thetidi Ganges ſeptena per oſtia miſcet.
Planities verò, deſcendens vertice ſummo
Adiſathri, ſenſim littus procurrit utrumque:
Olim tecta vadis, (ſic tradidit alta vetuſtas)
Omnis erat: vaſtos cingebant æquora montes:
Nunc terram refluo paulatim gurgite pontus
Deſerit, & ſenſim de fluctibus aſpera ſurgit;
Cuncta retro ſecum trahit irreparabile Tempus:
Hinc Goæ regnum, Colchorum diruta tecta;
Colchinique arces, humileſque Cananoris urbes,
Cottiaræ ſedes; diteſque Travancoris oræ;
Et ſcopuli Comorine tui, quibus altus Eoas
Oras occiduis circumſpicis; omnia in unum
Hìc mundi (2) portenta refers: Nam tempore eodem
Hinc dextrà de parte fremit mare, verberat undis
Nereus objectum latus, & ſimul aurea fractis
Fluctibus aſtra ferit; tenebriſque per aëra fuſis,
Nox atra incumbit pelago, de nubibus imbres
Præcipitant: bacchatur hyems, exaſperat arva
Frigus: terra riget gelidis devincta pruinis.
Contra ex adverſo montis de parte ſiniſtrà,
Purpureus calet orbe dies, cœlumque ſerenat
Delius; & blandi ridet pellacia ponti:
Non furit Auſter aquis: dextrà de rupe procellæ
Nec ſævit: Tethyn Zephyritis, & aura Favoni
Dulcè ſuis demulcet aquis: quin ſemper odoris
Floribus halat ager: ſua pendent arbore poma:
Cum verò deſævit hyems de parte ſiniſtra,
Dextrà vernat ager; Sic mutat provida mater
Alternas Natura vices: Miracula rerum,
Non aliis conceſſa locis, Comorine ſub imo
Cardine tu ſervas; & certo Sydere gaudes;
Angulus exiguus toto celeberrimus Orbe,
Indè colorato, quà ſe deflectit Eoo,
Æſtiferis ſurgit Piſcaria fervida terris,

(1) Mons Italiæ ampliſſimus ab Alpibus, aut Liguria tendens ad Siculum fretum ac totam dividens Italiam.

(2) Mira anni varietas deſcribitur, qua vicinſſim ora Malabaris, & Travancoris Vere gaudentibus oppoſitæ Piſcatiæ, & Choromandel hyemem ſentiunt ſub eodem climate trans Adiſechrum.

Quæ:

Digitized by Google

Quæve ſacræ ſervat Fidei monumenta Miliſpar;
Et Narſinga ferax adamantis, & oſtia Gangis.
Has olim terras varii tenuere Tyranni,
Et populos ſub crudeli ditione tenebant.
Cum tandem Cades ultra, lituſque Marocchi;
Hùc vecta Heſperiâ penetravit Lyſia pubes
Ignotum per iter, divino freta Tonantis
Auxilio: quo dante viam per cœrula Nerei,
Gamaide emenſo, ſepoſtos venit ad Indos:
Adſcivitque ſuis, armato milite, regnis
Colchini muros; & gemmâ divite claram
Auriferam (1) Colchon; tum multâ merce refertam
(2)Cottiaram, Coulam (3), & præcelſa palatia Goæ:
Et quæ procèræ fugiunt in nubila turres.
Hinc Baracæ, Salur, celebriſque eſt addita regnis
(4) Mandagara, & gemmis pretioſa fluenta Salènes;
(5) Muxiriſque potens armis, diveſque beryllis,
Byzantique arces, & frugiferæ (6) Salſethes:
Illa truces domuit Mauros; capita alta recidit
Batorum; pellenſque ſuis è finibus hoſtes
Vicit Meſolios: Arcati dira Tyranni
Colla jugo domuit, ducens captiva triumpho
Corpora: Pandionas bello ſubiecit, & omne
Calligium vicit littus, populoſque rubentes;
Et vexilla Crucis domitas ſuper extulit arces.
Ut primùm puppis tetigit (7) Piſcaridos oras,
(Sic nunc Pandionum terras dixere minores,
Plurima quòd rubro quæratur in æquore concha)
Navita (quem cruſti malis audacibus orbem
Prendere poſtremi, patulis nec parcere quadris,
Aut Cereri ambeſæ penuria adegit edendi)
E' trabe vicinis inhians ſe vibrat arenis;
Et gelidos amnes, & menſas quærit agreſtes;
Atque hàc, atque illàc currit per devia Sylvæ:
Ceu ruit impaſtus, ſtrictoque è carcere miſſus
In diverſa lupus, caulas ſpeculatur, & alta
Septa capellarum, cupiens ſedare moleſtam
Ore famem; ſylviſque rapax abſconditur atris:
Non ſic magnanimus geſtis felicibus Heros
Diſtrahitur campo, ſtimulos non ſentit edendi;
Nec ſitis impellit calices ſiccare falerno:
(Diis ſimiles etiam terris ſub veſte caduca
Æthereo Superùm veſcuntur nectare Divùm;)
At maiora coquens animo compendia rerum,
Intentus tenet ora, Peloque immobilis hæret:

Secum

[1] Urbs Indiæ inter Gangem munita, & caput Regni cognominis in ora Malabaris Antea ſub ditione Luſitanorum; paucis ab hinc annis à Batavis capta: Duplex eſt ſuperior, & inferior, quæ ad mare.

[2] Urbs vulgò Calecut, aut Cochin in Ora littorali Indiæ cis Luſitanis Veſtigalis, a Comorino Promont. 36. Leuc. in Boream recedens

(3) Urbs Indiæ citerioris in ora Malabaris: Regē habet proprium, cui etiam, ſubeſt Regnum Travancotis in illo tractu. ibi Arx, & emporium celebre cum porta.

(4) Urbs Indiæ citerioris, quæ & Mangalor.

(5) Urbs & Emporium Indiæ citerioris, maritimū inter Dium, & Goam.

(6) Inſula parva Indiæ in ora littorali peninſulæ cis Gangem, & ad oſtia Mandovæ fluvii in ora Regni Decani prope Goā Urbem probè excultam a Luſitanis, quibus etiam paret.

(7) Tractus Indiæ intra Gangem in ora ſinus Gangetici inter Negapatanum ad Boream, & Promontorium Comorinum ad Auſtrū è regione Ceylani ſub ditione Principis Maduræ, ibi maxime unionū piſcatio,

Secum mente agitans, qua nam ratione, modoque
(1)Colaicos Cœlo ſuſtollat, & inferat Aſtris.
Nunc in vota Deum, nunc ipſam in vota Parentem
Sollicitat: Geniumque loci, Divumque potentem
Indorum quem cura tenet: Cum protinus alto
Labens, Saberidæ ſupra Caput aſtitit ignis;
Ac velut irradiat Cœleſti lampade Titan,
Sic Heroa ſuper præfulſit flamma triformis.
Tùm nutare ſolum, tremere omnia viſa repentè
Littoraque, fluctuſque maris: Colleſque moveri
Conſpecti circùm: mugire & nubibus aër:
Adventum teſtata Dei, vox intonat igne:
Venerunt tua vota meas, Dux inclyte, ad aures;
Audivique preces; votis ne parce, tuaſque
Funde preces: tua vota placent: age, pone timorem;
Ipſe tibi, quocumque voces me, ſydere ab alto
Dexter ero: tu geſta Deo nunc digna moveto.
Fortè Dorylèus Scopuloſo vertice ſaxi
Sederat, indigenas ſcrutari indagine gazas.
Defeſſus: (primà naſcentis luce diei,
Dum matutinus conchas irrorat Eous;
Lætus cœleſtes raptarat ab æquore prædas.)
Deductum ſiccà firmat ſtatione phaſelum:
Compoſti ſtabant per littora in orbe rudentes:
Humida per longos pendebant retia ramos:
Ante pedes hamique leves, ciſtæque jacebant:
Et naſſæ, & funes, & viminei labyrinthi.
Plurima dum ſecum tacita ſub mente volutat
Piſcator, longè venientem aſpectat ab alto
Heroem Scopulo; ſtupet inſcius, & ſua figit
Lumina, nec vultum agnoſcit: tunc obuius ultro
Incedit, celeratque gradum: Cum clara refulſit
Ignea fax: radiis, & lumine compita lucent.
Protinus ille nova correptus imagine monſtri
Conſtitit, & pronus ſe ſe projecit; at ille:
Deſine conſervum venerari: abſiſte precando.
Mortalis, fateor, mortali lumine ſpectas.
Tu mortalem hominem: Longo poſt tempore tandem
Quem Thomas olim, ſaxo dum ſederat udo,
Venturum dixit, Tyrrhena ab ſede profectum.
Surge, age, Colaicis hæc nunc mea dicta reporta.
Ille autem inſueta captus dulcedine, greſſu
Nuncius it celeri. Comorinæ gentis ad aures;
Exoptatum Indis peregrina in veſte reportat
Adveniſſe Virum: ſubitò cuncti, agmine facto,

[a] Incolæ ejuſdem Promont. quà maximè in Auſtrum vergit.

Torri-

Digitized by Google

Torrida dum medio flagrantibus æstuat horis
Axe dies, nimiisque ardent fervoribus arva,
Passibus haud lentis ad litora curva feruntur:
Jamdudum optatum longo post tempore certant
Aspectare Virum, legesque audire Latinas.
Ecce autem nova fax illis affulsit, & ingens
Splendor; & è gremio nituit lux aurea nubis,
Quæ circùm flammis radiabat tempora Divi.
Hinc subitò (mirum!) lacrymis hebetantur obortis;
Et tenebris oculi damnantur, luce repulsà.
Non secus, in Solem si quando audentius ipsum
Figimus obtutus, visuri lumina magnæ
Lampadis audaces, extemplò, ut fiximus almæ
Luci oculos, Phœbi radiis penetramur acutis,
Cedimus edomiti: tandem damnamus & ausa.
Sic illis jubar insolitum perstrinxit ocellos,
Abreptasque stupor rapuit trans Æthera mentes:
Attoniti pendent animis: mens nescia nutat:
Ter sunt conati lucem spectare coruscam;
Aurea conatus ter flamma elusit inanes.
Cùm Demùm cessit fulgor: simul aurea nubes
In liquidas auras sensim vanescere cœpit;
Protinus accedunt omnes: Heroaque circùm
Stant fusi, cunctique illum stipantque, coluntque:
Et jubar insuetum mirantur tempora circùm
Irradiare, genisque ingens decus addere Divo.
Atque hìc Saberides, (largas cui Numen Olympo
Inspirat flammas: quibus ebria pectora turgent,
Oraque sparsa nitent) populos sic voce salutat:
Quàm dudum optavi, donent tibi sydera pacem
Chara mihi gens, Chara Deo: Vos ille redemit
Sanguine; vos Cœlo peperit; cùm stipite duro;
Post varios casus voluit per vulnera mille
Spontè mori; tumuloque regi. Quid vulnera prosunt,
Extremusque dolor? totumque hausisse cruorem?
Quid Numen periisse juvat? si tramite cæco
In præceps ruitis, si vos lustralibus undis
Ducitis expertes animas; nec criminis ullus
Est pudor; atque omnes sceleri laxatis habenas?
Ah patrias lustrate notas: assuescite sacris
Moribus; & ritus tandem servate latinos.
Hàc iter ad Superos; immortalesque triumphos:
Scilicet humanà prodimus origine fontes;
Ni scelus innatum lustralibus abluat undis,
Quisque Acheronthæis lacubus mergetur in Orco:

Stat ſuâ virtuti merces; ſequiturque citato
Pœna gradu culpam; ſolo namque omnia nutu
Qui regit; hic æquos populos adſcribit Olympo;
Injuſtos premit; & Stygias detrudit in umbras.
Ergo, agite ò populi, felicem noſcite ſortem
O fortunati nimium! caput abdite lymphis;
Purior Aligeris ut ſpiritus exeat undis.
Non opus his plura effari: tùm ſponte Paravi
Se ſe ſydereis dedunt, tanto auſpice, ſignis
Flumine luſtrati ſacro, & ſua nomina Chriſto
Dant faciles; gaudentque jugum ſufferre Quirini,
Quod jucundum olim primi ſubjere parentes
Indorum; cùm ſacra Dei devexit Eoos
In fines Thomas. Vicino à litore fontes
Haurit Saberus; dextramque ad ſydera palmam
Extollit; tunc nuda ſuper capita omnia lymphas
Aſpergit: trifidâ ſignans aſpergine frontes;
Appellatque Patrem, Genitumque, & Flamen Amoris;
Plenus ut è cœlo deſcendat Flammeus imber,
Qui molles animos conſtanti robore firmet;
Ut complexa ſemel ſtet forti pectore ſemper
Intemerata Fides; directo tramite ſemper
Incedant hilares; cœli ſuper aurea donec
Sydera mortali de carcere ſuſtollantur.
Jamque actis, de more, ſacris: excurrere circùm
Incæpit raris habitata mapalia tectis,
Sub juga miſſurus Piſcaridis arua rubentis;
Lecturuſque inopes inter conchilia gentes,
Et lectas Animarum Eoo in litore gemmas:
Jam plures pagos ſacris luſtraverat undis;
[1] Tucurini pertinacia miraculis expugnatur. Cùm rurſus rediens (1) Tucurini venit ad urbem;
Utque vias omnes, lapidemque evolveret omnem;
Auſoniæ Cives donèc ſubmitteret Arci
Lætior, & cæco miſeros educeret Orco;
Reſtiterat nam ſola ſequi Vexilla Tonantis
Urbs illa infelix: duras obſederat aures
Error; ut æthereà nollent ex Arce ſalutem:
Jamque ubi mortales tanto in molimine vires
Deficiunt, opus aggreditur, cui ſufficit unus
Omnipotens, cum mira Fidem exuperantia noſtram
Suadet, & aſſenſum, mente obluctante, requirit.
Non humili tunc Virgo loco prognata ferebat
Ægra uterum, primoſque ſinus experta labores
Ad partus nova miles erat; non illa periclis
Sufficiens: tantos pteri tolerare dolores

Nec

Nec potis. (eſt quæcumque auſis res ardua primis:
Quæ tentata ſemel, ſenſim fit mitior uſu.)
Ægra parens pœnis exercebatur acerbis:
Addebat puer ipſe ſuæ malè gratus (1) alumnæ,
Dum faciles aditus non inveniebat ad auras,
Pondere non modicos, uterum quatiente, dolores.
Non via, non aditus vitæ: morituraque ſemper
Stat miſeranda parens; ſecùm tractura ruinâ
Eheu meſta parens! dilectum pignus eàdem
Extrema impendet, momento abſumat eodem
Quæ pignus, matremque ſimul lachrymabilis hora.
(Saberides verò caſum miſeratur Onuſæ,
Tale parentis erat nomen,) ſit obvius, atque his
Languentem alloquitur. Tanto medicina dolori
Una tibi ſupereſt; nato viaque una ſaluti eſt:
Scilicet ut caput æthereis aſpergere lymphis,
Et juvet in vitreas deſcendere protinus undas:
Hinc tibi parta ſalus; tantos levat unda dolores;
Et puer incolumis ſuperas aſcendet in auras
Nec vitæ tantùm perituræ lympha ſalutem,
Verùm etiam pariet longeva in ſecula pacem;
Eternumque decus regnis celeſtibus addet.
Annuit ægra parens. liquidas deſcendit in undas;
Luſtralique ſuos aſpergit flumine crines.
Interea genitrix partus preſaga; petivit,
Speratam quæ ferret opem, fætumque levaret:
Cum ſubitò incolumis vitæ ſublabitur auris
Ingenuo puer ore micans, formoſior aſtris;
Sed magè divinis emerſit pulchrior undis.
Gaudet læta parens, priſcique oblita doloris;
Dulce fovet pignus, teneris dat baſia labris.
Ante ſacros hinc illa pedes devolvitur ultro
Saberi, & meritas ſolvit pro munere grates.
Ille Deo grates perſolvi munere tanto
Imperat, & ſuperis dona hæc accepta referri.
Attoniti exemplò cives (convenerat omnis
In tectum populus, viſurus an ille ſalutem
Redderet; an falſa miſeram deluderet arte)
Hærent, & taciti ſecum hæc eventa revoluunt;
Letitiàque omnes exultant: evolat aſtris
Continuò lætus clamor; plauditque juventus
Victori; nomenque Viri ſuſtollit olympo.
Se ſacris dedunt ſignis, ſe tota Tonanti
Devovet urbs: Populus vitreis luſtratur in undis.
Jam verò Aligerum Cœlo ſublapſa ſereno

(1) Adivè uſurpatur a Nonio.

Agmina, & insolitæ volitare per aëra formæ
Conspectæ; & Chariti festivo plaudere cantu.
Læta per aërias fertur Charis inclyta sedes:
Relligio Auroram lustrat, gaudetque tuendo
Elusas Erebi fraudes, populosque receptos.
Hinc Punicalis victricia Divus ad Urbem
Signa movet; rutilis radiant labara aurea flammis.
Innumeræ retro juvenum, puerùmque cohortes
Visendi studio, calcant lata æquora cursu.
Hos ille infantes Lemures mittebat in atros,
Securus palmæ, dextræ confisus inermi
Non illi gladios, ferrata aut cuspide pinus,
Nec pharetram jaculis, nec lentum ancile gerebant:
Attamen armati fulgent melioribus armis,
Aurea crux manibus longè stat fortior hasta
Pro pharetra ex humero pendet demissus in armos
Purpureus textus Pæstanis floribus ordo;
Et sacræ tutantur Imaginis Ægide pectus.
Intemerata fides capiti pro casside fulget.
Talia bellipotens nunquam spectacula Mavors,
Nec tales unquam ruere in fera prælia turmas
Bistoniis spectavit aquis, aut fluctibus Hebri.
Iamque propinquabant muris, jam classica signum
Bellandi dederant: sed erant sacra carmina signum,
Classica quod dederant: ¡subitò(mirabile visu).
Atroniti cives divino carmine pandunt
Victori portas; patuit via tuta per Urbem;
Nec pueris ausus de gente resistere quisquam.
Sponte suâ credunt seque, & sua mœnia Cives.
Hinc ego te quibus, ò Sabere, heroibus æquem?
Aut queis te superis extollam laudibus astris?
Tu solus populos, orbem tu vincis inermis.
Hæc tua nam virtus, & dia potentia dextræ,
Non pueri imbelles faciunt. Te te auspice, teque
Auctore intentant: Tu robora sufficis illis.
Auspice te, nunc mira edent miracula rerum.
Te duce, lethiferas ægro de corpore febres,
Squallentes morbos, pestes, morteſque fugabunt.
Sed tu sydereæ, & non fluxæ laudis amator
Das plausus illis. O! quæ spectacula rerum
Cernimus! Eois O' nunquam audita sub oris,
Nec spectata plagis, quas despicit Occiduus Sol.
Quæ stetit effuso beliantum sanguine, palmam
Adsciscunt sibi Ductores; Tu, quæ tibi multo
Sanguine palma venit, laudis das prodigus illis.

Jam-

Jamque foro juvenes aderant : hìc læta patenti
Altera ſpectaclis aperitur ſcena theatro.
Namque ſedens ſaxo feralis ad oſtia fontis
Sciſſa comas, pectuſque manu percuſſa decorum
Pignora chara parens, erepta rapacibus undis
Deflebat lacrymis non proficientibus : Ora
Jam roſeus color, & jam vividus ægra reliquit
Membra calor; nigroque puer jam merſus Averno eſt.
Ut verò madidam lacrymis Saberus obortis
Aſpexit matrem : tanti quæ cauſa doloris?
Orſus ait : quæ ſanta premunt diſpendia pectus?
Fare', age meſta parens; mihi nunc da verba petenti:
Rumpe moras : nam corde dolor miteſcit aperto.
En noſtri quæ cauſa mali; quæ cauſa doloris,
Illa inquit : tu ſolus eras mihi pignus amoris
Nate parentis amor; ſed te mihi fata tulerunt:
Eheu fata! datuſque ſimul fluvioque, necique es.
His miſeram alloquitur matrem tunc inclytus Heros:
Deſine meſta parens lacrymas verſare fluentes:
Parce metu : vivit dilecti pignus amoris.
Non mors, ſed ſomnus placidè ſua lumina clauſit.
(Dixerat hæc ille, ut ſibi laudem averteret omnem;
Sed tamen egregiam laudem ſpectacla dedere.)
Interea puero accedit, manibuſque prehendens,
Surge age; ſat placido ceſſiſti lumina ſomno.
Vix ea : cum ſubitò ſurgit, mirabile viſu,
Purpureo puer ore micans, & paſcitur aura:
Obſtupuere omnes; oculiſque hærentibus olli;
Attoniti ſpectant tanti miracula facti.
Nec ſibi jam credunt; ſed credat quiſque neceſſe eſt;
Dum propriis cernunt oculis, atque ipſa patet res.
Attamen unus erat, turbà procerior omni,
Barbarus, immanis, qui ſolum incredulus inter
Tot gentes, ſaxo, vel marmore durior ipſo,
E' ſtygiis puerum ad vitam remeaſſe, negabat.
Inſit : vivus erat, vivumque erexit; & ipſe
Ore ſuo faſſus. Quæ tanta potentia dextræ
Mortali? Fictis ſed nos vult fallere factis.
Aſt illi contra; Saberum ad ſydera tollunt;
Et Divum appellant; genus omnipotentis Olympi;
Murmure ſpectacli celebrant præconia feſto.
Ille, ut durus eryx, ſtat, vel (1) Marpeſia cautes;
Sed nova marmoreum expugnant miracula pectus.
Ecce tibi ante oculos, primævo in flore juventæ,
Extinctus juvenis, quem ponè ſecuta pheretrum

(1) Mons Bari Inſulæ ſaxoſus de qua Virgil. 6. Æneid.

Fle

Flebat mæsta parens; passim, de more, solutis
Crinibus illacrymans tollebat ad astra querelas.
Ut videt hanc Heros, lacrymis aggressus obortis;
Sic mæstam alloquitur matrem, & solatur egenam.
Parce parens lacrymis: namque est via tuta saluti;
Quem gemis, ad superas, si vis, revocabitur auris.
Digna quidem, fateor, res est majoribus ausis:
Crede tamen; generosa Fides namque omnia vincit:
Dixerat: indicitque moras, urnamque recludi.
Extemplò acciti Cives è sedibus Urbis
Concurrunt, studio visendi, & triste pheretrum
Circumstant; spectantque oculis deforme cadaver.
Ille autem in cœlum palmas cum voce tetendit,
Numina summa vocans; ultrò refluentibus undis
Ora per, atque genas; iterumque, iterumque precando
Astra ferit; gemituque forum latè omne resultat:
Ire iterùm in lacrymas, & toto pectore anhelo
Cogitur in gemitus; iterumque instare precando.
Stant cives stupidi circùm, intentique tuentur,
Quò lacrymæ, & gemitus tendant, quæ tanta precum vis.
Continuò pheretri tremere omnia visa repentè;
Sub pedibus nutare solum; strepere avia circùm
Concussu nemora; & muros titubare domorum.
Obstupuere omnes: subità formidine sanguis
Diriguit venis, atque occupat omnia frigus.
Ignari novitate rei, attonitique pavore.
Inspiciunt urnam, spectantque informe cadaver.
Nec mora; Saberi bis voce vocatus ad auras
Assurgit, pavidus circùm sua lumina verteus;
Vixque sibi credit, jam ereptus faucibus Orci.
Illi autem hortantur fari, quæ causa pavoris?
Quid timeat? Pheretro tum sic exorsus ab ipso est.
Non, mihi si totidem linguæ, quot marmora fluctus,
Quot sylvæ frondes numerant; quot sydera cœlum;
Ferrea vox: pœnas, quæque ipse miserrima vidi;
Et quorum pars magna fui, percurrere possem.
Has mihi, vos superi, cunctisque avertite pœnas.
Vix me falce suà Mors messuit: impia cogit
Infernos penetrare lares, regna, horrida regna.
Cum subitò properat nigris exercitus alis,
Meque petit: circùmque fremunt mille agmina: mille
Evibrant ocnlis tetros flammantibus ignes,
Dentibus infrendent omnes; prædæque parant se.
Non secus Harpiæ, vel si quid tristius unquam,
Audistis, lacerant tabefacta cadavera rostro

Me

Digitized by Google

Me miſerum rapiunt, victumque ſub aſperâ condunt
Tartara; ubi Manes cœco cruciantur Averno.
Viva illic rapidis ſunt centum incendia flammis;
Perpetuis tenebris oculis nox ingruit eheu,
Atraque nox flammas nutrit: ſunt horrida monſtra;
Hydræque, rabidique canes, avidæque chymæræ:
Pœnarum genus omne, furit genus omne malorum;
Heu miſeri! nam tempus adeſt; aſpergite lymphâ
Luſtrali caput; atque Fidem ſervate latinam.
Hàc iter ad ſuperos: nec plura effatus. At omnes
Antiquam exoſi labem, cultuſque profanos
Suppliciter triſtes ardent luſtralibus undis
Suppoſuiſſe caput. Superas it clamor ad auras
Saberum extollunt Aſtris; & murmure feſto
Exclamant, Victorem Erebi, Terræque Parentem;
Intereà Herois latè clareſcere nomen
Cœperat; & rerum miracula Fama canebat:
Ergo omnes cupiunt Populi Romana ſubire
Dulcè ferenda juga; & tanto gaudere Patrono:
Ultrò Romuleis gemmata Travancoris ora
Adſcitur ſignis: veniunt ad juſſa Paravi:
Quidquid gemmiferis Comorina interluit undis
Tethys; & oſtriferis quidquid mare fluctibus ambit.
Agaricum, & primi ſpectat cunabula Solis:
Quoſque ſecat medius Gathes Malabaricus Indos; (1)
Obſtabant tantùm generoſo è ſanguine regum
Brachmànes geniti, qui auſi certare duello,
Cum benè jam noſſent Fidei præcepta latinæ;
Victori tandem ſe dedunt. Victor Eoo
Saberides, ſua Signa, Crucem latè explicat Orbi;

(1) Idem ac Adiſa; Gharus.

SABERIDOS

LIBER VI.

Argumentum.

Lecta manus comitum Sabero adjungitur : imo
Dum Furiæ Phlegetonte fremunt ; nova bella, doloſq;
Inſtruit Alecto, & Lycam ſimulata, Tyrannum
Batòrum inſano complevit Martis amore :
Jam Badagæ Adiſatri vecti per culmina in agros
Turbatæ properant Travancoris, agminaque urgent,
Et crebris fruſtrà terrent aſſultibus urbem :
Cùm trepidà Saberus adeſt inopinus in Arce.
Indè Giganteà conſurgens mole, furentes
Increpuit Badagas ; illi formidine capti
Corripuere fugam, Caſtriſque abiere relictis.

JAmque peragrato ſe ſe referebat Eoo
Fama per Affiriæ ſemper florentia (1) Tempe ;
Et rapidas Euphratis aquas, & ditia Idumes
Regna, coloratis Nereus ubi purpurat undis,
Quas hinc findit Arabs, (2) quas hinc Peluſia pubes
Lintre ſecat ; gravidas dum captat ab æquore conchas ;
Heſperiam in magnam, quà ſurgens montibus altis
In mare prorumpit, lymphis (3) Tyberinus amœnis.
Hìc fortes ad bella Viros Loyola parabat,
Et ſacra delectos cogebat ad arma maniplos.
Illa per emenſum pernicibus aëra pennis
Læta volans, clarum factis Heroa canebat
Saberum ; partos memorans ex hoſte triumphos ;
Detruſos Erebo Manes, Acheronta ſubactum ;
Biſque triumphatas acies, domitumque Tyrannum
Auroræ ; & ſtygiûm paſſim delubra Deorum
Victrici contrita manu ; proſtrata per æquor
Fictorum ſimulacra Deûm, fractoſque Pagodes.
Hinc centum intendens linguas, ſimul oraque centum
Aſci-

(1) Amœnus locus in Theſſalia, per quem Penus fluvius leniter fluit ponitur pro quovis loco amœno.

(2) Geminę Erythręę, altera Egyptia, altera Arabica.

(3) Fluvius notiſſimus, qui ex Appennino defluēs, & Hetruriam ab Umbriâ dividens Româ tranſit, & deindè apud Oſtiam in mare illabitur.

Digitized by Google

Adſcitos Chriſto populos, ingentia ſceptris
Addita Romuleis Tithonia regna ferebat
Unius ob vires Saberi, animumque virilem,
Quem primos inter proceres ſtellantis Olympi,
Adſcribit celebrans, ſummiſque heroibus æquat:
Uno in Sabero cumulat decora omnia Divûm,
Terrenis vindex quo non præſtantior alter
Sedibus emicuit, Stygium frenare Tyrannum
Eumenideſque feras; hoc auſpice quid ſit inauſum,
Aut intentatum cęptis mortalibus unquam?
Hac fama ingentes conſurgunt murmure feſto
Urbibus Italiæ plauſus; & carmine digno
Concelebrant partæ Populi præconia palmæ.
At Vaticani, qua ſurgit ad æthera vertex
Maximus it Cœlo plauſus: lectiſſima regni
Lumina Romulei ſacris Heroa ſalutant
Carminibus, nomenque Viri ſuper aurea tollunt
Sydera. (1) Tarpeja (2) Pater ipſe à ſede latinus,
Qui cunctas triplici moderans diademate terras,
Decernitque ſacros ritus, & præſidet Aris,
Quemque penes Cœli Arbitrium, & cuſtodia portæ eſt,
Lætitiâ exultat; latiæ dum jura Tyaræ
Vecta per & Libyes, Erithræque, & Perſidis oras,
Atque amplexa videt Gangem, rutilumque Choaſpen.
Verum facta viri felicia, Numine fauſto,
Et debellatos populos, Maneſque ſubactos
Noverat Ignatius, belli cum primus iniret
Grande rudimentum Saberus, & arma ſecundo
Marte ciens triplici palmas ex hoſte referret.
Illum ego conſpiciens armatum robore tanto;
Et ſuper humanas animo ſe attollere vires,
Tunc equidem, tunc rebar, ait Lojola, futurum
Saberidem ſtygiis damnum irreparabile regnis
Nec mea falſa fides, nec mens divina fefellit.
Ergo novis alacer ſucceſſibus inclytus Heros,
Magnanimos animis præſtantibus agmine toto
Delectos jubet ire Duces, qui littus ad Indum
Victrices patriâ ductent virtute phalanges.
Conſilio, virtute, manu clariſſimus (3) heros
Mittitur ante alios, dederat quem regia mater
Parma potens armis; fuſo qui primus Eoam
Proque Fide, & ſacris, aſperſit ſanguine terram.
Hinc (4) alter delectus adeſt, quem vexit ad auras
Umbria; & æthereo nutrivit rore (5) Metaurus.
Vir primo virtute pari: Sed longior ætas

(1) Rupes, & Arx ſic dicta à Tarpejo Capitolii cuſtode.

(2) Paulus III. Pontifex Maximus à quo Xaverius ad Chriſti fidē propagādam per Indos fuerat miſſus.

(3) Antonius Criminalis, prima Victima in odiē fidei Punicali à Badagis cæſa die 7 Febr. anni 1549. ætatis ſuæ 29.

(4) Pater Paulus Comoricus, vir, qua prudentia qua animarum actu inſignis.

(5) Umbriæ fluvius Præterfluens Urbem Fanum; circa quem M. Livius, & Claudius Nero profligaverunt Haſdrubalem fratrem Hannibalis.

Promptum consilio, & dubio sub Marte potentem
Reddiderat: quem Beira ducem comitatus euntem est;
Dux ipse, & scelerum, domitique eversor Averni.
Ut videt Heroas generosa in bella paratos
Ite, ait Ignatius, quò vos Saberia Virtus,
Et præclara vocant Sociorum gesta, sub oras,
Quas oriens Sol lustrat equis; ferte arma, lacusque
Audete in stygios, regemque lacessite Averni.
Nec mora: consilio oblatam præcurrite Sortem.
Si quis amor laudis, generis si gloria nostri;
Enthea si qua animis pietas: si cura tuendi
Numinis; & sacro fervet si pectus ab igne.
Cernite, ut Eois è finibus inclytus Heros
Vos socios ad bella vocet; simul India poscat
Suppetias; incœpta quibus pro Numine bella
Conficiat; cœptamque truci stragem integret Orco.
Ite, atque Auroram egregiis ornate trophæis
Dum vobis superi aspirant; dum Numen agit rem.
O' fortunatos nimiùm quos munere tanto
Posse frui, & partem voluit Deus esse laboris.
Quam socii sortem nunquam obtinuere precando,
Nec lacrymis meruere suis: sors aurea vobis
Contigit; hæc merces vestris pulcherrima votis
Jam data; vos omni sociorum ex agmine lecti.
Ergo alacres celerate moras, cursuque citato
Quò socii, Numenque vocant, quòve aura secundat,
Ferte pedem: stygio regi fera bella movete;
Barbaricas pulsate acies, fractusque Tyrannus
Infernas iterum sedes, sua regna, revisat;
Indignumque exosa jugum, turpique redempta
Servitio, soli deserviat India Romæ.
Romam Gangarides, Romam veneretur Hydaspes:
Nunc animis opus est: nunc viribus addite vires;
Nec vinctos pigeat tumulari carcere cæco;
Aut Domino similes pudeat discrimina mille;
Mille cruces, casusque pati: stent prodiga vitæ
Pectora: Romuleæ stet debita cura Tiaræ.
Grande movetis opus: stat nostris dissita terris
India: quam longo mare dividit intervallo.
Durum iter: insani fluctus; atque horrida cæcis
Syrtibus; ac tumidi superanda pericula ponti.
Sed dubios revocate animos; hàc itur ad astra:
Astra petunt fuso venales sanguine palmas.
Dixerat; & lacrymis vultum perfusus obortis
Dilectam Sobolem patriis amplectitur vulnis;

Vota-

Digitized by Google

Votaque complexu geminans; verba ultima fletu
Irrigat, & tutos cursus, ventosque precatur.
His monitis accensi animi, firmataque virtus;
Et dictis animata Ducis generosa juventus,
Certa novas tentare vias, rapidoque calentes
Sole plagas, aliumque Poli ventura sùb axem
Auroræ ad populos; qua Ganges turbidus auro
Intumet: & gemmis gravidum Thetis excipit Indum:
Deserit Italiæ caput, imperiique Latini,
Et medios secat Hetruscos, Pisasque sequentes
Præterit, ac (1) Lunæ decedunt mœnia retro.
Hinc illi Ligurum fines, montesque nivales,
Et pedibus scandunt pernicibus Apenninum.
Antiquam linquunt clivoso tramite montis
Ausoniam, lato quæ surgit ad Æthera dorso;
Aërias superant Alpes, & nubila tranant,
Trans vectis Italos, populique, urbesque togatæ (2)
Occurrunt; latisque aperit se Gallia campis.
Mavortis superant arces, & celsa subintrant
Mœnia (3) Massiliæ, curvâ quà mole recurrit
Portus; & obstrictæ claudunt tuta æquora fauces.
Hìc celeres subeunt puppes; levis inde secunda
Aspirans aura, & crepitanti murmure ventus
Carbasa tensa ciet: fugiunt spumantibus undis.
Jam Gallum evasere latus; cum vertice summo
Apparet procul è pelago nemorosa (4) Pyrene;
Thyrsigero legitur quondam terra hospita Baccho
(5) Tarraco; purpurei raduntur & ostia Iberi
Et nova Carthago, & mediis (6) Balearides undis.
Hinc trans Herculeas provecti gurgite metas
Tartessi relegunt littus, Gadesque propinquas
Transmittunt proris; Euroque in vela secundo
Littora prætereunt Bætis: mox Lysia regna,
Auriferique Tagi subierunt ostia puppes.
Hìc, dum sævit hyems, pelagique exasperat undas
Odryfius Boreas, tuti statione recessus
Hibernant naves: atque omnis littore curvo
Otia læta trahit Nereo defessa juventus.
Magnanimi verò Proceres non otia lentis
Carpebant ripis; nec vertere seria ludo,
Nec fractos curis animos laxare parumper
Curabant mixtis salibus, cultoque paratu;
Non tempus terere, aut genio indulgere petulco;
Atque dies totos lepidis transmittere dictis;
Nec miscere jocos. Nam turpis inertia summos

(1) Fuit oppidum Hetruriæ ad mare Ligusticum, vulgò *Sarzana*, habens portum egregium.

(2) Urbes Galliæ Cisalpinæ, quæ togata dicitur.

(3) Urbs Galliæ Narbonensis ad mare a Phocensibus cõdita, ubi S. Mariæ Magdalenæ corpus habetur, & Portus tutissimus.

(4) Mons Acrocerinthi, Musis sacer etiam mons Hispaniæ.

(5) Urbs Hispaniæ ulterioris a Scipionibus condita.

(6) Insulæ duæ in Hispanico mari, ubi primùm repertus est usus fundarum, vulgò Majorica & Minorica.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON 1894

Digitized by Google

Dedecet Heroas: ſtudioque ignobilis otî,
Magnanimi ſquallent animi, quos lenta retundens
Imbelli fractos luxu ſocordia vicit.
Quamque hoſtes timuere Duces, Exercita virtus
Succreſcit ſtimulis; hanc triſtis inertia frangit.
His exciti animi, cæptis non ſegniter inſtant;
Arma parant; ſacroque ſtudent præludere bello.
Jam glaciale caput, liquefactis Bruma pruinis,
Condiderat: toto ridet lux aurea cœlo
Ver ſurgens tepidis florentia rura ſalubrè
Mulcebat Zephyris; & amicas carbaſus auras
Evocat; & venti veniunt in vela vocati.
Nec mora: continuò tranſtris ſedet excita Pubes,
Arma legit; merſiſque celer ſodit æquora palmis,
Remigio, veliſque volant. Secat ære tumentes
Claſſis aquas, urbeſque retro, colleſque recedunt.
Interea Pluto nigris detrusus Avernis;
Res ubi cognovit Saberi tollier aſtris;
Atque Ignatiadæ gentis victricia ferri.
Signa videt Libyen ultra, victumque Choaſpen;
Et geminos latè protendere ſceptra ſub axes:
Quin etiam ſpectans (dolor hic Plutona remordet
Acriùs, & ſtimulis præcordia tangit acutis),
Ereptas Erebo prædas, fractumque ſuorum
Imperium, verſaſque acies, Maneſque fugatos.
Ac junctum Latio Gangem; jam Seras, & Indos
Romanas Aquilas, victriciaque arma ſequutos.
Sydereis lymphis aſpergi, & nomina faſtis
Jam dare Romuleis: irâ implacabilis ardet
Ac tetros vibrans oculis flammantibus ignes
Ingemuit; gemituque omnem tremefecit Avernum;
Conciliumque vocat Furiarum, ac talibus infit.
Heu ſortem inviſam, & fatis contraria noſtris
Numina, Saberides ferat hîc impune triumphos?
Hîc lauros impunè metat? tot templa, tot aras
Diruat: & noſtro geminet de funere palmas?
Scilicet Auroræ populos, mea regna Tyrannus
Obruat; & noſtrum terris avertat honorem?
O ubi ſum? Quiſnam prohibet, quin arma capeſſam?
Proque focis quin bella geram? fera bella movebo.
Hoſtis adeſt: noſtris hoſtis cadat improbus armis;
Et Furias diſcat, Ditemque laceſſere bello.
O' pudor! ò ſtygiæ memoranda infamia gentis!
Quo vires, animique, & belli interrita virtus?
Ite ò degeneres animæ, medioſque per ignes

Indi-

Digitized by Google

Indignam delete notam, vel Morte luenda eſt:
Ite; & victrices iterum demergite vaſto
Oceano puppes: & ſi conamine primi
Contuſæ Martis, fractiſque in gurgite cœptis
Heſperio, (Non tale quidem ſperare licebat,)
Arma reliquiſtis; retroque in terga ſolutæ
Ceſſiſtis belli palmas, laudesque triumphi;
Nunc cæptum peragatis opus: verſamque pudore
Inſtaurate aciem; belloque exquirite palmas.
Haud mora continuò nigris erupit ab umbris
Tiſiphone dextram crudeli armata flagello.
Atque ira, rabieque fremens: petit æquor Atlantis;
Arma remolitur, fluctuſque ad ſydera tollit,
Vaſto Ignatiadas ponto merſura cohortes.
Quæ poſtquam ſtygiis frendens erupit ab umbris,
Alecto alloquitur Pluto, cui talia mandat.
O' Erebi decus, & Furiarum maxima regni
Alecto, nam docta dolis effingere vultus
Mortales tu ſola potes, notaſque per artes,
Humanos ſimulare actus, & fallere gentes.
Eſt ſuper Adiſathri prærupto vertice montis
Gens noſtræ devota ſtygi, Chriſtumque peroſa
Indomiti (1) Badagæ, gens invictiſſima bello,
(Hanc ſolum audebat frendens componere gentem
Contra Ignatiadas Pluto) rex inclytus armis
Lytriſar, populos longa ditione gubernat.
Aſſuetus bello, nimiaque cupidine regni
Accenſus, patrios ultra protendere fines
Anguſtos agitans animo, totum orbis Eoi
Imperium affectat. Saberùm hic ſolus Eois
Sedibus ejiciat: trepidoque oriente ruinas
Arceat. Hic nobis pugnando reſtituet rem;
Ergo age: rumpe moras: mortales indue vultus;
Et Lycam ſimulata ſenem (ſic nomine dictus
Regis erat genitor, dum magni ſæva gigantis
Spiritus intus agens animabat corpora mole,)
Suade bella viro, ferrumque capeſſere contra
Saberidem Dis excidium, regniſque ferentem:
Cedere ne victus ſolio cogatur avito.
Romanasque Aquilas, & triſtia juſſa Quiritum
Servitium crudele, pati: ne ſede paternâ
Pulſus, in externis traducat finibus ævum.
Exere docta dolos; bellandi corda furore
Batorum extimula; cunctis furor arma miniſtret.
Tunc ſic Alecto: Faciam, rex magne, quod optas;

(1) Indorum Populi feroces, ac bellicoſi, qui in montanis Regni Biſnagar, & Belloquate habitant.

Incen-

Incendamque animum juvenis ferventibus iris.
Atque etiam fera bella truci cum gente gerenda
Suadebo. & cupidos procerum novitatis amantum
Irritabo animos. Hæc dum ſententia Diti eſt:
Continuò Senis ora gerit, vultuſque ſeniles
Aſſimilat, Lycam regis ſimulata parentem.
Cæſaries collo pendebat candida ſummo,
Atque humeros fluitans tangebat verbere leni;
Tumque ebori ſimilis nitido, caniſque decora
E' mento barba in pectus prolixa fluebat:
Aurea ſerta caput, corpus regale tegebat
Stamine gemmato, varioque intexta colore
Purpura, ſidonios ſuccos imitata rubore.
Hoc cultu, hoc habitu Dea tetra nigrantibus alis
Haud mora, nubiferis curſum velocior Euris
Arripuit; celerique ſecat cava nubila lapſu.
Nox erat; & velox nocturnis Delia bigis
Vecta, colorato nodoſis æthere habenis
Flectit equos, lucemque gerit radioſa ſerenam;
Cum nimium feſſi curis membra ægra relaxant
Mortales, toto profiantes pectore ſomnos;
Cumque peregrinæ vocem preſſere columbæ;
Dulcia nec linguam Philomela in carmina ſolvit;
Cuncta ſed optatos carpunt animalia ſomnos.
Non minùs interea, celſas qui temperat oras
Et montana regit Batorum regna, Lytriſar,
Per noctem placida reſolutus membra quiete,
Mordaces ſomno lenibat pectore curas.
Cum ſubitò juveni ſenior ſe ſe obtulit ultro:
Et patriam ſimulans vocem, geſtuſque ſeniles;
Talia verba dedit. Surge ò chariſſima proles,
Surge age: torpentes è membris excute ſomnos
Natus in imperium, atque in facta illuſtria natus:
Non tempus placidos per amica ſilentia ſomnos
Carpere: bella gerat, qui vult ſua Regna tueri.
Auſonia ex magna trans cærula marmora vectus
Romulidum ſacros ritus, moreſque latinos
Intulit Eois victor Saberius oris,
Unus & ille dolis inſtructus, & arte malignâ
Hoſtis adeſt; claros Aſiæ populare Penates.
Jamque Travancoridis regnum, jam turbida gemmis
Oſtia Meſolii, regnique fluenta Salenis,(1)
Et (2) Colchi in partes latii ceſſere Tyranni.
Quin fortunatis nimium ſucceſſibus audax
Excidium parat Eoo. Felicia cœpta

Auda-

(1) Videntur eſſe flumina oram malabaricam interluentia, ubi fluvius Canarà.

(2) Urbs Indiæ intra Gangem caput regni in ora Malabaris 25 Leucis Hiſpanicis à Calecuto in Auſtrum, & 44 à promontorio Comorino in Boream, anteà ſub dominio Luſitanorum, nunc autem, paucis ab hinc annis capta à Batavis, vulgò Cananina.

Digitized by Google

Audaces tollunt animos, vireſque miniſtrant
Proſpera bellorum. Verùm tu fortibus armis
Occurre; & patriâ ſupera virtute Tyrannum.
Ne patere externâ regnum ditione ſubactum
Relligione Deùm: ſed bello elata tuere
Sceptra patrum: namque ipſa tuis Sors annuit armis;
Et cunctos pro ſe vocat in certamina Divos.
Hæc dedit; & tenues ſubitò ceu fumus in auras,
Fugit, & in liquidum commiſcuit aëra corpus.
Hinc ubi Tartareas ſedes, loca cæca, reviſit
Talibus alloquitur ſtygios, regemque ſeverum.
Tænarii Heroes, cæptis Fortuna ſecundat.
Non priùs effundet novies ſua lumina Titan,
Quàm moriens miſeram diſperdet in aëra vitam;
Et tanti pœnas ſceleris luet impius hoſtis.
At vos interea ſtygii ſpes maxima regni
Eumenides; per ſtagna precor flammantis Averni;
Urgete inſidiis Badagas, notaſque per artes
Præſidio firmate ducem, vimque addite bello.
Non dum Phœbæo fulgebant lumine montes,
Hinnituque gravi ſtellas diffuderat Æthon;
Cum ſtygiis actus Furiis, totoſque per artus,
Furtimque immiſſum venis ſufferre venenum
Impatiens juvenis, nocturna ſilentia rupit.
Arma amens clamat; date tela, o' ferte ſagittas.
Imperat arma furor; creſcitque inſania belli,
Ira ſuper; valido veluti cum Sole bitumen
Pabula viſceribus præbet ferventibus Ætnæ
Accipiunt alimenta faces; & ſulphure fervent;
Exultantque æſtu flammæ: furit igneus intus,
Atque alte excreſcens, ſpumis exuberat amnis,
Nec jam ſe capit ignis: edax ruit undique flamma.
Ergo ad bella Duces, juveneſque ad bella fatigat
Barbarus ore fremens; ſtat totis viribus hoſtem
Aut premere, aut rurſum occiduas detrudere in oras;
Ut belli ſignum celſa rex tollit ab arce;
Martiaque irato ſtrepuerunt cornua cantu:
Utque ſinu vexilla notos hauſere ſecundos;
Continuò commoti animi, trepidoque tumultu,
Hinc, atque hinc alacres properant: lymphataque pubes
Arma capit: Primique Duces Ranamaſtus, & Ophir
Robuſtos ad bella viros, lectamque juventam
Conſcribunt ſignis; & millia multa recenſent;
Exercentque rudes acie, & ſimul agmina denſant.
Ipſe ubi loricam, ferroque, auroque rigentem

In-

Induit; & capiti galeam, criſtaſque comantes;
Aptavitque enſem lateri, lyciamque pharetram;
Atque acri ſubvectus equo, volat agmina circùm:
Ipſe aciem (non cura ducis), rex ipſe phalangem
Inſtruit: ac torvos oculos hùc vertit, & illùc;
In medio denſat cuneos; floremque juventæ
Fronte locat prima; veterano clauſit & agmen
Milite; ſi retro fraudem meditabitur hoſtis,
Occurrat venienti, atque ictus impete primo
Excipiat virtute pari: mox cornua tendit
Æquiùs; & turmis equitum latus armat utrumque:
Ac velut umbroſis ripis, & flumine glauco
Hebri Threicii, aut ferventi Biſtonis unda
Mars fremit, armigeras diſponens ordine turmas
Hic Dacos peltis locat, & lunata Getarum
Agmina: falcatos hic ſiſtit Biſtonas; atque hic
Agglomerat ſortes, ſinuatque in cornua Thraces:
Explicat hìc alas, retrahitque, iterumque relaxat;
Inflectit, flectitque aciem, curritque, recurritque,
Et labyrinthæis erroribus æquora ſignat.
Haud ſecus accenſus juvenis furit igneus, & jam
Bella, aciemque parat; tumuloque excelſus ab alto;
Sic gentem alloquitur, ſtimuliſque potentibus urget.
Bellaces Animæ, gentis ſpes ultima Eoæ,
Delectique Duces, præclaraque robora Martis;
Jam vobis optata dies ſe ſe obtulit ultro;
Ac votis quæſita diu: jam copia pugnæ
Oblata eſt vobis, quæ votis mille petita eſt
Hortatus patris monitu, juſſuque Deorum
Bella gero; & totas in prælia fundere vires
Relligio, regnique ſalus traxere coactum.
Unus ab Heſperia vectus trans æquora prædo
Indixit bellum ſuperis, & funera Divis;
Et regnum affectat: Vos ergo in prælia poſco:
Voſque pios ad bella voco. Non ibit inulta
Plurima Sydereis illata injuria Divis.
Sic pietas, ſic jura petunt; nos Numina poſcunt
Tantorum ultores ſcelerum, per tela ruamus,
Arma per, & gladios; ut ſic labefacta reſurgat
Relligio; omiſſique Deùm inſtaurentur honores:
Patria, Diique omnes armis, regnumque tuendum eſt.
Hæc ait: atque alacres primo præit agmine turmas,
Ordine quem legio ſectatur regia longo.
Jam rutilam novies trajecerat æthere metam
Phœbus; & aligeræ flagrantia lora quadrigæ

Tor-

Torserat; Atlantis properans immergier undis:
Cum primæ tumulos equitum petiere cohortes,
Unde (1) Travancoridis spatioso condita campo
Mœnia prospiciunt, queis sese claudere Divùm
Audierant; regnumque sacris lustrare latinis.
Jamque ruunt Badagæ; atque exundant milite colles:
Infremuere tubis; sonitu nemus omne resultat.
Hìc illi dum castra locant, & milite collem
Obsidione premunt, perque alta silentia noctis
Vallibus occultant acies, atque inter opacos
Anfractus nemorum, seque ima in parte recondunt.
Nox venit; atque hominum languentia membra soporat:
Nocturnas velox nitido regit æthere bigas
Delia, stelliferis circùm comitata choreis;
Per virides effusa thoros stat cuncta juventus,
Exercens ludos, & pocula plena coronans.
Collucent longè nemoroso è vertice flammæ;
Atque altè reboant dubio sub murmure voces.
Nuncius interea trepidus pervenit ad Urbem,
Qui sævas Batòrum acies, atque agmina centum
Adventare monet: cum miles mœnia servans,
Hostis adest, socii, clamat, propiusque periclum:
Arma viri rapite, arma Duces, detrudite vim vi.
Concurrunt subitò pavidi, lunataque densant
Mœnia; & obiicibus portarum limina firmant.
Continuò trepidam serpens pennata per Urbem
Fama volat mendax, Eois ocyor Euris;
Piniferas sylvas, & summum collis aprici
Obsedisse jugum Badagas, per culmina summi
Adisathri vectos, & saxa minantia Cœlo.
Extemplò dubio turbantur cuncta tumultu;
Concussique animi subitâ formidine belli,
Concurrunt triviis; mediam lymphata per Urbem
Inscia turba ruit, totamque timoribus implet.
Hunc ignes, hunc dira movent incendia: Marte
Omnia misceri; quassari mœnia crebris
Fulminibus: pueros alius miseratur inermes
Barbaricis tradi manibus, ferroque perire;
Imbellesque senes occidi: horrescit & alter
Stupra animo memorans: latiisque incendia sacris
Hìc metuit; superùmque manu violata profanâ
Plenaque barbaricis deflet delubra rapinis.
Jam celeri crescens motu regalia tecta
Rumor adit; pavidasque Ducum transverberat aures:
Namque hostes vallum transgressos, impete primo,

(1) Urbs ampla, atque munita intra Gabgam sita,

Invaſiſſe monet; diſiectas undique portas
Edocet, & ſubità telorum grandine tectos;
Exanimes cecidiſſe viros, qui mœnia turris
Denſarant, magnamque hominum ſtragem inde coactam.
Hoc ſtrepitu excitus tectis Mavortius Heros
Rex, proavùm geſtis, & ſceptro inſignis avito,
Extemplò feſtinat iter, greſſuque citato
Evolat ad muros, quos non dum barbarus armis
Aggreſſus, nec adhuc vallum tentaverat hoſtis.
Ergo ubi jam rumor mendax evanuit auris,
Et trepida obtutu revocavit pectora certo:
Turbati rediere animi. Rex ipſe per omnes
Excurrit turres, & propugnacula muri,
Et portas Urbis, lunataque mœnia firmat.
Milite, qui telis venientes arceat hoſtes.
Pervigil exercet fidas in vertice cuſtos,
Turrito excubias, ut ſervet ab hoſtibus Urbem:
Explorat, variatque vices. Sed vulgus inertùm,
Interea trepido curſat ſermone per Urbem.
Quid latura dies, expectat; & omnis in armis
Inſomnem totam duxit per mœnia noctem.
(1) Cum tandem Cœlo nemeæi accenſa Leonis.
(1) Stellarum occaſus Oriente Sole. Ira perit, nudamque ſuo miratur Orion.
Enſe manum: pariterque cadit Citherëjus ignis:
Matutinus adeſt Titan, cœlumque repentè
Luce nitens prima, & colles crinitus inaurat.
Extemplò litui ſtrepitus, clangorque tubarum.
Inſremuit; ſomno Badagas, vinoque ſepultos
Increpat, atque animos, & martia pectora rauco
Accendit cantu, longè fragor inſonat Urbe;
Et pavidas populi replet formidine mentes.
Nec mora; præcipites capiunt fera tela manipli,
Et legio, quæ prima præit, quæve indè ſecuta eſt.
Quo tumulo tormenta locent, quæ mœnia crebris
Pulſent fulminibus; qui primi invadere tentent,
Quâ fractus det murus iter; qui prima ſecundent
Tentamenta, docet tumulo Rex Barbarus alto.
(2) Tempus, ait, Socii, plenos rubiginis enſes
(2) Vehemens Lyſitrafis ad milites concio. Exerere, & ſiccas ſatiare cruoribus haſtas.
Illa dies hæc eſt, totas qua fundere in hoſtem.
Imperii vires opus eſt, & pectora ferro.
Obiicere, & primo terram omnem ſternere motu:
Qui patriam ſervare cupit, cultumque Deorum,
Irruat, & victor Romanum conterat hoſtem:
Ferte viri ſtrages, Urbemque incendite flammis,

Non

Non fugiet noſter concluſus mœnibus hoſtis.
Hæc ille: & Badagæ ſtrepitu plauſere canoro;
Et pugnæ ſignum, & crudelia bella repoſcunt.
Corda tument rabie, rapidaſque minacia flammas
Lumina dant; cædemque animo meditantur, & ignes.
Elati tollunt ſupero capita ardua cœlo
Aëriæ veluti quercus, pinuſque comantes,
Tollentes celſam nimboſa in nubila ſylvam;
Miſſilibus tectum ſtridoribus aëra complent,
Immaneſque cient ſonitus: ceu montibus altis
Irruit Odryſius Boreas: creberque procellis
Africus: inſtabili vento querceta reſultant;
Et pineta ſonant: nemus altis obſtrepit umbris.
Jamque furor, terrorque præit, ſtridorque tubarum
Armatos in bella vocat, ſimul excitat iras;
Irritatque animos, & barbara pectora pulſat.
Addit ſe ſociam Alecto, ſceleriſque miniſtras
Fundit Avernales lymphata per agmina peſtes.
Non minus interea Cives pro mœnibus adſtant,
Ut patriam ſervent, gnatoſque, & ſacra Triformi
Templa Deo: Sibi quiſque locum legit, & parat acri
Arma ferenda manu: pars miſtas ſulphure tedas
Mittere; pars melior certas vibrare ſagittas;
Pars in pugnaces torquere trabalia turmas
Spicula; & infeſtos pars trudere mœnibus hoſtes
Fulminibus, quæ dira ſimul tormenta retundant
Inſtructa aggeribus; ſcrobibus pars inſtat apertis
Sulphureoſque cados indit, tellure recluſa.
Ferratiſque alii portæ rimoſa patentis
Oſtia cardinibus, ponteſque attollere certant.
Ipſe, ubi bellandi fecerunt claſſica ſignum,
Fortis Acas animo exultans, ferroque minaci
Æſtuat, & totum ſpirant præcordia Martem.
Dein ſublimis Equo diſponit in Urbe cohortes;
Horrendam campo pugnam facturus aperto.
Vidiſſes intus Neptunia mœnia Trojæ
Hectora Dardanios furtiva ad bella maniples
Inſtruere, & tacitis pugnaces mittere portis
Latè Agamemnonias ſtraturos Marte phalanges.
Inde ubi jam promptas inſtruxit in arma catervas,
Denſavitque acies, & cornua bina tetendit,
Sic ait: (1) Egregii juvenes, ſpes maxima regni,
Quos Colchi timuere Duces, genteſque ſubactæ,
Ac toties bello Badagæ ſenſere potentes;
En optata dies venit, quæ nuncia belli,

(1) Graviſſima Acæ Regis ad milites oratio.

Ad Martem vos læta vocat: quid Patria poſſit
Relligio: quid noſtra fides, atque inclyta virtus,
Nunc teſtemur, opus. O terque, quaterque beatos,
Queis datur & Patriam, & Numen defendere bello.
Ergo animos revocate novos: victricia cœlum
Signa movet; nobis veniet victoria cœlo.
Quin brevis eſt labor, & brevior via: pandite portas
Omen adeſt, Omen lætum dat Numen ab Axe.
At vos, ò juvenes, hoc portæ limine in ipſo
Ponite ſpem vitæ, deſperet ut omnia miles
Eſt opus, ut claros referat, fuſo hoſte, triumphos.
Nec plura: armatos ad prælia lætus agebat:
Cum novus exoritur turbata per agmina clamor
Fœmineus; ſequitur ſtridor, mæſtuſque ululatus;
Sciſſa comas, pectuſque manu percuſſa decorum.
It rapido Regina gradu lymphata per Urbem,
Eoæ circùm matres, miſerabile viſu,
Crinibus incedunt comites de more ſolutis.
Obſtupuit viſu primo, atque exterritus hæſit
Fortis Acas, tantoſque cient quæ funera luctus
Ignorat; magnumque agitant dira omina pectus,
Fluctuat incertùm; & ſtudia in contraria fertur:
Cum Regina Virum, vultu teſtata dolorem
Talibus aggreditur lacrymans: Cariſſime Conjux,
Hei mihi quæ menti dirà ſub imagine ſomnus
(Horreſco referens; gelidus timor oſſibus hæret)
Obtulit, ah triſti quantus menti ingruit horror!
Dum nocte in mediâ, medium jam Delia curſum
Egerat; ac tenuem carpebant lumina ſomnum,
Heu meminiſſe horret tantis mens territa monſtris!
Ipſa ego te vidi crudeli vulnere cæſum,
Exanimem cecidiſſe ſolo, ceu pollice florem
Virgineo ſectum violæ, vel mollis acanthi,
Cui nec ſplendor adhuc, nec forma expalluit ore:
Mox te conſpexi laniatum corpore toto,
Diſcerptumque ſolo proſterni, milite fuſo,
Numina, ſi qua polo pietas, arcete periclum,
O' ſuperi removete, precor, dira omina Regi
At tu (nam Deus hæc noſtræ per ſomnia menti
Infudit monita, & monitis parere jubemur)
Neu Martem infido jubeas committere campo.
Nam tibi parva phalanx, paucique in bella manipli
Addent ſe comites; qui quamvis robore præſtent
Herculeo, ſtimuloſque addat Ducis æmula virtus;
Non tamen æquato pugnabunt Marte cohortes;

Nec

Digitized by Google

Nec tibi ſufficient audenti in prælia contra
Batorum innumeras acies, denſaſque phalanges:
Non tutum eſt, vallo paucas educere turmas,
Nec bellum tentare acie, aut conferre licebit
Signa tibi: quamquam multis audacia Marte
Profuit in dubio; ſed rara exempla petuntur:
Tutemur vallum; pellamus mœnibus hoſtem;
Hæc tua laus; hoſtem cunctando expellere muris;
Sic Numen; ſic vera Ducis prudentia poſcit.
Hæc Regina madens lacrymis dedit: inde profatur
Rex olli, & timidam dictis ſolatur amantem:
O Conjux, tali nihil eſt ſub Marte timendum;
Sume animos, vultu redeat nitor aureus almo,
Et rurſus placidè rubeat gena concolor oſtro;
Hoc precor, una mihi ante alias chariſſima, ne te
Fallaci ludant terrena inſomnia viſu,
Mox vanas ſomnus mendax vaneſcet in auras.
Spero equidem medio Badagas proſternere campo;
Eſt mihi tantum animi robur. Deus æthere ab alto
Aſpiciet, qui ſacra ſuo pro Numine tractant
Bella Duces; ferroque hoſtem, Martemque laceſſunt;
Suppetias Cœlo mittet; perque agmina nobis
In partem belli veniet, partemque laboris
Aligerùm numeroſa cohors; atque auſpice tanto,
Quid meritas differre juvat, vel linquere lauros?
Tum contra Phylias (tali nam nomine conjux
Regia) non certè vana me terruit umbra,
Nec mentem falsâ deluſit imagine ſomnus.
Nam ſecreta Deus mediâ prædicere nocte
Sæpè ſolet, cauſaſque animis aperire futuras;
Ille autem: quid fata petant, jam cœlitis Auræ
Inſpiravit Amor: fauſtumque precantibus omen
Illuxit; ne vana animos inſomnia turbent.
Quis vetat? aſtra jubent portis emittere turmas;
Et conferre manus, Batoſquo invadere campo.
Haud ſibi cum rudibus rem faxo, & gente Parava
Eſſe putent; pavidos, quos ferro perdidit, & quos
Ceu lupus impaſtus laniavit Barbarus enſe:
Titànas contra pugnat, bellumque cruentum
Armigera cum gente gerit, cui dextra triumphos
Egregios peperit. Verùm non talia tempus
Poſtulat. Hoſtis adeſt: dant Martia claſſica ſignum;
Pandamus portas, mediique in bella ruamus,
At regina, tubæ ſonitu concuſſa canoro,
Rurſus it in lacrymas, vultum rigat imbre decorum:

Has.

Has ego per lacrymas, inquit, chariſſime conjux;
Per ſanctos thalamos, & per genitoris Amuſæ,
Si qua movet te cura patris, triſtiſque ſenectæ;
Per tenerum Libyrim, noſtri tibi pignus amoris.
Nam tu ſolus amor, noſtri Lux unica regni,
Imperiique decus: ſine te ſpes corruet omnis:
Hoc precor, armatos deſiſte immittere campo -
Nam quæcumque manent (& non feliciii duco)
Ambos fata manent. Verùm ſi pandere portas,
Atque manum Badagis tibi jam committere certum eſt.
Unum oro, rape me ſimul in fata omnia tecum,
Si te nulla tui tangit, ſi nulla tuorum
Cura; mori gratum eſt. Hæc dicens regia Conjux
Pallida, puniceis veluti ſurgentis Eoi
Langueſcit vultus maculis; labat ore ſupino.
Accurrunt ſubitò comites, dominamque labantem
Accelerant fulcire manu, vultumque decorum
Aſpergunt lymphis: vix denique ſpiritus almo
Ore redit. Tum magnus Acas exterritus hęſit
Conjugis aſpectu: ſed mox, ſternace relicto,
Advolat, & teneris circumdat colla lacertis.
Et fovet, & refovet; languentibus & ſua jungit
Lumina luminibus, componit & oribus ora,
Talia ſuadet amor: mox uſus talibus infit.
Triſtem pone metum conjux, mea vita, meum cor:
Parce, precor, lacrymis: faciam, Regina, quod optas.
Non poſtes Urbis pandentur, & agmen aperto
Mittetur campo: ſed tantùm mœnibus hoſtem
Propellam, dilectus Acas tibi talia ſpondet.
Ne dubita, nam certa fides: te Regia, ſed me
Caſtra vocant; ſecura domum pete: voſque puellæ
Reginæ comites tecto ſuccedite noſtro.
Ibo, inquit Regina; fidem ſervare memento.
Tum Rex è muris diſponit in ordine turmas;
Dat dextram Liloo portam, pontemque tueri;
Tres illi validà jungens virtute cohortes:
Imperat Adyloo ſociis ſervare ſiniſtram,
Quam propter gelidis reſonabat fluctibus amnis.
At forti mandat Sylio ductare magiſtro
Belligeras equitum turmas (Dux ipſe ſupremus
Militiæ quondam Sylius fuit) agmine denſo
Ire per & portas, circùmque excurrere muros,
Mitteret ut ſocios, quò tunc res ipſa vocaſſet.
Ipſe ſuper muros reliquis citus evolat armis.
Continuò denſi pharetrato milite muri

Sti-

Digitized by Google

Stipantur. Zephyro fluitant vexilla per arces.
Jamque propinquabant acies, cum classica signum
Increpuere simul feralia : verberat auras
Tum tuba terribili sonitu : fremit æquore toto
Armorum strepitus, creberque hinnitus equorum.
Antè alios Lytrisar atrox ad prælia diros
Hortatur Badagas, & pigras increpat alas.
Haud mora : continuo, ruptis ceu nubibus alto
Irruit immixtum fulgore, & murmure fulmen;
Non aliter vibrata ruit pila flammea Cœlo
Ære cavo, totamque quatit terroribus urbem.
At contra cives turritis mœnibus astant
Immoti, tecti galeis, & fulmine fulmen.
Trudunt aggeribus; fossam, vallumque ruinæ
Obiiciunt; nec dira timet tormenta juventus.
Fortè fuit miles sublimi in vertice turris,
Quam contra ardebant repetita incendia Martis;
Nomine Coribias, quo non felicior alter
Ignitos vibrare globos, & missile fulmen.
Hic, postquam speculâ vidit procerus ab altâ,
Adventare acies vallo, primàque superbum
Fronte patere Ducem : dextræ cui proximus ibat
Horridus aspectu torvo, vastàque tremendus
Mole Gigas, cæsâ succintus tigride pectus;
Proque hastâ pinum quatiens, celaransque propinquis
Excidium muris minitatur, & ore cruento;
Pandite victori, proclamat, pandite portas.
Queis vitâ excedas nolens, illum excipit ingens
Corybias, aptatque oculis, gravido ære, dioptram;
Ac superos in vota vocans, interritus ignem
Excitat attactu calybis, motuque rotarum,
Continuò flammas prono bibit ore metallum.
Extemplò volitat vacuas pila missa per auras
Ære fugax, spargitque faces, & fulminis instar
Intonat horrendùm, mortali & sibilat ictu :
Hinc tractus emensa leves, velocior Euro,
Impetit, & frontem vindex ferit impete multo;
Descenditque rapax imas bibitura medullas.
Ac velut è Cœlo flagranti fulmine quercus
Icta ruit, magnamque simul trahit alta ruinam;
Infelix cecidit sic Barbarus, ore refundens
Tartareas animam; quæ jam subitura cavernas
Ingemuit; stygiasque ruit male sana sub umbras;
Lytrisar verò casu turbatus amici
Infremuit, totusque accenso excanduit ore.

Ac

Ac velut Hyrcanis rabie furit horrida lucis,
Cum latebris erepta videt sua pignora, Tigris
Latronum insidiis, circùm fremit undique sylvas.
Sic agitur furiis Lytrisar, & acribus ignis
Fulgurat ex oculis; vocemque intendit, & ore
Clamat. Belligeri labefactos scandite muros,
Undique dum fossas magnæ æquavere ruinæ.
Ite citi: at Badagæ, rupto velut aggere flumen
Irrumpunt, audentque vias aperire per hostes.
At Pater omnipotens, stellatâ ex ætheris arce,
Dilectam aspiciens gentem, propiusque periclum;
Agminibus densum, commixto fulmine, nimbum
Desuper immittit; cœlo ruit amnis aquarum;
Igne micat, crebroque tonat Polus horridus ictu.
Diffugiunt campo turmæ, atque incæpta relinquunt
Prælia; præcipites properant succedere castris.
At contra auxilium cœlo venisse supremo
Agnoscunt læti Cives; grateque rependunt.
Nox erat, & fuso terras velabat amictu,
Hostiles crebro collucent aggere flammæ:
Excubias peragunt labefacta ad mœnia cives:
Saberus verò diverso in littore Gathis
Stratus humi funditque preces, & lumina Cœlo
Intendens, dulces superûm meditatur amores.
Dumque hæret, tacitusque orat: demissus ab alto
Aliger intonuit roseâ cervice relucens.
Aurea divinos spiravit vertice odores
Cæsaries; vestisque pedes defluxit ad imos:
Alba genæ niveis imitantur lilia malis
Ora Pudicitia, & vultum suffudit honestum.
Qui postquam tremuli tetigit cava littora ponti,
Sabero improvisus adest, pauciscque repentè
Sic illum alloquitur: Quid agis, clarissime Divûm?
Haud certè ista sibi tempus spectacula poscit.
Armati ferro Badagæ, victricibus armis
Cædem ardent animo, victor ruit undique miles;
Deflet mœsta suas obsessa Travancoris arces.
Omnia quin miles vastasset barbarus ense;
Ni Pater omnipotens misisset ab æthere nimbum.
I', pete, summe Heros, populoque occurre labanti,
Ipse ego (nec vires absunt) per inania ducam
Remigio alarum, quò te vota omnia poscunt.
Aliger hæc olli. Subitò Saberus ab udo
Littore subvectus, celerique per æra lapsu
Culmina præteriit Gathis, præruptaque saxa

Ad-

Adisathri, & tandem vallatâ sistitur Urbe:
Jamque propinquabat, propulsis undique stellis,
Matura cum luce dies, noctemque fugabat.
Cùm primùm Oceani summo se gurgite tollunt
Solis equi, croceisque faces è naribus eflant:
Saberides, trepidæ urbis Atlas, super astitit Arce;
Non secus ac alter Titan, qui nubila Martis
Dissipet, & nitidos referat, fuso hoste triumphos:
Protinus, Heroem ut cernunt qui limina servant
Obstupuere: novo perculsi pectora visu,
Attonitique hærent, animos nova gaudia mulcent,
Nec dum certa fides oculis: quod vota reposcunt,
Insinuat spes ipsa, negat timor. Ille repentè
Et firmat dubios animos, ac talia fatur.
O' mihi dilectæ gentes, fidissima Christo
Pectora, quæ Fidei magnis cœpistis ab orsis
Principium; certi patriæ sub mœnibus altis
Oppetere, & vestro terram irrorare cruore:
Jam Deus omnipotens stellatâ ex ætheris arce,
Qui bellum, pacemque regens, pia vota secundat,
Me tulit; extremis ferrem ut solatia rebus;
Ac superis armis pulsarem mœnibus hostem.
Hæc ille: & lætus populi ferit æthera clamor:
Evolat interea rumor, plateisque vagatur
Adveniisse canens tanto in discrimine Divum,
Ut fractos bello Badagas è limine pellat.
Nec mora: fortis Acas castâ cum conjuge læti
Occurrunt, Divumque petunt, ac voce salutant:
Tum properant, & fida sacræ dant oscula dextræ.
Nec timor ullus adest belli, nec Martis aperti
Formido; in solo tanta est fiducia Divo.
Ecce autem festus dum murmurat æthere cantus;
Totaque festivo respondat Regia plausu;
Festino accelerant gressu, valloque propinquant
Instaurare aciem Badagæ, Martemque cruentum
Tentare, & nudo per fragmina scandere ferro.
Tunc portas aperit Saberus, & agmina aperto
Educit campo, & ductor præit agmina primus;
Proximus ardet Acas; acieque sequuntur ovantes:
Non procul è muris, Eoæ in limine valvæ
Collis erat nudus; medioque in vertice quondam
Populus umbrosis tendebat brachia ramis,
Hìc sua Saberus fixit vestigia primus
Occurrens ultro venienti; & talibus infit:
Siste leo: en adsum: certandum cominus uni est

Me manet iſte labor: quid nunc cœleſtia poſſint
Arma: quid & Patris valeant pia ſigna latini
Experiamur: opem demiſſam ſydere ab alto
Chriſtiadæ videant; verùm ſua funera ſpectet
Gens tua, barbaricis nunquam exaturata rapinis.
Hæc ubi dicta dedit; ſe ſe Saberus in auras
Mole giganteà, atque ingentibus artubus effert
Altior, & celſum caput inter nubila condit;
Fulgurat os, veluti phœbeà lampade Titan.
Ignitis horret jaculis, duo fulgura flammeis
Illuxere oculis, manibus duo fulmina vibrat:
Loricam pectus nodiſque, auroque trilicem
Induit, ex humeris pendens clamys integit artus.
Ardentes rotat ore faces, jacit undique flammas;
Terrificoſque ciet ſonitus; miſcetque tumultus:
Horrendi circùm ſtrepitus, ſtridorque tubarum
Ingens auditur; totuſque remugit Olympus.
Omnipotens veluti Sinai cum vertice ſummo
Terrificos condens radioſa in nubila vultus,
Marmoreas legis tabulas dedit; igne refulſit
Purpureo, & mixtas inter caligine flammas
Emicuere faces; totuſque ardeſcere circùm
Mons viſus, crebrique polo intonuere tumultus:
Intremuit tellus; totuſque exhorruit Axis.
Extemplò trepidæ ſonitu, gelidæque pavore
Præcipites ceſſere retro, verſæque phalanges
Batorum; primuſque retro ruit ipſe Lytriſar.
Non ira iſtigat ſocios, non impetus enſem
Incitat: audaces animos timor occupat; & jam
Undique turbatum: Fugiunt, nullo ordine turmæ,
Duxque Ducem infequitur; peditem pedes, atque virum vir.
Armeniæ veluti Leo cum de montibus altis
Deſcendit, monſtrum hörrendum, per culta coloni
Accelerant terrore fugam, campoſque relinquunt.
At generoſus Acas diſperſas undique turmas
Dum ſpectat, celerique fugà ſe condere ſylvis;
Nunc hoſtem ſectemur, ait, quando ipſa vocat ſors;
Dixerat, & ſocios fuſos mittebat in hoſtes.
Non hoc Saberides animo tulit: Inclyte regum
Parce, precor, clamat, maculari ſanguine terram,
Da veniam: nobis reliquùm victoria parta eſt.
Ergo alacres ſiſtunt equitum, peditumque cohortes,
Et lætos geminant feſtivo murmure plauſus:
Inde triumphali imponunt Heroa curuli,
Victoreſque canunt hilares, fuſo hoſte, triumphos.

SABE-

SABERIDOS

LIBER VII.

Argumentum.

Ingenti ſe mole gigas per ſomnia Oaxi
Obtulit; elatumque caput ſub nubila tollit.
Tota illi plaudit cœlorum regia, palmas,
Ereptoſque canens domito de Dite triumphos.
Interea Didymus dubitanti occurrit Oaxi,
Et monet Eoas Latii de ſedibus oras
Adventurum Heroa, fores qui pandat olympi.
Manariam Saberus adit; tota Inſula ſacris
Legibus imbuta eſt: hoc defert Fama ad Orabin;
Irruit hic, vaſtamque dedit cum civibus Urbem.
Interea delecta manus de ſede latinâ
Dum properat, pelago, ſtygiâque agitatur Erynni:
Lenit at illapſus Michael maris Axe furores.

DUm contra Badagas victricia bella geruntur
Littore in occiduo, quà fluctibus Indica Tethys
Purpurat oſtriferis; diveſque Travancoris ora
Emicat Eois circum baccata lapillis:
Manariæ populi, atque adverſo è littore gentes
Et latios faſces, & Romula ſigna ſecuti,
Impiaque immanis temnentes juſſa Tyranni,
Arma per, & gladios, perque ignea tela, per imbres
Saxorum, & mixtos pilorum grandine nimbos,
Egregiam ſubeunt per plurima vulnera mortem;
Et claras veterum palmas, ſummoſque triumphos
Æquavere ſuis, æternaque nomina faſtis
Inſcribi meruere ſacris; & ſanguine fuſo
Emicuere polo, & ſedes tenuere beatas.
Magnanimùm Heroum perfuſas ſanguine lauros,

Et belli cauſas, bellumque ex ordine pandam:
Quos ea laurigeros victoria reddidit, & quos
Turpè fugæ infractos terror dare terga coëgit:
Jamque adeo claræ repetam primordia pugnæ.
Calligium contra littus, currentia ab uſque
Rupibus Arctois Scythiæ, & ſublimis Imai;
Culmina quà molli dorſum demittere clivo
Incipiunt, parvoque maris ſe porrigit undis
Planities campo, Piſcaridos ora, coruſcis
Titanis flagrans radiis jacet inſula ponto
Agarico: priſci dixerunt nomine Coryn,
Manariam memores appellavere nepotes:
Parva fitu, clivoque frequens, ſaxoſaque campis
Exiguis: totum victor cum ſubderet orbem
Thyrſiger Eoum, nunquam domita inſula Baccho eſt.
Non ridet Pomona ſolo; nec gaudet ariſtis
Flava Ceres; cultis neque Chloris purpurat hortis:
Nec Pan curat oves. At non felicior ulla
Inſula, gemmiferis quam Nereus alluit undis;
Nec matutinis eſt lætior altera guttis:
Pinguia fœcundo rorantibus oſtrea fœtu
Innutrit ſcopulis; gemmata per æquora matres
Unigenas utero gaudent geſtare ſorores.
Sic maris egregiis opibus, cum fœnore multo,
(Semper avaritiam meritò Natura peroſa eſt)
Damna ſoli inſtaurat rerum largiſſima Mater.
Quâ Notus erumpit non longo diſſita tractu
(1) Nanigerim ſpectat, parvo quam dimovet æſtu
Boſphorus Agaricus vicino è litore Corys.
Non procul Oceano ſpatioſo condita campo
Urbs antiqua fuit, locuples prædivite concha;
Sed ſplendore carens, armiſque obſcura, (2) Patinus:
At nunc Heroum geſtis, belloque ſecundo
Tantùm magnanimas inter caput invehit aſtris,
Quantum alias inter quondam caput abdidit Urbes.
Romuleos cultus, divino carmine Vates
Quos Didymus cecinit, multos viguiſſe per annos
Vidit Relligio: & ſuperùm ſtipata maniplis
Nunc has, nunc illas luſtrabat [illegible]etior urbes,
Excipiens meritos plauſus, & [illegible]urea dona.
Sed poſtquam Lyſari regis victricibus armis
Nanigeris devicta fuit, Mahometa nefandum
Regis ad extemplum coluit, rituſque priores,
Dilectos olim, ac ſervatos tempore longo
Abſtulit illa dies; & libertate cadente,

(1) Parva, & ignobilis inſula vulgò Chingale dicta, a Manaria exiguo freto ſejuncta.

(2) Urbs Manariæ olim ignobilis: nunc celeberrima, atque ex incolis in odium Fidei a Badagis cæſis Terra Martyrum appellata.

San-

Sancta Fides patrum maculatis excidit Aris;
Et Divùm Pietas; gentes exosa rebelles
Cœlestes iterum sedes Astrea revisit.
Relligio sic sæpè vices, verso ordine rerum;
Passa suas, regno pariter, pariterque ruente
Libertate, ruit; quin & victricibus armis
Mutatur cum rege Fides, cogente Tyranno:
Devicti parere Deis adiguntur iniquis.
Non tamen omnis adhuc, penitusque è corde latinæ
Relligionis amor, nec prisci vena pudoris
Exciderat; veteris flagrant vestigia flammæ:
Et factum damnant; stygium rescindere fœdus
Exoptant, dubiæque vias aperire salutis.
Anxia formidat pravi mens conscia facti;
Opprimit hinc miseros terror, rabiesque Tyranni;
Illinc sancta vocant contemptę fœdera Legis.
Læsa Fides stimulis præcordia tangit acutis,
Et suadet delere nefas, veniamque precari;
Instaurare Ædes. Sed mortis prævalet horror:
Mens refugit: ratio prohibet: formidine pectus
Horrescit, stygios Mahometi incendere honores;
Attamen inviti faciunt terrore minantis
Supplicium, mortisque genus crudele paventes:
Qui timet aspectu mortis, quamquam aspera visu
Occurrat, vitæ nimium mortalis amator,
Non pius ille Dei cultor, sed perfidus almæ
Desertor Fidei, nigro damnandus Averno est.
Unus erat cives inter justissimus omnes
Egregio genitore satus, maturus Oaxes,
Plurima cui fulget capitis reverentia cani,
Religionis amans, & servantissimus æqui;
Qui ne tartareum stygii rectoris Averni
Numen adoraret, dirisque incenderet aris
Dona Sabæa, Patri Divorum debita summo;
Infamem populum, Urbemque execratus iniquam,
Umbrosos inter lucos, sedesque silentes
Solorum nemorum, incustoditosque recessus
Mœstus abit, miserum traducere ruribus Ævum.
Noctes, atque dies nunc errans montibus altis,
Nunc Sylvas inter virides, interque ferarum
Hospitia, & canis humero sine lege solutis
Fundebat lacrymas; crebris sua pectora pugnis;
Et veneranda suis discerpens unguibus ora.
Nigra seni morus victum, lapidosaque corna
Dant rami, vulsisque alitur radicibus herbæ:

Dant

Dant lacrymæ potum ſqualenti ex ore fluentes;
Et mæſta inſomnem traducunt lumina noctem,
Squallentes humeros hirſuti pelle cameli
Indutus ſenior, baculoque innixus acerno
Antra per, & ſcopulos, & concava ſaxa pererrans
Alta diù crebris impleverat aſtra querelis.
Cùm Pater omnipotens alto miſeratus Olympo,
Senſit vota ſenis; Pietas divina querelas
Audiit humanas: terris pacem Aſtra dedere:
Placatus tandem Deus eſt fluvio lacrymarum.
Puniceis ſubvecta rotis jam Delia curſu
Scandebat tacito medium ſtellantis Olympi
Culmen, Atlantæo properans ſe mergere ponto.
Cum feſſas mulcent lethæa oblivia gentes,
Et dulcis tuto ſpirat de pectore ſomnus.
Ipſe licèt, curis æger longævus Oaxes
Opprimitur, tacitâ compoſtus membra quiete.
Cùm portenta Dei variis per viſa figuris
Conſpicienda ſeni clarâ ſe luce dedere.
Viſus ab occiduis aſſurgens finibus Orbis
Magnâ molę Gigas extendere brachia centum,
Complectique ſolum Phœbi naſcentis, & omnes
Eoi terras, manibusque ingentibus undas
Oceani immenſas comprendere, (terra ſub illo,
Nil erat, & pelagus) magno tum lumine fulgens
Phœbeà major conſpectus lampade, cœlum,
Terraſque, tractuſque maris fulgoribus implet.
Extemplò ceſſere, polo ſplendente, tenebræ,
Nox cecidit; cœloque micat lux alma ſereno.
Aſpectus hinc ille teros, vultuſque ſeveros
Induit; & magno terram pede percutit actam;
Continuò ingenti titubavit ab impete Tellus;
Contremuere ſinus, ſonituſque dedere cavernæ:
Horruit Oceanus, fluctuſque è littore torſit.
Inferno veluti cum concita ſæpè tumultù
Excutitur tellus, patuloſque recludit hiatus:
Infremit omne ſolum: reſonant mugitibus antra,
Et rapidus gremio erumpens fremit impetus imo,
Attonitoſque quatìt populos, & territat urbes.
Ipſe imis Nereus immugit ſæpe ſub undis.
Fictorum tot templa Deùm cecidere ruinâ
Ingenti in cineres diſperſa, quot aurea gemmis
Dira ſuperſtitio ſtygio ſacraverat Orco;
Cum ſuper impoſitis centum delubra coloſſis
Cumque tholis cecidere ſuis; ſtrata undique campis
Nu-

Numina ficta jacent: ululatibus æra complent
Expulsi Manes: Saxis jacet obrutus ipse
Umbrarum Rector, scisso velamine Diræ
Despumant rabie, atque oculis incendia vibrant:
Hinc latè terras aperiri, & finditer orcum
Imperat. Extemplò patulos recludit hiulca
Terra sinus, ruptàque ingens tellure vorago
Panditur ante oculos, imoque Acheronte præusto
Sulphure commixtas eructat ad astra favillas.
Quotquot erant campo rescissa cadavera bustis
Fotochidum, & centum stygiùm delubra Deorum
Horrendùm fumans caligine septa nigranti
Immensoque patens absorbuit ore vorago:
Æternoque feri tumulantur carcere Manes.
Tot portenta Senex conspectu fixus in uno
Spectarat stupidus: subitò cum scindier orbes
Æthereos centum, & bis sex, non amplius, ulnas
Aut videt, aut vidisse putat. Lux inde repentè
Emicuit; cœloque novus, cedentibus astris,
Afflavit nitor Eoo, circùmque refulsit:
Hinc medio è cœlo dulces captare videtur
Concentus superùm, & venientum audire tumultus.
Magnanimi Proceres aulæ cœlestis, & almus
Aligerum chorus omnis erat, tot millia, quot quot
Syderibus noctu rutilus subtermicat Axis.
Auro quisque ardet, solaris lampadis instar
Quisque micat, fulvo crines nodantur in auro,
Syrmate gemmato, & Tyrio saturata rubore
Stellata ex humeris currit demissa per armos
Purpura, & auratis rutilat depicta figuris.
Aurati pendent arcus, rutilæque pharetræ,
Et manibus citharæ: totum ferit æthera cantus:
Ac lepidas inter resonat Symphonia voces:
Syderei fulgent risus, vultusque decoros
Lætitia irradiat; sanctos ovat inter amores
Inclyta Plebs cœli; Plebem, si dicere fas est,
Summorum regum populùm, quorum ultimus astris
Latius Augusto regnat: dextrâque potenti
Fulminat hostiles acies, victricia regum
Sceptra terit, stragemque ciet velociùs Euro.
Qui postquam magno cantu plausere Giganti
Victori stygiùm, dextræ labara aurea donant.
Hinc patrii repetunt stellata palatia regni;
Ipse Gigas etiam caput inter nubila condens
Obtegitur; solusque senex statione relictus.

In-

Inſciùs; iſta ſibi quidnam ſpectacula poſcant;
Anceps ille animi pendet : tamen omnia fauſto
Omine viſa putat; ni ſomnus imagine vanâ
Luſerit, iſta tamen minimè ſperare licebat;
Nec poterat; nam fauſta ſeni fiducia ſpondet.
Quæ cupimus, non vera licèt, ventura putamus;
Blanditurque ſibi vanis mens credula votis.
Et licet interdum caſu ſperata ſequantur;
Sæpius at miſeri voto fruſtramur inani.
Stat ſpem, interque metum ſuſpenſus, lumina circùm
Per vacuum flectit campum, ſi forte virum quem
Aſpiciat; qui mira Dei portenta revelet.
Ecce autem ſubitò celeri per ſydera lapſu
Adventare virum, talem cultuque, habituque
Qualem Fama canit vectum trans æquora Thomam
Memnonios olim cultu informaſſe latina,
Sydereos Divi vultus agnovit Oaxes;
Tum dedit hæc prior : o ſummi mihi Numinis inſtar
Dive, veni, tantarum animo miracula rerum
Pande age : ſollicitam dictis ſolare ſenectam.
Olli ſedato reſpondet pectore Thomas.
Sume animos, iterum pacatos indue vultus,
Chare ſenex; tua nam ſummo reſpexit Olympo
Vota Deus; pacemque polo demiſit ab alto.
Jam nuſquam Eoo tenebræ : radiatus ab ictu
Ætherei ſolis totus præfulgurat Orbis.
Victi Erebi Manes, ſtygiis innexa catenis
Jam gemit infernis Plutonia turba latebris.
Aſpexti Furias, crines, & pectora ſciſſas
Lymphato gemuiſſe metu? tot millia fictis
Cum Diis templa ſuis, merſaſque voragine Diras?
Hic labor egregius, virtuſque operoſa Gigantis,
Qui totum digito complexus triplice mundum eſt:
Quem fore venturum cecini. Nec plura moratus,
In cœlum ſublimis abit velocior auris.
Vix ea : cum Cœlo ſtellis, lunâque fugatis
Æthon ſyderei poſtes pulſabat Olympi.
Excutitur tandem ſomno maturus Oaxes,
Divorum portenta memor, monituſque revoluit
Secum unà, primâ repetens ab origine cuncta.
Attamen ille Gigas qui ſit, quo ſanguine cretus
Noſcere, vel noviſſe cupit. Dum talia voluit
Mente ſenex, ſylvâ egreditur, greſſuque ſenili
Littora curva petit, vultum loturus in undis:
Oceani ad fluctus non dum pervenerat: ecce

Spe-

Spectat ab adverſo venientem littore puppim;
Et lætum ad Superos urgere celeuſma juventam.
Hinc ubi fit proprior puppis, diſtinctiùs audit
Carmina Memnoniis nunquam cantata ſub oris;
Ex quo ſancta Fides abiit, cultuſque profanos
Dira ſuperſtitio ſacris celebraverat aris.
Attonitus tenet ora ſenex, intendit & aures,
Sed dubitat, num vera oculis, atque ebibat aure.
Hinc majora videt, ſed viſa nec omnia credit.
Floribus intextæ non fulgent puppe corollæ,
Sed radiante Crucis labaro pellucida gemmis
Oceano rutilant paſſi vexilla Tonantis.
(1) Gemmatos inter ſcopulos ſublapſa carina,
Tethis ubi ſaxis pendentibus Oſtrea fœtu
Gemmifero innutrit, rutiliſque per æquora cruſtis
Nantia concharum numeroſa examina ductat:
Siſtit iter ſtatione ſua; nautæque parabant
Jam nudi medio ſubmerſi gurgite conchas
Captare, & gravidæ per aquas occurrere prædæ.
At rerum novitate ſenex ſuſpenſus Oàxes,
Impatienſque moræ, cœpit de littore longè
Compellare viros, terræque advertere proras
Hortatur, celeres veniunt ad littora nautæ.
Tunc ille: ò juvenes rerum quæ cauſa novarum?
Quis cantus docuit Sylvas reſonare beatos;
Marmoraque, littuſque maris, colleſque propinquos?
Quiſve modos, carmenque ſacrum devexit Eoo?
Quis tenebris occluſa diù labara aurea primus
Explicuit? nocturna ſenem ni ſomnia fallunt;
Et mea mens voto fruſtrata erravit inani:
Hùcne Deus rursùm illapſus tutela labanti
Præſens Auroræ venit? quisquam ne caducum
Æmulus antiquo Thomæ nunc fulcit Eoum.
O' neſcis venerande ſenex! Sic Navita fatur.
Quæ nunc Eoo pleno torrente redundant!
Dona novos ritus cultuſque hùc intulit Heros?
Non Deus Auroram petiit; ſed miſſus ab aſtris,
Os, humeroſque Deo ſimilis Saberus Eoo
Emicuit. (totis ſubſultant pectora fibris
Lætitiâ, dum nauta virum, vultuſque figurat)
Almus frontis honos, & majeſtate decora,
Regali incedit greſſu: quin corpore toto eſt
Humanâ major ſpecies; præfulgurat almo
Ore decor; dii motus; verba aurea linguæ
Nil mortale ſonant; divinum pectore Numen

(1) Margaritarum piſcatio in Piſcariæ ora opulentiſſima

Senſimus Herois: ſpirant præcordia Numen:
Non certè Deus eſt; ſed non mortalibus ortus.
Primus hic Eoo longo poſt tempore tandem
Romulidum faſces, Romanaque ſigna revexit:
Gemmiferum Gangem, & rutilum ſacravit Hydaſpen.
Devicit Stygios, fauceſque obſtrinxit Averni;
Deterſit noxis Indos, & labe vetuſtâ;
Reſtituit ſacra, & callem ſignavit Olympi.
Hic ſylvas docuit muſas reſonare beatas;
Et ſuper Eoas victor labara aurea turres
Explicuit. Tunc plura ſenex narrare parantem
Detinuit; vocemque imo ſub pectore preſſit.
Non igitur vanâ me luſit imagine ſomnus
Nunc repeto; Deus ipſe animis myſteria rerum
Infudit; dum nocte ſopor membra occupat altus.
Purpureo namque ille Gigas, qui veſpere ſurgens
Auroræ fines, totumque amplexus Eoum eſt,
Detruſit cœlo tenebras, lucemque reduxit
Splendore inſueto; ſtygiamque immania nutu
Templa Deùm dejecit; & omnia carcere cæco
Involuit: Saberus erat; namque omine fauſto
Hunc mihi prædixit Thomas. Vix talia fatus;
Feſtino incedit vicina ad mœnia greſſu.
Ut patriæ muros Urbis, tectumque relictum,
Intrarat ſenior macie confectus, & albâ.
Promiſsâ in pectus barbâ, caniſque ſolutis;
Demiſſiſque humeris, viridi ſub tegmine frondis
Cætera membra tegens; ſubitò cum juſſit in unum
Acciri Cives. tunc junior æquore ab alto
Signa dedit: properant cives ad juſſa vocati.
Undique convenère: forum completur apertum.
Arrectas cuncti aures, intentique loquenti
Ora tenent. tumulo Senior ſic orſus ab alto eſt.
Et patrio extorres cœlo, regnique rebelles
In tenebris, denſâque ſtygis caligine ſepti
Statis adhuc? pro labe metum non concipit ullus?
O' miſeri! quos ira Dei jam deſtinat Orco;
Ejecitque polo; & ſuperis avertit ab aſtris.
Anne poteſt ſecura diù traducere vitam,
Conſcia mens ſcelerum? nec læſa dextera terret
Numinis, & ſummus pœnarum perculit horror?
Tanta reos animos vexat dementia pœnæ?
Ut nullus mentem, nullus timor opprimat artus;
Tot neque flagitiis noſtis trepidare peractis?
An nunquam vobis moriendum fortè putatis?

Mor-

Mortales certè cuncti; semel omnibus una
Est lethi calcanda via; irrevocabile tempus
Evolat, & capiti tenui pendentia filo
Fata instant; quantis stat vita obnoxia damnis
Momento ruitura brevi. Mortalibus autem
Post lethum æternus sæclorum panditur Ordo;
Qui si lætus erit, pandet felicius Ævum;
Et vos æthereà Divorum in sede locabit.
Sin erit infelix; qualem scelera ipsa merentur
Æternum vobis solvenda est pœna per ignem
Tot scelerum; & pœnis nunquam fiet modus. Hæc est
Lex æterna Dei; pereant quicumque nocentes
Vixere immemores Cœli, vitæque beatæ.
O' miseri, nunc tempus adest agnoscere tandem
Quid desertores deceat sperare precando.
Grande scelus, fateor; quin & scelera omnia in unum
Congesta; at major superùm Clementia Divùm.
Vos modo pœniteat sceleris, modo sensibus imis
Cor, Superi faxint, tantis informe litùris
Ingemat, & lacrymis tandem mitescere discat.
En Romana Fides toto fulgescit Eoo;
Et duce Sabero, cultus Tithonia regna
Excepere sacros; amplexi jura latina
(1) Gangarides, Indi, & Gangetidis ora fluenti:
Vobis ne in tenebris, stygiisque obnoxia vinclis
Colla gemunt? non lumen adhuc, non fulsit ab alto
Libertas? O' cæca hominum mens, cæcaque corda!
Nunc tempus delere nefas. En æthere ab ipso
Omen adest; Deus eccè Deus, qui cælite flammà
Labitur: ò quæ læta venis, quæ læta coruscas
Enthea fax, terrasque novis fulgoribus imples,
Incende, ure, sacras jam mentibus ingere flammas.
Dixerat hæc senior: cum circùm serpere flamma
Visa oculos; facibusque novis diffundier ignis;
Et super innocuis ferri capita alta favillis.
Illi ire in lacrymas; & toto pectore anhela
Irriguos inter fluvios suspiria cœlo
Mittere, cœlestes inter languescere rores;
Solvitur in lacrymas Cor, & fluvio lacrymarum
Obruitur; multoque perit jam naufragus imbre
Spiritus, & calidas vix sustinet aura favillas.
Non voces feriunt Superos, non clamor obortus;
Sed tacitus rapidis intus præcordia flammis
Vi vorat arcanà Superùm penetrabilis ignis.
Urit flamma nefas, scabiemque expellit iniquam,

(1) Populi bello quondam clari, qui malè in Thesauro linguæ latinæ inter Assyrios, & Indos collocantur cum teste Isidoro, inter Indiç populos numerantur.

Enthea fax; ſacroque novus nitor efflat ab igne.
Non ſecus accenſis jactum fornacibus aurum
Dum rubet, inflato volitant dum folle favillæ
Eruitur ſcabie, & formoſius exit ab igne.
Hinc poſtquam lacrymis maduere, & Cælite flamma
Accepere novos animos, nova vota, novum cor;
Unanimi clamant aſſenſu, vana Deorum
Delubra in cineres diſſolvi; ſcindier aras;
Æquarique ſolo ſceleratis templa Coloſſis.
Interea, ne unquam noceat mora fortibus auſis,
Centum Oratores Goana ad mœnia mittunt,
Qui pacem poſcant concordi fœdere Regis
Lyſiadum, & magnum ſacris Heroa Latinis,
Tergemini qui jura Patris, cultuſque Quirinos
Innovet; inſtauretque aras; & Numina terris
Invehat; inſtantes pellat cervicibus iras.
Et quæ multa manent ſceleris veſtigia priſci
Deleat; ac regno doceat ſuccedere Divùm.
Manariæ hæc illi: ſed Fama loquacibus alis
Pervolat Eoas Euris velocior urbes,
Mille procax linguis, totidem ſimul ora reſolvens.
Tum fictum, verumque ſimul (ſi dicere verum
Mendacem dictis interdum credere dignum eſt)
Et quæ facta forent, & quæ facienda canebat:
Veniſſe Heroem Loyolæ ex agmine lectum;
Romulidum qui ſacra mari devecta latino
Gangaridum inferret Regno, imperiumque Tiaræ
Uſque Quirinalis protenderet unus ad Indos:
Hoc ſolo victum Canarinas auſpice gentes,
Extremumque Indum, hoc uno ductore ſubactos
Colchinos ceſſiſſe urbem; nec tempore longo
Sub juga Manariam miſſurum; jura volentes
Jamque dare in populos, rituſque arcere Deorum;
Jamque Oratores veniſſe ad Mœnia Goæ,
Lyſiados pacem poſcant, legeſque Quirinas.
Hæc paſſim Eoas diffundit Fama per Urbes.
Protinus ad regem curſum detorquet Orabin,
Inflammatque animum dictis, & duplicat iras.
Hic Loryphinde Scythà, & rapta Mogolide Nymphâ,
Caucaſeâ regione ſatus; juvenilibus annis
Arctoas inter cautes, Riphæaque rura
Infandis diris traduxit rupibus ævum;
Sævitiemque animis primævo flore juventæ
Imbibit, & crudos vicit feritate Leones.
Junior hinc belli ſocios ſibi junxit Alanos,

Ripha-

Riphæoſque Scythas, & quos Nyſæus Hydaſpes
Alluit, Hircanos, Arabas, quos undique circùm
Caſpia clauſtra tenent, Indas populator ad urbes
Venit, & extremas fudit ſe peſtis in oras.
Omnia vaſtavit ferro crudelis, & igne:
Et populos bello victos, de more tyranni,
Nudabat cenſu, & juſſis urgebat iniquis.
Impius at centum Mahometi templa nefando,
Taprobanes totidem regnis ſacravit, & aras.
Iſque amens furiis, & famà excitus iniquà
(Iræ erat impatiens, animo truculentus, & atræ
Relligionis amans.) Cœli proh Numina, fatur,
Italiâ profugus, Nerei trans æquora prædo
Auſus in auricomi penetrare cubilia Solis?
Ut fortes bello populos, genteſque potentes
Unus in arma vocet, victoſque in jura latina
Victor agat, ſpoliis auctus, clariſque triumphis
Magna animo volvit, ſacras jam diſſipat aras:
Et ſedem imperio figit. Vos cernitis alto
Prædonem veſtrà geminantem clade triumphos;
Nec tamen ex alto fulmen vibratis Olympo?
Non contra irruitis, tantoſque avertitis auſus?
Non igni data præda, maris nec merſus in undis?
Nec dum infame caput crudelior abſtulit enſis?
Quid ſpectatis adhuc? Noſtras ſe victor in oras
Inferat, expellat regno, ſolioque Tonantem
Excutiat? Phariàque iterum regione vagetur
Turba Deùm, & capto palleſcant ſydera Cœlo?
An nullæ, vobis ſunt nunc mortalia curæ?
O' 'Divi, ſaltem veſtri miſereſcite, Divi.
Aſt Ego, ſi cordi non ſunt mortalia vobis;
Nec veſtri vos cura tenet; victricibus armis
Prædoni occurram; meritaſque è ſanguine pœnas
Sumam Ego; & ingenti delebo cæde latinos.
Improbus hæc ſuperis dedit ore: ſuperbior indè
Imperat armatas ductari in bella phalanges;
Manariam ferro vaſtent, & cæde rebellem;
Ni latium eiurent ritum; ni templa Deorum
Inſtaurent, irata truci ni crimine placent
Numina; Marmaricis venerantes ritibus aras
Afficiant; nulloque necent diſcrimine gentem.
Riphæà de gente ſatus Crudelis Onyſis
Belli ductor erat, ſævi qui juſſa Tyranni
Mæmonio Borea truculentior ipſe faceſſit.
Caſtra movet, luſtratque acies, & cornua ſignat;

Na-

Nanigeras arcu celeres vibrare ſagittas,
Hircanoſque leves rigidas tractare bipennes;
Quadrupedumque globos ſinuare in cornua Parthos,
Medoſque ardentes galeis, verſisque ſagittis
Edoctos bellare Scythas conſcribit ovantes;
Extemplò accitus denſatur in agmina miles:
Arma ſibi, gladioſque parat furiata juventus,
Bellandi ſtudio, & mucronibus aſperat iras.
Undique collectas acies perluſtrat Onyſis,
Stragem oculis, ſtragem rictu, ſtragem enſe minatur.
Inde ſub Auroræ primos celerare rubores
Mandat iter, motisque aciem procedere caſtris,
Nec mora; vix Cœlo roſeus flagraverat ardor,
Caſtra movent; acies ductor ſuper ardua ducit
Saxa, ſuper cautes, ſcopuloſaque culmina montis,
Inde iterum campis diffunditur, æquore lato,
Qua via ſylveſtres inter calcata receſſus
Monſtrat iter, curſu inſiſtunt, loriſque citatis
Fertur Eques, geminaſque volans equus audit habenas.
Septima jam raris Phœbe diſceſſerat aſtris
Eoo pulſante polum; cum clara Patini
Mœnia proſpectant acies; pelagoque remenſo.
(Nam brevis hinc, [illegible], altuſque interluit æſtus;
Anguſtoque freto diſiungitur utraque tellus)
Ad littus rigidis deſcendit miles in armis.
Conſidunt acies campo, tractuſque viarum
Obtrudunt caſtris, & milite mœnia cingunt
Legatum interea pacem, qui civibus ultro
Spondeat Archànem Caſtris tranſmittit Onyſis:
Si modò, per Superos hæc illi in fœdera jurent;
Se dedant, vertique ſinant Ducis omnia nutu:
Reſtituant cultus Superis, & templa Deorum
Marmarico inſtaurent ritu; patrioſque cremato
Placent thure Deos: Cunctis mens una Quirinam
Eiurare Fidem, & pactum reſcindere fœdus
Lyſiadum cum Rege: trucem (ſi vectus ad urbem)
Prædonem infamem regni; rebuſque novandis
Intentum, Regi tradant, qui ſanguine tanti
Prædonis læſum placet pro crimine Numen.
Si renuant, extremum Urbique, ſoloque minetur
Excidium; ſcythico ſedet hæc ſententia Regi.
Omnia quisque ſibi irato promittat ab hoſte.
Dixerat: Archanes ductoris juſſa faceſſit.
Eggreditur Caſtris, magna comitante caterva,
Ac propè vallatæ ſuccedens mœnibus Urbis,

Nun-

Digitized by Google

Nunciat obsessis supremi jussa tyranni.
Contra illi: Patrias sedes telluris avitæ,
Nec dubitamus opes victori dedere Regi,
Quas multi Fortuna dedit mercede laboris;
Imperet, indicat; faciemus jussa libenter;
Expellat patriis laribus, nos cedimus urbem:
Servitio plectat, patimur, sedet omnia rerum
Momenta arbitrio vertiq; regique Tyranni.
Nam quicumque regit solio regnator habenas;
Fræna, volente Deo, regit ille; omnisque potestas
E' Cœlo; Princeps populos, & regna gubernat,
Divinâ moderante manu. Non volvitur Orbis
Incertus, cæcove fluunt mortalia casu.
Omnia mente regit; Cœloque inspectat ab alto
Cuncta Deus; mundique sciens moderamina flectit.
At sanctam temerare Fidem, rescindere pactum,
Juratumque Deo fœdus non posse, fatemur,
Nec velle: Æterno præstat parere Tonanti:
Perdere cuncta juvat: sacri placet alea fati
Hoc nostrum mersura caput; quàm Numinis alti
Ejurare Fidem: tellus priùs ima dehiscat;
Aut Deus æternas adigat nos fulmine ad umbras.
Mens una hæc cunctis; refer hæc, & nuncius ito.
Archanes responsa refert ductoris ad aures.
Ast ille extemplò succenso exanduit igne;
Et furit, Hircanis veluti sub cautibus ursus,
Venantum jaculis si quando aut cuspide durâ
Impetitur; rabie despumat, & æstuat igne
Exagitat stimulis animum, nec temperat iræ.
Imperat in muros tumulo telluris ab alto
Intendi rapidum tormenta imitantia fulmen;
Ænea producit tormenta ex aggere miles:
Illa, ubi commixtum gremio cum sulphure nitrum
Excepere cavo, flammamque bibere metallis,
Erupere faces, sonitusque dedere per auras.
Extemplò per inane ruit pila pulsa repente
Ferrea: contremuit tanto sub turbine tellus:
Ceu rapidos Cœlo cùm vibrat Vesbius ignes,
Immugit, flammaque polus crepitante relucet.
Non mora, non requies, geminatis ictibus Urbis
Nutare incipiunt muri: quatiente ruina
Stat moles ruitura solo: labefactaque tandem
Mœnia fulminibus magno cecidere fragore.
Interea Cives dictis animabat Oaxes
Sic fatus. (1) Jam summa dies effulsit; & hora

(1) Ad Mortem pro Fide subeundam adhortatio.

Obla-

Oblata eſt nobis, quæ votis mille petita eſt.
Nunc præſtat, Socii, præſenti occurrere fato;
Perdere, quod ſuperat vitæ; nam gloria lethi
Non erit inferior vitâ; cum poſſe paciſci
Pro tenebris lucem, & perituri finibus ævi
Vitam immortalem, magnumque in Sæcula nomen
Jam datur: hoc virtutis opus: non cogitur ullus
Velle mori (cedendo eſſet via tuta ſaluti)
Verùm velle mori, & momentum abrumpere lucis
Extremæ, laus eſt animi, qui nulla pavendo
Sperat cuncta ſibi. Magna virtute merendum eſt.
Pro re Romana, paſſi pro lege Tonantis
Oppetimus, Chriſto vitam, mortemque vovemus.
Ergo, hilares Socii, felici occurrite Sorti,
Et metus hinc abſit. Fuſo ſtat ſanguine palma.
Eſt breve, quod patimur; merces operoſa laborum
Immortalis erit. Gladiis occurrere primus
Certus eo, Fideique animum, corpuſque litabo.
Primus ut aſtrigero victor tranſcribar Olympo.
O' fortunatus nimiùm, mea ſi bona norim!

[1] *Sæviſſima Civili intetnicio ad vivum deſcribitur.*

(1) At longè ut muros hoſtes videre labantes:
Aſſurgunt, rapidoque ſuper pede fragmina currunt;
Invaduntque Urbem flammis, ferroque trucidant
Quotquot in adverſum ſtricto mucrone feruntur.
Ipſe ferox ductor, veluti leo turbidus irâ,
Cædem inhians animo, miſeros ſuper irruit haſta.
Numina voce precans Ductori primus Oaxes
Occurrit; dulci obiectans ſua corpora letho.
Ille atrox totis vibravit viribus haſtam
In pectus, totamque inter præcordia fixit.
I' nnnc, & populum dictis hortare rebellem,
Odryſios laceret faſces, cultumque, fidemque
Ledat; diſce tuas pro crimine ſolvere pœnas.
Sic ait ore fremens, & talia deſuper addit.
Quam dudum optaſti jam te premit aſpera duro
Mors fato; Stygias ibis maleſanus ad umbras.
Contra ille: Haud certè duro mors aſpera fato,
Sed mihi læta venit, magno data munere Divùm,
Et votis quæſita meis; fluxa omnia linquens
Jamque per Æthereas cogor ſtellantis Olympi
Ire vias; terràque cadens aſſurgere Cœlo:
Purpurei moriens aſperſus fluminis undâ
Candidior Cycnis, Divùm torrente beato
Immergor ſitiens, diisque refrigeror undis.
Securus vitæ morior, ſuper æthera victor

Vitam

Vitam immortalem, perituraque gaudia nunquam
Lætus agam; ſupraque vices mutabilis Ævi
Penniger aſſurgam, regnique in parte locabor;
Quò me ſyderei cætus, Menteſque beatæ,
Æternique vocant optata in gaudia Divi.
Hæc dedit; & placida compoſtus pace quievit;
Vitaque, feſtivis Superùm comitata Choreis
Se Cœlo victrix pernicibus intulit alis.
Ductor adhuc fuſi ſitibundus ſanguinis, enſem
Fulgentem lateri denudat tegmine, & illo
Immortale caput, venerandaque colla recidit;
Avulſumque humeris longà configit in haſtà:
Primus honos pugnæ, primi monumenta triumphi:
Hinc te Lauſe petit jaculo, mox cominus enſem
Infigit lateri, moriens tu victor ad aſtra
Conſcendis: te Paule ferit crudelis Onyſis
Pectore ſub niveo, & capulo tenus abdidit enſem:
Et puerum in geminas partes diffindit Alimin.
Et gemini cecidere ſenes Nicaſque, Lycaſque,
Quos annis centum ſervarat longior ætas:
Interea exemplo Ductoris fulminat ære
Miles atrox; ſævitque furor, latè obſtrepit enſis:
Miſſa ſagitta volat; ferveſcunt cædibus haſtæ
Innumeris; latè fluitant in ſanguine trunci:
Ac veluti rapido Cancri ſub ſydere meſſor,
Cum lætis matura Ceres flaveſcit ariſtis,
Omnia falce ſecans unum componit in orbem:
Sic totam miles, nullo obluctante, per Urbem
Cum ſenibus, juvenes, delectaque corpora matrum
Enſe metit: diro ſævit Libitina flagello.
Et ſtrages, non pugna, fuit: pars eminus atro
Imbre ſagittarum petitur; cadit altera ſpiſſo
Fulmine pilorum; late pluit undique nimbus;
Pars gladiis agitur jugulo: pars cuſpide molli
Infixà occumbit lateri. Implacabilis ipſe
Signa movet Ductor; fixumque in cuſpide Oaxis
Militibus caput oſtentat; perque agmina circùm
It vagus, ac totam replet terroribus Urbem.
Excipiunt Cives ictus, & pectora ferro
Objectant, dulcemque petunt per vulnera mortem;
Stant læti, cœloque vovent cum ſanguine vitam.
Non pluvios inter rivos ſuſpiria fundunt,
Non gemitus, quæſtuſque, & fæmineos ululatus;
Sed patrium feſto replent modulamine cœlum;
Spem vultu monſtrant; ovat inter gaudia pectus;

Ille oculos cœlo tollens : O' Numinis, inquit ;
Mirus amor ? tanton' famulum dignaris honore ?
O' centum liceat caput objectare Tyrannis ;
Mille peti jaculis, totidemque invadier haſtis ;
Obvius irruerem : ſed quas pro munere grates
Nunc refero ? lacrymis alter madefactus obortis,
Mille tibi vitas, liceat mihi tanta poteſtas,
Mille animas, tibi mille ſacrem præcordia Dive.
O' quantum eſt vitæ pereat, cadat hoſtia multo
Sanguine : ſummus amor ſummo debetur Amori.
Ferte faces, inquit, dulces ; mea gaudia, flammas,
O' geminate rogos : audi mea verba, ſatelles,
Ure, ſeca, diſcerpe ; novas ſuper ingere cædes.
Menſa mihi rogus, atque hæ ſunt mea pabula cædes.
Hic, ſuperi vos teſtor, ait, pro Numine fundam
Sponte animam, & vocem extremam cum ſanguine mixtam ;
Vos Cœlo ſpectate pii, dextràque volentes
Accipite hanc animam, patrioque inſcribite regno.
Regius ipſe puer, divino accenſus amore
Ardet amans ; tentare viam cupit entheus ardor
In venis gliſcens, pandat quà pectoris ignes,
Et curam Fidei ſervandæ, & ſacra tuendi
Intemerata Dei. Fervet ſub corde cupido
Objectare caput jaculis, & pectora ferro.
Ardua ſæpè Fides juvenilibus inſidet annis.
Ergo per armatas acies hùc vertitur, atque hùc ;
Accenditque ſacris morientùm pectora dictis.
Pergite felices palmam cumulare trophæis :
Non opus eſt votis, nobis ſeſe obtulit ultro
Exoptata dies, noſtro ſignanda cruore :
Cum patrias iterum reduces veniemus ad arces
Empyrei ; & noſtri fructum capiemus amoris.
Purpureus ſine nube dies, quo lætior ullus
Non certè, non vana fides, effulſit Olympo.
Ite per armatas acies ; & fortiter, oro,
Pectoribus ferrum accipite, atque urgete morantes.
Lictorum calybes, atque æra micantia dextris
Agmina adite viri, ſacroque occumbite letho.
Hàc iter ad ſuperos, patriaſque evadere ad arces,
Hac mercede datum. Nullus tranſcribitur aſtris
Ni priùs effuſo conſperſus ſanguine, regni
Æternas meruit ſedes, & præmia Divùm.
O' ite illuſtres Animæ ; jam limine in ipſo
Hæremus Cœli ; poſtes reſerantur Olympi ;
Acceſſuſque ad regna patet : Nos aurea Divùm

Ora

Ora vocat; patrius resonat concentibus axis;
Ingeminat plausus pictis exercitus alis
Aligerùm, circùmque choros inflectit ovantes;
Et vocat ad regnum socios, ubi meta laboris
Numen erit; nostrisque oculis sese ipse videri
Æternùm sine fine dabit. Vix talia: miles
Barbarus, & Scythicâ Cami de gente creatus
Adventat super, & pectus transverberat hasta,
Ausus regali ferrum maculare cruore.
Ille autem Aligerùm cætu comitatus ovantùm
Evolat ad sedes superas, cœloque potitur.
Hinc magna insequitur strages; cunctique sine ullo
Ordine cæduntur cives. Ruit undique Ductor
Bile fremens, vastamque dedit cùm Civibus Urbem
Militis arbitrio, prædamque petentibus addit.
Verùm ubi præteriit rabies vesana nocendi,
Atque ardor stragis, miseræque insania cædis;
Et tandem cessit prædæ furiosa libido:
Crudelem ad Regem redeunt peditesque, equitesque
Ditati exuviis, & sacro sanguine tincti.
Interea tantæ necis increbrescere rumor,
Atque per ora virùm meritò clarescere virtus
Cæperat; & laudes Heroum Fama canebat.
Et jam Saberi pervenerat illa sub aures,
Agaricos emensa finus pernicibus alis.
Ille hilari exultans animo sic ora resolvit:
Fortunata cohors, nimiùm dilecta Tonanti;
Cui plumas dedit almus Amor, quibus ardua Olympi
Culmina conscendas, altàque in sede loceris.
Ausa priùs rapidis caput objectare sagittis,
Quàm sanctam temerare fidem, aut rescindere fœdus
Æternum; & recto discedere tramite legum.
India magnanimos super astra coruscа videbis
Permistos almis Heroibus Heroinas,
Cæsa cohors cum ritè sacris dignabitur Aris.
Spero equidem, nec vana fides: Heroibus olim
Ipse Pater sacros referat Romanus honores,
Asserat & meritas laudes, & inauguret Aras.
Hæc fatus, celeri findens strata æquora cursu,
Manariam venit vicino è littore, quo se
Illa brevi divisa freto tutatur ab undis.
Fortè Dorylindus, cæsi germanus Ophyri
Barbara jussa patris, moresque exosus iniquos
Venerat amplecti madefactum sanguine fratrem;
Et dum germani laudes, & fortia facta

Mente coquit, dio laudis perculſus amore;
Illius exemplis ardet dare colla bipenni:
Nec timet immitis ferrum crudele tyranni;
Sed ſuperas cœli ſedes æquare cadendo,
Ac patriis optat Saberum immitier oris,
Romulei qui jura Patris, rituſque Quirinos
Edoceat, doctumque piet cœleſtibus undis.
Vota quidem nequidquam altis non ſpectat ab aſtris
Omnipotens, magnas vires optantibus addit;
Heroemque Ducis generoſi ad limina mittit,
Qui juvenis faveat cœptis, & vota ſecundet.
Hic ubi Saberiden complexu excepit amico
Jura volens Romana petit, lymphiſque piatur.
Da Pater, ore refert, abſtergi ſordibus atris,
Sidereis facibus luſtrari, undàque ſalubri.
En tuus ipſe, Pater, tibi jam perſpecta voluntas
Eſt mea; tu jubeas; mihi juſſa capeſſere mens eſt:
Da mandata Pater; faciam quodcumque jubebis.
Nec me, vel vitæ cupidum, mortiſque paventem
Arguet ulla dies: me abſorbeat ima recluſo
Terra ſinu; aut Pater omnipotens jaculetur ab æthrâ
Fulmen in hoc caput; atque Erebi me mittat ad umbras.
Tunc ſic Saberus, teneris dans colla lacertis,
O' dilecte Puer, qui nunc juvenilibus annis
Eſſe ſenex noſti, non te præcepta Tyranni
(Sic etenim appellare patrem licet: ille rebellem
Sedibus æthereis voto te poſcit inani)
Nec gladii terrent: moriendi certa voluntas.
Sume animos, dilecte puer; Si clara triumphis
Nunc te regna manent; verùm majora parantur
Regna tibi poſt fata ſuper faſtigia cœli.
Hæc ait; & ſacris lymphis populumque, Ducemque
Abluit; & leges docuit, rituſque latinos
Templa Deo poſuit; ſuperùm delubra beato
Nectare replevit: veniunt torrente refuſo
De cœlo, terras & inundant gaudia paſſim;
Jamque aſtris Reges adſcripti, & jura latina
Latiùs Eoo protendunt litore fines
Auſpice Sabero; gaudet tanto auſpice Roma.
Interea Heſperio de litore vecta ſecabat
Claſſis Atlanteos fluctus, ſecumque ferebat
Lectos Heroas; monitus quos numine Divùm
Miſerat Auroræ roſeas Loyola ſub oras,
Trans anni, ſoliſque vias ſub margine cœli.
(Eſt hæc fama vetus majorum). Conſtitit ingens

Inſula

Insula Atlantæo in magno Europamque, Africamque
Ammeriamque inter; qua non fuit altera in orbe
Major; Atlantæam dicunt de nomine Atlantis,
Lystrigones tenuere diù, post sæcula sera
Diluvio periisse ferunt; sed culmina summa
Sunt detecta vadis, Fortunateque vocantur
Insulæ: Oceanus quas non submerserat undis.
Hic, ubi devicti pavidæ quondam ægra dedere
Manes terga fugæ, & pelago Saberus aperto,
Victor ad Eoas penetravit cærula prêter
Classe plagas; Lemures iterum immersurus in Orcum
Hìc etiam nova bella movet furialis Averni
Turba; procellosi nimbi non sponte ruentes
Purpureos texere polos; tenebrisque refusis,
Undique turbatur facies puriſsima cœli:
Inviti erumpunt venti; flabroque sonoro,
Sensim ad sydereos spumantia marmora tractus
Extollunt: horrenda mari tandem ingruit alto
Tempestas; longèque fremit concursus aquarum.
Fortior insurgit ventus, simul æquora surgunt
Spumea, & è cœlo resolutis nubibus imbres
Descendunt; refluoque tumescit gurgite Nereus:
Jamque potus, pelago gaudens indicere bellum,
Fœdera rescindit; totusque ardescere cæpit
Ignibus; & superà jaculari fulmina ab arce;
Horribilique tonat strepitu, circumque remugit.
Thaumantis Soboles, varioſque induta colores
Concipit Iris aquas; nimbisque alimenta ministrat.
At pelagus contra montes attollit aquarum,
Indicto bello; cœlique ardentia fractis
Fluctibus astra ferit; vitreaque aspergine tingit.
Hærent attoniti nautæ; quave arte periclum
Evitare queant, irasque eludere venti,
Et Nerei furiam, ignorant. Ars nulla Magistro;
Nulli sunt nautis animi; spes nulla; sed ingens
Naufragium ante oculos, & plurima mortis imago.
Victrices mediis Dirę bacchantur in undis:
Jamque canunt hilares partæ præconia palmæ.
At nautæ, cunctique viri jam proxima deflent
Funera; & irriguo miscent suspiria fletu.
Soli Ignatiades, sat firmo pectore, stabant
Intrepidi Furias contra, diraſque procellas.
Non vultus pallor, languor non occupat artus,
Nulla genas firmà contristant nubila mente
Non illos Nerei furiæ, ventique furentis

Dejecere minæ: non terruit impetus ingens
Undarum, facieſque maris, prænuncia mortis:
Non rupti fregere poli: ſed vivida virtus
Semper in occurſus ſtetit; Æthere cum Deus alto
Dilectam aſpiciens gentem; labara aurea fluctus
Ire per albentes ſævis ludibria ventis:
Sic ait: Anne meos patiar Loyolidas altis
Fluctibus immergi; & Nati radiante per undas
Signa Crucis labaro, ſævis lacerarier Auſtris?
Scilicet, ut Ditis tot cladibus ira cruentis
Funeribus tot dira fames ſaturetur Averni?
Haud equidem tantum patiar ſcelus. Ibit Eoo
Loyolæa manus; victor mea ſigna per undas
Inferet Auroræ in fines Antonius Heros:
Tunc Michaelem ad ſe vocat, (eſt cui ſumma poteſtas,
Seu Manes laxare velit, ſeu carcere cœco
Frænare) & ſic alloquitur, dein talia mandat:
Vade age, nunc Michael, pedibus talaria necte,
Et pennas humeris, perque æthera labere purum
Aëriam in ſedem, quam contexere tenebris
Tartarei Manes; & diſſice nubila cœlo.
Contrahe fræna mari; conclude & carcere ventos:
Majorique Erebo Lemures pereant tormento.
Haud mora: continuò Michael mandata faceſſit,
Aëriam venit in ſedem; dextràque potenti
Detrudit cœlo nimbos, & ſydera pandit:
Et frænat vinclis ventos, tumida æquora placat:
Hinc diis ardens flammis, auroque coruſcum
Immortale ſuo denudat tegmine ferrum,
Et vibrat in Manes; & talia voce profatur:
Eſt tantus ne furor? Tanta eſt audacia victis,
Et toties, Duce me, miſſis ſub Tartara? rurſum
Ut Martem tentare, novumque indicere bellum
Cœlitibus, vano audentes molimine fluctus
Undique turbetis? claudatis nubibus æthram?
Sed dabitis pœnas: patrium remeate ſub Orcum.
Frendentes ſubitò Manes nigra Tartara Averni
Lymphato petiere metu; rabieque frementes
Devicti rurſum cœcis voluuntur in umbris.
At Michael volitans victor ſe ſe intulit aſtris.
Tota autem claſſis manifeſto munere Divùm
Naufragio incolumis, tanto ſervata periclo,
Læta per Oceanum curſus direxit Eoum.

Digitized by Google

SABERIDOS

LIBER VIII.

Argumentum.

Septenas Heros deserto in littore luces
Traducit pelago ejectus, ventisque siniſtris.
Terrà iter aggressus venit Meliaporis urbem:
Hìc Didymi supplex venerans sacra lipsana, Cœlum
Mente petit, gravibusque ereptus sensibus, Axem
Lustrat: ubi Heroum series longissima Divo
Occurrit quondam ventura in luminis auras.
Illi aperit Dydimus, quis quisque sit, amplaque laudũ
Commemorat, quæ quisque ferat compendia, & ausus
Præcinit, & claras ventura in sæcula palmas.

POstquam Romuleæ victor duo regna Tiaræ
Innumeros ultrò populos, Regesque subegit;
Ut stabilem populis firmare in sæcula pacem
Fas foret, hoc tantùm exoptaverat inclytus Heros;
Cogitur auspiciis felicibus ire per æquor.
Ergo jubet nautam committere carbasa ventis;
Et clavum inflecti; spatioso condita campo,
Quà propè decursum fluvii sedet alta Milispar. (1)
Mens erat hìc olli, victricia signa priusquàm
Chrysæum in finem, & gemmata cubilia solis
Inferret, Thomæ divinum visere pignus.
Divinum pignus, quod tot labentibus annis
Immortale manet, cunctis spectacula sæclis.
Jamque è conspectu Ceilani puppis in altum
Læta ferebatur; cùm fluctus tollere ventus
Incipit; & subitæ saliunt in vela procellæ,
Stridore ingenti; doctus tunc arte magister
Jam propiùs magnum cernens instare periclum;

(1) Malabaris Urbs Archiepiscopalis dicitur etiam Civitas Sancti Thomæ; quia ibi martyrio coronatus S. Thomas Apostolus in loco Calurmina dicto a Malabaribus, Dicitur vulgò Maliapuri estque in Regione Gorromandelis in ora sinus Gangetici.

Ele-

Flectit iter, curſuque petit, quæ proxima ſpectat
Litora, deſertâque ratem ſtatione remittit.
Cogitur hic ſeptem nemoroſo in litore luces,
Et totidem noctes habitare, furentibus Auſtris.
At pius interea Divus (mirabile dictu)
Non cereris ſaxo domitas guſtavit ariſtas;
Nec puros hauſit latices flaventis Jacchi:
Sed præter ſolitum, ſummâ dulcedine lætus,
Fixus in obtutu hærebat verſatilis orbis;
Mens intenta Deo, cœli ſuper aſtra vagatur.
Cum demum Celadon deceptus fronte ſerena
Tauri, & Pleïadum formâ, ſpecieque decorâ,
Æquoreis iterum puppim, & ſe credidit undis:
Illum Saberus dictis compellat amicis,
Atque ait, ah nimio, laxis compagibus, ævo
Conſenuiſſe ratis, gremioque videtur hiulco:
Sciſſa ſinum haud poterit tumidos irrumpere fluctus
Incolumis. Celadon Divum ſic excipit; ultrò
Quæ tu vera refers, fateor, ſed tangere portum
Non gravis optatum labor eſt: nec, ni mea fallunt
Lumina, nos hyemes ſuper impendere videntur.
Quàm tua te fallit, Celadon, ſpes credula, Divus
Tunc ait, haud portum modò, ſed deſerta tenebis
Litora, nubiferos Euro motante fragores,
Ac Nerei vitare minas non apta ſenectus
Eſt Ratis, & nobis modò qui ſuper ingruet imber.
Sed præſtare fidem dictis incredulus ipſe
Immeritò renuit; Vatemque irridet, & alto
Ire jubet remis propulſam gurgite puppim.
Vix ea fatus erat, ſubitò cum ſurgere nubes
Incipiunt, veluti turres, aut ſæva gygantum
Corpora; quin veluti denſis exercitus alis;
(Credideris bellum nautis, cædemque minari.)
Obnubuntquæ polos, & Sydera clara repentè.
Protinus emiſſi, reſerato carcere, venti
Incumbunt pelago, totas è ſedibus undas
Permiſcent; atræque diem involuere tenebræ.
Ut tantum vidit Celadon inſtare periclum,
Saberique memor verborum; flectere curſum
Imperat; & notis iterum delabitur oris.
Saberus, quoniam cœlum intractabile nimbis
Intercludit iter, fluctuſque ad ſydera tollit
Nereus iratos; neque erat ſpes proxima pacis:
Et nemorum latebras inter, lucoſque ſonantes
Terrà iter aggreſſus, rupes ſuperavit acutas

Donec

Donec ad optatam venit Meliaporis urbem.
Ad ſacrum Didymi, directo tramite, templum
Contulit, & ſupplex ſe ſe projecit ad aram:
In lacrymas abiit miſcens ſuſpiria; mox has
Intentus tumulo jacit imo è pectore voces.
O' dilecte mihi ante alios, chariſſime Thoma,
Tu mihi ſolus amor, ſpes una, atque una voluptas:
Nil mihi, nil ſine te gratum, interque omnia fluxa
Dulce nec eſſe poteſt, niſi tu, ſuperi Axis, & imi
Maximus Orbis honos, Tarpejæ gloria gentis;
Et laus alma Poli, rutilas qui primus in oras
Ethereos mores, & jura latina tuliſti,
Perluſtrans terras alieno ſole calentes:
Tu olim Romanos aliis protendere fines
Orbibus, atque alios auſus properare ſub axes:
Et te duxit Amor per ſpicula, perque cruentos
Lictorum calybes, media inter tela nocentùm.
Et nunc ordinibus Divorum adſcriptus olympo
Feſtivos inter plauſus, choreaſque canentùm
Victor ovas, cœloque ſedes, ſemperque ſedebis:
Ipſe, Dei monitis, tua nunc veſtigia luſtro:
Te monſtrante viam, patrio procul orbe relicto,
Hùc tandem veni leges ſancire latinas:
Si qua mei te cura tenet, ſi gentis Eoæ,
Da faciles aures, oneri ſuccede, novumque
Mecum iter accelera, noſtræ ſpes maxima palmæ.
Hæc fatus, conſpectu hæret defixus in uno,
Plurima mente agitans, animo præclara recurſat
Palma Viri, & parti rerum per acuta triumphi:
Et Pietas, & chara Fides, & Numinis ardor,
Qui dare purpuream per vulnera crebra coëgit
Sponte animam, vitamque leves diſperdere in auras:
Pectus inardeſcit, dulci præcordia motu
Subſultant, plenumque ardoribus exiliit Cor.
Dum ſic lætus ovat, ſenſim per membra quietem
Diffundens ſopor ingruit, & ſua lumina clauſit:
Cor tamen evigilat; mens cœlo intenta beato eſt.
Et videt interea, & ſentit (mirabile dictu)
Mira animo, & leviter ſenſim tellure relicta,
Neſcio qua præter ſolitum ratione, modoque
Aëra per vacuum fertur, tractuſque liquentes.
Vos ò cœlicolæ, precor, aſpirate canenti
Sit mihi fas ignota loqui; fas, munere veſtro,
Carminibus celebrare meis ſacra tecta Tonantis,
Ætheris immenſi gyros, & Pergama Divûm

Pandere Terrigenis: Vos ò memorate canenti,
Quæ domus Aligerùm, quæ gaudia, quive canores
Collibus æthereis reſonent, qui gramine flores
Purpurei niteant, fulgentes palmite gemmæ
Quæ rubeant, rutilo gemmantia prata colore
Quod ver æternum variet, quo nectare flores
Diſtillent, circùmque Poli viridiſſima Tempe
Purior electro ſe obliquet curſibus amnis;
Quæve ibi floricomæ, protentis undique ramis,
Aſſurgant Sylvæ; quæ gloria mentibus inſit
Divorum, & partæ tulerint quæ præmia palmæ.
Me modò terricolam, præſentia Numina Divi
Ferte ſimul, Menteſque leves, Animæque beatæ
Munera veſtra cano, & vobis data gaudia pando.
Tu verò, Sabere, meis decus addite Muſis
Dexter ades: mihi Divorum tu pergama pande;
Dumque illis æternum agitas felicior ævum,
Da mihi nunc comitum ſeriem memoraſſe tuorum

(*) Hierosolymæ Cœleſtis deſcriptio.

(1) Trans ſuperi convexa poli, trans Dædala Mundi
Mœnia, & aſtrigeros Cœli verſatilis Orbes,
Urbs regalis erat, medioque in vertice Olympi,
Divinâ fabricata manu; nam Maximus ipſe
Omnipotens Auctor primus ſacræ extitit Urbis;
Hìc poſuit ſtabiles æterna in ſæcula Sedes,
Ille ſibi hanc ſtatuit Solium, magis omnibus unam
Urbibus Empyrei coluit, pretiumque laboris
Hanc ſtatuit; Merces palmæ ſatis ampla relatæ
Quæ foret: hìc Animis, exuto corpore, pugnæ
Præmia conſtituit, clarique inſignia Regni,
Et ſceptra, & clamydes, aurumque illime Coronæ;
Has Superas ſedes, ſtellataque pergama Cœli
Cœleſtes habitant æterna in ſæcula Mentes.
Hìc cuncti Reges, cuncti diademate cingunt,
Purpureaſque comas intexunt Daphnide lauro;
Cuncti ſceptra tenent; ſolioque micante pyropis
Latius Auguſto regnant. Trans ſydera, & ultra
Tenditur imperium; compoſtà in ſæcula pace,
Æternum ſuperis agitatur finibus ævum.
O' Fortunati nimium ſua ſi bona noſſent
Mortales! Oh cuique, altum contendere in Axem
Cura foret! nulli lentaret inertia pennas.
Aurea circa Urbem conſurgunt mœnia; latèque
Auratis fuluum radiat de mœnibus aurum:
Intermixta etiam primo fundamine ſurgunt
Marmora, ſydereo paſſim variata colore,

Late-

Latèque intextis interlucentia gemmis
Fulget terga niger, maculiſque nivoſus Achantes;
Et nebuloſus Onyx, viridi micat igne Smaragdus.
Indicus effulget nitido pallore Beryllus;
Et vitreis Enydrus aquis diſtillat, & almo
Illuſtrat candore polos: ardeſcit Jaſpis
Purpureus; rutiloſque jacit Carbo igneus ignes
Æmulus ætherei Solis; radiantque Adamantes
Perpetui; & ſpiris variis illuſus Ophites
Scinditur in cruſtas; & divitis omnis Erythræ,
Omnis & eoi ſpectatur gaza Profundi
Mœnibus intexta, & gemmarum internitet ordo.
Biſſenæ, ut perhibent, bipatenti limine Valvæ
Luce patent, & nocte: micant labara aurea Valvis
Auratique nitent gemmato cardine poſtes:
Gemmarum fulget ſeries, latèque renident
Biſſenæ ingenti cum lumine Margaritæ.
Auratæ interius plateæ; nam plurimus auro
Provenit urbis honor; auguſta palatia mille
Se Cœlo attollunt, & circumducta columnis
Atria millenis mirà in gyrum arte coruſcant.
Urbis magnum Opus, admirandaque machina Divis:
Artifici ſat digna ſuo. O' quæ magna parantur
Pergama Terrigenis! partæ quæ præmia palmæ!
Valuam ante Eoam, (namque illàc celſa ſubire
Pergama Cælicolùm, atque æterni tecta Tonantis
Tantùm Terrigenis permiſſum) & limine primo
Perpetua ætherei poſuere ſedilia Cœtus.
Religio, Pax alma, Fides fulgentior aſtris,
Quæque olim Terrà extorris deceſſit Eoà,
Et Pietas, diique Parens dulciſſima Amoris;
Purpureuſque Pudor, ſemperque acceptus Olympo
Virgineus Candor, pudibundaque Mater honeſti;
Læta Quies, atque ipſa novâ Concordia palmâ,
Et læto ſtabat placidiſſima Gratia vultu.
Feſtivi errabant etiam, circùmque volabant
Sydereum per inane Chori, Plauſuſque, Decorque;
Dius Honor, Laus alma, & verax Gloria latè
Se ſe Cœlum ultra pernicibus invehit alis.
Emicat antè alios pharetrà ſuccinctus, & arcu
Aliger Igniporens, & viva incendia ſufflat.
Ludunt præterea varia ſub imagine Formæ
Inſuetæ Superùm, & valuis bipatentibus aſtant.
Ipſo in Veſtibulo hinc, atque hinc ſua brachia tendit

Stipite quadrifido Crux aurea; divite gemmâ
Sparsa nitet; mediàque ingens Carbo ignea vibrat
Lumina, purpureà veluti inter lilia fronde
Stat rosa; sive inter decerpta liguſtra rubentes
Caryophillus opes jactat; ſeptemplice gyro
Illum cingit Onyx, atque Indica bacca coronat.
Hanc olim ipſe Crucem, cum Victor in aſtra rediret,
Extulit, humanas effuſo ſanguine poſtquam
Diluit (ah nimium ſervos miſeratus iniquos)
Servator noxas, noſtro & pro crimine Prædes
De trabe ſuſpenſus pœnam, pretiumque pependit.
Hanc nunc ritè Crucem quiſque amplectatur, oportet
Hanc foveat gremio, huic etiam chara oſcula figat:
Namque aliter fruſtrà ſuperos penetrare meatus
Tentabit, Sanctumque Poli penetrale ſubire.
Ipſe etenim Omnipotens, rerum cui ſumma Poteſtas,
Quem penes eſt Mundi imperium (quis crederet) ipſe,
Ut caperet regnum, complecti hanc juſſus, acerbam
Ferre libens voluit duro hoc in ſtipite mortem.
Poſtibus inque ipſis Laurus, fidiſſima cuſtos,
Eminet, atque forum ſpatioſis crinibus ornat.
Innumeri pendent intextis orbibus orbes
Ex ramis, puroque auro, gemmiſque coruſcant;
Ipſe catenatis tot fulgens orbibus aureis
Intextus, quorum numerum comprendere nemo
Mente poteſt, in ſe ſe circùmvoluitur orbis.
Sed Platea in mediâ lætis radicibus Arbos
Aſſurgit; latè extendens ſua brachia ramis.
Æternùm viret illa comis, nec fronde caducâ
Carpitur; aut ævi laceratur dente voraci,
Nomen habet Vitæ; hinc omnis capit Incola fructum;
Æthereæ carpunt hinc vitæ alimenta Beati.
Hæc parit æternos fatis felicibus annos,
Quam nec flammatis ardens fervoribus æſtas,
Nec ſicci Boreæ penetrabile frigus adurit.
Purior electro, & nitidis cryſtallinus undis
Haud procul hinc pleno Rivus præterfluit alveo
In gyrum; latèque fugax argenteus humor
Culta per obliquis halantia flexibus errat.
Ambroſia hoc Fonte, hoc emanat vena beati
Nectaris; & Divùm nunquam peritura voluptas.
Gutture mellito dii modulantur Olores,
Atque Urbis ſuperæ concentibus atria complent:
Quàm pulchras jactant alas; quot cernis olores,
Sydera tot cernis; ſed quiſque niteſcit ab aſtris.

Stant

Stant & cœlestes Volucres, examina mille
Aligerûm, ac magnus pictis Exercitus alis.
Omnes puniceis præcincti crura cothurnis;
Purpureis omnes maculis, ostroque decori:
Hi superos circùm lucos, collesque volantes,
Et nemora ætherea, & Divûm viridissima Tempe
Præpetibus pennis astant, inhiantque supremi
Numinis imperia, & partes excurrere in omnes,
Quò jubet Omnipotens, promptique capessere jussa.
Ac veluti circùm candenti corpore Cycni
Mincia stagna volant, vel flumina nota Caystri,
Certatimque melos dum fundunt ore canorum,
Vicinos replent dulci modulamine lucos:
Mox cancti tandem fluvio potiuntur amœno;
Optatoque vado, & vitreis merguntur in undis.
Haud aliter cœlo faciunt pennata Juventus,
Dum circà fluvium volitant, fontesque beatos.
Hic plectit duplici genialia nablia palmâ,
Organa pars animat, pars dulcia cymbala pulsat:
Ille chelym, hic sistrum, digitis hic arte magistra
Barbita, lesbòum simulatus pollicis ictum
Sollicitat; fila hic pulsat resonantia plectro:
Pars alacres ducit choreas; pars pectine chordas
Percurrens, modulos celerans nunc promit acutos,
Nunc premit alternans impulsibus interruptis.
Hinc animata sonat graviori buccina cantu;
Aureaque hinc garrit mellità fistula voce:
Hic tenui, ille gravi, medio hic, verùm ille supremo
Dulces cælesti diffundit gutture voces.
Parte aliâ metrico ludit modulamine plausus,
Et latè æthereis responsat vallibus echo.
Verùm ubi festivo repleruntmurmure Cœlum;
Et sacra sydereo cecinerunt carmina Regi;
Se vitreis miscent, animis sitientibus, undis,
Dios hausturi latices, nectarque beatum.
Sunt hilares circà ripas viridaria, florum
Messis opima, suisque halat circùm undique culmis.
Vivida puniceis maculis violaria pallent.
Purpureæ segetes, & grata Rosaria Divis,
Et teneræ effulgent Calthæ, mollisque Hyacinthus;
Mistaque canescunt Amothasside lilia myrtho;
Et lacrymis Narcissus hians, & semper Acanthus
Frondibus intextus: stat mollis Amaracus, agris
Qui rutilat nitidis, immortalisque Amaranthus;
Perpetuùm vario florentia prata colore.

Ves

Ver decorat, semperque virent in gramine flores:
Flat placidè semper Zephyri levis aura canori;
Non ibi dilectis æstas metuenda viretis;
Herbida non sævis Aquilonibus arva rigescunt.
Non anni, solisque vices: nam læta sereni
Est eadem cœli facies, semperque beatus
Vernat ager; semperque micat plaga lactea cœli.
Non Austri furiæ, aut rapidi ludicra Favoni
Ira leves agitat sylvas; non frondea culta
Opprimit imber aquis; non vexant frigora; non &
Annosam valido nituntur robore pinum
Alpini Boreæ radicibus extirpare.
Stat nemus eternùm vivax, incidua sylva,
Quod fugiunt venti, fugiunt quod pensilis umbræ
Nubis; at usque nitet constanti lumine cœli.
Hoc circùm innumeræ gentes, popùlique volabant
Assidui; turmæque leves læta arva tenebant.
Justi hos devenere locos, & amæna vireta
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.
Hinc superæ Urbis opes cernuntur: jaspide murus
Surgit; & aurato complectitur omnia circo;
Parietibusque nitent simulacra excisa Elephanto,
Sternitur & latè canescens glarea gemmis;
Planities immensa jacet, latèque coruscat
Plurimus astrorum semper spectabilis ordo;
Sub plantis astra; effulgent latera omnia ab astris.
Hìc ubi magnanimus, veluti Regina volucrum
Remigio alarum, subvectus constitit Heros,
Obstupuit subitâ mentem formidine captus,
Dum lucem insuetam mirantibus hausit ocellis:
Obtutuque hæsit nimium defixus in uno.
Hinc veluti è somno excitus, thalamoque resurgens,
Non videt, aut sentit, num corpore raptus ad Arces
Æthereas sublimis abit; num sydera plantis,
Errantesque faces terat, & simul æthera calcet
Lucidum; & astrigeros, gemmâ septemplice, postes.
Anne illum fallant insomnia, vanaque mentis
Gaudia nocturnas inter demissa tenebras.
Lumina detorquet circùm, si fortè Virum quem
Aspiciat, timido relevet qui pectore curas;
Exponatque loci sedes, atque omnia pandat.
Protinùs à tergo voces audire vocantis
Visus, & alarum sonitus simul impulit aures:
Ille autem subitò deflectens lumina circùm,
Vertitur: en Didymum vidit, retro ordine longo

Cæ-

Cælivagos illum propiùs ſtipare ſequendo.
Aurea cæſaries olli, gena concolor oſtro
Mille jacit radios, evibrat mille nitores
Inclyta ceu picto rutilat Thaumantias arcu;
Dum Sol ardeſcit jaculans in nubila lumen
Purpureum radiorum, & clarâ in luce refulget:
Perque humeros niveos, perque aurea terga, per artus
Plurima Mæandro duplici ſinuoſa recurrit
Purpura; cœleſtis quam pinxerat arte magiſter:
At chorus Aligerùm latè radiantibus alis
Emicat; & patrios ſplendoribus induit Orbes.
Conſtitit hìc viſu ſubito Saberus, & hæret
Ambiguus, metuens, ne ſpe fruſtretur inani.
Mox tamen erigitur, totuſque ardeſcit amore.
Proximus accedit Didymus. Tunc ille recumbit
Pronus humi, & Divum genibus ſubmiſſus adorat:
Surge age, ſic fari cepit venerabilis Heros,
Surge age: non equidem tali me dignor honore,
Ritè Deus ſic unus erit, Sabere, colendus;
Me nunc ille tibi ſuperâ dimiſit ab Urbe,
Ut rutili convexa Poli ſuper aurea raptum,
Admiſſumque inter divinæ gaudia ſedis
Edoceam, ventura canam. totamque futuram
Evoluam rerum ſeriem; ſimul ordine monſtrem
Turbam Ignatiadum, lapſum qui viribus Orbem
Extollant patriis, & pulſo crimine luſtra
Aurea reſtituant, quorumque è ſtirpe Nepotes
Ardentes cœli. magnique Tonantis amore,
Sponte ſua largos per barbara litora terræ
Sanguinis effundent rivos, animamque vovebunt:
Verùm etiam volucres extremi limina Mundi
Vaſta pererrabunt, quâ ſol utrumque recurrens
Aſpicit Oceanum; Tithonia regna latino
Nexuri imperio; oppoſitoſque trionibus Axes;
Nec concepta quidem tenues vaneſcet in auras
Spes tanta: excelsâ Pater ipſe à Sede Quirini
Omnia ſub ditione ſuâ, nutuque videbit.
Sic Didymus: Didymo contra ſic Æmulus orſus:
O' dilecte mihi ante alios, fidiſſime Thoma,
Quas ego nunc tanto valeam pro munere grates
Perſolviſſe? mihi nec par facundia linguæ
Copia nec fandi, quibus hæc accepta referre
Ritè tibi poſſim, Terræ Lux inclyta Eoæ.
Tu tamen hoc (quodcumque) boni nunc conſule: certè
Velle, ſatis quandoque fuit; nam vota rependent

Quod

Quod nequeunt vires; atque hoc magè pandit amorem
Cum qui magna nequit, cupiat tamen ille referre
Magna, Animus pretium, non res solet addere donis.
Jamque age, nunc nostris faveas, Dive inclyte, cæptis
Imus enim celeri tua per vestigia gressu:
A te, quod moveo, aggredior, tibi serviet uni
Quicquid erit decoris, sibi namque exempla reposcunt
Si quid in assimili sublucet imagine pulchri.
Gloria tota tua est: Auctorem facta sequuntur.
Post ubi conticuit, cuncti unâ tendere gressus
Intima cæpere ad superi penetralia Regni:
It placido incessu Thomàs, Saberus & illum
Compostus lepidè vultum, speciesque decora
Insequitur propiùs. Circùm Chorus omnis ovantum
Funditur Aligerùm. Latè chrystallinus orbis
Præpetibus teritur plantis. Gemit orbita mundi
Sub pedibus, dulcis subsultat & undique longo
Concordi cantu mundi simphonia discors.
Dulcè canunt Orbes, discordi murmure concors
Fundunt astra melos, patulà Saberius aure
Concentus bibit astrorum, quem si quoque Terris
Ebiberent homines intentis auribus, omnes
Attoniti à cœlo penderent; nullaque vitæ
Cura foret, nullum rerum discrimen; at ordo
Unicus in cunctis foret, & concordia terris,
(1) Unde ipse Omnipotens mortales obdidit aures,
Concentu astrorum dulci via ne qua daretur.
Cuncta hæc Sabero narrabat ab ordine Thomas;
Sphærarum motus addit, spirasque volutas;
Ut certos servent cursus, doctæque per ipsas
Ire, redire vias, stabilesque per æra sedes
Servare: & rutilum terris diffundere lumen:
Immensum Astrorum numerum, redituque, situque
Subdidit, eoos ortus, iter inde sub axes.
Jamque patescebant excelsæ mœnia Turris;
Et domus Aligerùm cantu, pulsuque sonabat
Assiduo; & læto reddebant carmine voces.
Responsant superi colles, vallesque beatæ
Assurgunt plausu, reboantque cacumina circùm;
Ad numerum Chelys icta modos, lepidosque canores
Digerit; & dulci captantur murmura cantu
Plaudentùm ad cytharas, dioque ab colle canentùm.
Eminsis hinc clarum vibrant fulgentia lumen
Fundamenta Domus, gemmarum, aurique talenta,
Urbs adamante micat, flammantis jaspidis igne

Ful-

(1) Videtur hic Vates celebrem Platonis sententiam innuere de Cœlorum motu armonico, eorumque ad numerum concentu.

Fulgurat; accenſique rubeſcit ab igne Pyropi
Fulcitur geminis ſolido ex adamante, columnis;
Totaque erithræis gemmato lumine gazis,
Urbis ad Eoum quæ ſpectat, valva coruſcat.
Perculſus fulgore novo, latèque micante
Magnanimus ſtetit hìc Heros; nec tendere greſſus
Ultrà audet; tanto ſed lumine lumina paſcit
Attonitus: miratur opus; tùm Pergama laudat
Divinà fabricata manu; geſtitque videndo
Tecta Dei, ſuperùmque Domum, promiſſaque nobis
Mœnia; queis agitant felices otia Divi,
Dulcia perpetuos ævi ducenda per orbes:
Succreſcit ſenſim ſtupor, aſpectare neque ultra
Tot radios jam luce valet, tot lumina, quot quot
E' muris radiant: ſenſim langueſcit, & ardet;
Jamque oculi tandem tenebris hebetantur obortis
Cui Thomas. O', quæ rerum delectat imago?
Quiſve nitor ſtupidam rapuit ſibi lumine mentem?
Attonitum quæ te nimiùm ſpectacula reddunt?
Deſine mirari: nec totum impende ſtuporem.
Non deerunt majora tibi miracula rerum
Attonitus quibus, atque oculis mirantibus, omnem
Obtutum impendas; quæ nunc propiora pateſcunt
Gaudia cœlicolùm; ſtellatus & ambitus Urbis;
Intextæ muro gemmæ, rutilique pyropi,
Interiora nimis quibus irradiata videbis
Tecta domus ſuperùm (norunt namque omnia mentes
Quamquàm oculis (hominum ſint inconceſſa, Beatæ)
Ergo Arcem Aligerùm, & felicia Numinis alti
Pergama jam libeat cupidà tibi mente ſubire;
Virgineos vultus, immortaliſque Triformis,
Divorum ſpectare choros, cœtuſque beatos,
Et rerum ſeriem venturam, & noſcere prolem
Ventum erat ad valvam, quam primùm aſpergit Eoo
Cynthius; & radiis ſtat ſubdita matutinis.
Illius antè fores ingens caput inclyta tollit
Arbos quadrifida, & nimio fulgore coruſcat;
Tunc Thomas: vlnis divinam amplectere Plantam,
Heros magnanime, & ſacro fige oſcula Trunco:
Nullos in ſuperas admittit Claviger Arces,
Ni Plantam amplexi teneris fovere lacertis.
Sic primus Plantæ ſtatuit Sator: ille ſalutis
Antè alios plantam amplexus, truncoque pependit;
Paruit; & Plantam genibus ſubmiſſus adorat;
Et colit, & recolit; mox tendens brachia circùm

Dulcè fovet; refovetque, & mox chara oscula figit;
Atque iterat. Sensim fibris illabitur imis
Dius Amor, jamque igne calet, præcordia flammis
Ingenuis jam tota flagrant; & dulcè fluenti
Imbre madet: mediis ignis succrescit in undis:
Sic tandem Plantam alloquitur, refluentibus ultro
Ora per, & malas, lacrymis, torrente perenni.
O' dilecta Arbos, superis veneranda, cadentùm
Una salus hominum, Divorum sola voluptas
Lux æterna Poli, Tu summi janua regni,
Cujus gemmatos postes, penetraliaque alta
Imperii reseras, & Tartara nigra coerces.
Divinà tu sola manu, non valle sub ima,
Sed super æthereis astrorum consita campis.
Tu mihi fida comes, mecum ipsa per avia terræ
Dux venies; tu certa mihi vestigia signans,
Semper, inoccidua radiantia luce per umbras
Securum monstrabis iter; Te, te auspice, lætus
Ibo per Oceani tractus, terrasque rubentes;
Per juga, per valles, & præcipites anfractus;
Per scopulos, syrtesque, atque æquoreos labyrinthos:
Tu mihi solus amor, tu partæ gloria palmæ.
Semper eris, Tu solus honos, & semina laudis,
Et merces operosa nimis, pretiumque laborum;
Tu mihi blanda quies, cunctarum & meta viarum:
Vix ea: cùm Thomas: cæptum, Sabere, sequamur
Infit, iter; nos sacra vocant penetralia Regni.
(1) Undique texentem lætis umbracula ramis (1)
Æternitatis Symbolum. Aspice gemmatam primo ipso in limine Laurum;
Astantem, lætis pendentes aspice ramis
Mille catenatos insertis orbibus Orbes.
Æterni series ævi, perituraque nusquam
Sæcula, perpetuis concluса hæc finibus ætas:
Est Regnum æternum, est æterna & gloria Regni:
Æterni Cives, æterna & præmia palmæ.
Hic mortale nihil, nullique obnoxia fato
Est Domus, hic vernat primævo flore juventus.
Dumque ea narrabat Thomas: ecce emicat ipse
(1) Claviger extemplò Cœli, cui purpurat almo,
(2) Divus Petrus Apostolorū Princeps, Ore decus, fusi pendent per colla capilli:
Electro similes, ostro perfusus, & auro.
Dextra gerit claves, adamantina pondera Regni;
Queis aperit superas splendenti lumine Valvas,
Egressus senior, strictis complectitur ulnis
Saberum, & teneris figit chara oscula labris;

Inde

Inde loqui cepit, placidoque hæc addidit ore:
O iterum, atque iterum felix, cui contigit uni
Veniſſe aſtriferas, mortali in corpore, ad Arces,
Æthereas vidiſſe domos, tibi fila priuſquam
Fatales vitæ truncarent aurea Parcæ.
Quod pauci Heroes, quos ſedibus ætheris alti
Aut Pater omnipotens, aut intulit entheus ardor
Obtinuere, vides en cœli clauſtra ſuperni
Concava; ſtat circùm chryſtalli impervius Orbis:
Atque intercurrit longum ætheris intervallum.
I' Fortunatus, tende ultrà in mœnia greſſus.
Valva patet; tibi jam poſtes reſerantur Olympi.
Macte animis Heros, generoſo è ſanguine cretus,
Dignus in æthereis habitare penatibus Axis:
Et tibi jam Sedes æterna in ſæcla paratur.
Aggredere, & ſacrum luſtra penetrale Tonantis
Verùm ubi ſubjectos iterum telluris in orbes
Veneris; hæc tunc verba, meo de nomine, magno
Loiolæ referes genitori, & nuncius ibis.
Claviger ille Poli, cœli qui miſſus ab arce,
Numinis imperio Pamplonæ venit ad urbem;
Dives odoratis, ubi (1) Nagaris imminet agris,
Et latè aſſurgit cœlo nemoroſa Pyrene;
Delato ut ſuperis medicamine ſedibus ægro
Redderet attritas vires, morbumque levaret,
Olli ſydereum cordi inſpiraret amorem,
Inſtaurare jubens Jeſu de nomine gentem
Delectam; & magnos accerſere ad ipſa Tonantis
Caſtra viros, lapſis celeres ſuccurrere rebus;
Nocte ſub oſcura terras caligine merſas
Illuſtrare, pios cultùs, & ſacra novantes.
Ille tibi, referes, flagranti corde, ſalutem
Mittit, & æternam ventura in ſæcula pacem.
Regia jamque illi ſublimi in parte locatur,
Semper duratura domus: jam laurea crines
Texitur Aligeris exornatura decoros.
Non priùs aſtriferum novies luſtrabit Olympum,
Signiferum variis percurrens motibus orbem
Purpureus Titan; cum, ſciſſo ſtamine, victor
Æterni repetet ſtellantia mœnia Regni.
Te quoque læta dies patrios remeare ſub orbes,
Et dabit Aligerùm tranare per aëra pennis:
Interea ſacris Divorum adſcribere ſignis
Cura Indos, tenebris miſeros quos abdidit atris
Cæca ſuperſtitio, patriiſque avertit ab Aſtris.

(1) Urbs parva Hiſpaniæ, in Rivogia provincia, & Ducatus titulo inſignita, inter Logronium, & Dominicopolim, ubi aliàs acriter dimicatum inter Petrum crudelem, & Henricum Regem.

I' ſequere; ac totum diis, i, conſere mundum
Luminibus; magniſque para te, magne, periclis.
Cum ſtygio luctandum Dite; rubentis & orbis
Sub juga Romulei Patris mittendus Eoi;
Quicquid (1) Doris Arabs gemmatis alluit undis,
Et rigat Indus aquâ, & Gangetidis Amphitrites
Ora tenet, rutilaque (2) Adamas interſecat amne
Vel plaga Luciferi, cognataque Memnonis arva.
Dixerat: Illi autem læti gemmata per arva;
Perque domos urbis, loca læta nitoribus ibant,
Jamque viâ emensâ, quæ recto tramite ducit
Planitiem in magnam, & ſacri penetralia Regni,
Contexti gemmis, longèque micantibus aſtris,
Mixtiſque Eois baccis chriſtallina latè
Strata pavimenti calcabant æquora plantis.
Gemmatæ Plateæ: medio radicibus aureis,
Ponderibus lætata ſuis, & brachia centum
Extendens, cœlo circùm ſeſe invehit Arbos:
Quam propter rivus liquidis argenteus undis
Serpebat lapſu placido, latèque canorus,
Fulgentes ripas, & florea culta rigabat.
Millenis latè gemmis, & floribus Horti
Millenis halantque croco, minioque rubeſcunt:
Stant lætæ Segetes, ſtant læto gramina campo,
Et tenero lætæ, maturo tempore, pratis
Proſiliunt herbæ, lætoque in palmite gemma
Læta tumet, latèque micant gemmantia circùm,
Et lepidè variis depicta coloribus arua.
Æoliæ ſpirant animæ, lenique flabello
Purpureis dulces pratis animantur odores.
Ac velut Æmoniæ in medio ſub montibus altis
Aëriæque Oſſæ, & ſuperantis nubila Olympi,
Per quos Peneus, nemoroſo è vertice Pindi,
Effuſus placidis latè devolvitur undis,
Carminibus celebrata ſacris, nitidiſſima Tempe:
(Si nobis æterna licet conferre caducis)
Cœlicolùm ſic arva virent, ſic vere perenni,
Perpetuùm gratos ſpirant halantia odores.
Semper & in campis ſpectatur floreus annus,
Et vario volucrum concentu gratus Aprilis.
Propter aquas fluvii florenti in margine ripæ:
Et lætos circa campos, gemmantiaque arva
Milleni ſtabant Cœtus, populique ſedebant.
Innumeri, quorum (mirum!) ultimus ordine quiſque
Lampade Phœbeâ fulgentior emicat ipsâ:

(1) Mare Æritreum, cujus alteram oră Arabes colunt.

(2) Regna in ſinu magno poſitâ, vulgo Golfo di Bengala.

Nam-

Namque immortalis radiis, & lumine puro
Divinà contexta manu immortalia veſtis
Membra tegit; claro fulgent diademate crines:
In manibus radiant palmæ, monumenta triumphi:
Aurea pars lætà decerpit ab arbore poma,
Vivaceſque avido deguſtat gutture fructus:
Libatura vadum, liquidas deſcendit in undas.
Pars alia, atque alacris dios bibit ore liquores:
Pars lætas nectunt choreas; & pectine eburno
Æternis replent patriam concentibus Urbem:
Et pars per choreas, manibus per mutua nexis,
Hàc, illàc ducunt greſſus per amæna decoros.
Conſidunt alii pratis, & pollice flores
Decerpunt blandos; Aliis eſt cura quaſillos
Purpureis implere crocis; aliiſque cânistra
Virgineis onerare roſis: pars Lilia campo
Cana legit; teneriſque aliis abſcindere caltham
Unguibus eſt cura, & violas, & carpere Tymbras;
Narciſſos alii, & ferrugineos Hyacinthos
Truncant, & calathos, abſciſſis frondibus ornant:
Artifici pars illa manu violiſque, roſiſque;
Et teneris Calthis, Narciſſi & flore reſecto,
Purpureique Croci foliis florentia ſerta
Nexibus intexit variis: hæc altera gemmis
Virgineà contexta manu vaga ſerta perornat;
Omnibus unus amor florum, ſtudiumque corollæ.
Hic ſtupet, hic hæret Saberus, & aurea ſpectat
Prata coloratis latè fulgentia truncis,
Virgineos per amæna Choros, populumque beatum;
Quorum de numero, & ſacris de cætibus unus
Eſſe cupit: verùm eſſe negat miſerabile pondus;
Dic mihi, fide comes, mox fatur, flumina quæ ſint?
Quæque Arbos? quæ prata Poli, genteſque beatæ?
Nam mihi (ſi verum mens augurat) aurea Planta
Arbor erit viræ, hæc Epulum; Torrenſque beatus
Fons erit Ambroſiæ. Contra: mens augurat, infit;
Vera tibi, Didymus, ſed Numine fœta ſuperno.
Illa coruſcanti, quæ ſurgit ſtipite Planta,
Et mille extendens ramos umbracula texit,
Nomen, & Omen habet Vitæ: qui veſcitur illa,
Ducit tranquillos æterna in ſæcula curſus.
Hanc guſtant ſuperæ mentes, ſemperque per Ævum
Guſtabunt; nunquam parient hi tædia fructus:
Cunctarum placidos rerum namque illa ſapores
Omnes ſola refert, & jucundiſſima viſù eſt.

Deguſtata famem ſedat, generatque viciſſim:
Divino de Fonte fluit qui plurimus amnis;
Deliciæ Superùm, & Divorum viva voluptas:
Lætitiæ torrens æternæ, & gaudia Sedis
Dulces Ambroſiæ latices, & vena beati
Nectaris; hoc libant, ſitienti gutture, Divi:
Et cuncti vitreis merguntur protinùs undis.
Quò plus ſunt poti latices, ſitiuntur & ultra;
Sed ſitis ò nimium dilecta! O' viva voluptas!
O' quis ſyderei libamina dulcia Fontis
Pandat? & Ambroſiæ latices, & Nectaris hauſtus?
Halantes horti, & cœli viridiſſima Tempe:
Atque triumphali circùm redimita theatro
Prata hæc ætherei referunt capitolia Regni,
Queis agitant lætos ſuperi per amæna triumphos.
At verò innumeræ gentes, populique nitentes,
Æternæ Aligerùm mentes, animæque beatæ
Magnanimùm Heroum, claroque è ſanguine Divùm,
Quæ quondam terris latuère in veſte caduca,
Non auſi temerare fidem, nec vertere leges
Æternas, noxiſque animum maculare pudicum;
Diſcere juſtitiam fixi, & non temnere Divos.
Vel, ſi directo flexere è tramite legum,
Commiſſam flagris noxam, lacrymiſque piarunt.
Mortales ſumus, & contecti veſte caducâ,
Corporeique oneris nimiùm ſub faſce gravamur;
Delabi quorum eſt, iterumque, iterumquè relabi.
Eheu conditio infelix hominum! quos inſita ducit,
Tranſverſos nimiùm ad pravum propenſa voluntas.
Aſpice ut æthereæ præcincti lucis amictu
Aſtra velut, patrium replent ſplendoribus Orbem.
Lux una eſt cunctis, ſed non ſplendoribus æquis
Irradiant; paribus non ipſa nitoribus aſtra
Inſiciunt orbes: varia eſt menſura nitoris.
Stant ſua cuique tamen ſat præmia digna laborum;
Dira quibus paſſi quondam tormenta tulere
Terris mortali ſub carcere; nunc & iiſdem
Læta per æthereos deguſtant gaudia campos.
Qui tunc pauperiem tolerarunt, divite cenſu
In patriis aſtris gaudent: qui patria Regna,
Sceptraque majorum, & faſces contemſit avitos
Nunc tenet imperium Cœli, æternumque tenebit.
At qui delicias vitæ, illecebraſque peroſi,
Fugere in ſylvas, & inhoſpita luſtra ferarum,
Rupe ſub oſcurâ corpus domuere flagello,

Deliciis gaudent Cœli per amæna vireta.
Qui faciles tolerare ſitim, nec pocula Bacchi;
Nec lymphas vitreas libarunt, Nectaris undâ
Merguntur, potantque ſacros per ſæcula rivos:
Quique famem paſſi, nunc carpunt Arbore poma
Aurea, feliceſque cibis ſaturantur opimis.
Virgineum verò florem, corpuſque pudicum
Qui voluere, ſacri & ſervare inſigne pudoris;
Spernentes thalamum, & ſperatæ gaudia prolis;
Illis virgineo nunc candida lilia culmo
In manibus fulgent. At qui docuere Magiſtri
Ignavum populum ſummi præcepta Tonantis,
Primi conſidunt inter ſubſellia Regni.
O' Fortunati nimiùm, queis munere Divûm
Tale miniſterium ſuperis venerabile, & imis
Contigit! O'quibus ipſe Polo vos laudibus æquem!
Mille trophæa nitent, millenaque ſerta coruſcant.
Stant Cœlo innumeræ palmæ, quas ordine nemo
Poſſet, quamquam illi robuſto in pectore centum
Sufficerent voces, linguâ percurrere cunctas.
Eſt opus immenſum: paucas referaſſe canendo,
Dive tibi fat erit: quas te meminiſſe juvabit.
Ad me oculos (nam te cupientem noſcere cuncta
Jamdudùm ſenſi: tibi nunc ego ſingula pandam,)
Acriùs intendas, & quæ mox indice certo,
Signabo, iſta quidem tibi nobiliora putentur
Et meritò, haud numerum, ac pretium, nec ſingula nobis
Percenſere licet; ſed ſedulus ipſe notato.
Aſpice ut incedat ſuperi per amæna vireti
Sceptra tenens chorus ille manu venerabilis, ille
Tot Patrum cætus, præclarorumque ſenatus
Heroum: primi illi hominum micuere parentes:
Qui primas acies inter Dux emicat, ille
Primus homo; prima & generis mortalis origo
Cerne etiam ultrici ereptum alluvione Noëmum (1) Patriarcharum Cœtus.
Naufragii patulâ referentem inſignia puppi,
Diffuſum rursùs Genus a quo Principe noſtrum eſt,
Per geminos latè populis ſurgentibus Orbes.
Hinc Abram ſpectare potes, venerabilis ipſe
Se prodit, viden ut longo Nati ordine Patrem
Sectentur, divûm Sanguis, quos edidit ætas
Priſca ſolo, & claros vexit ſuper æthera virtus:
Ponè ſequens chorus alter adeſt; hos proxima noſtris;
Sæcula temporibus vitales lucis ad auras
Eduxere, patres, vitæ ratione ſeverâ.

Sup-

Clari olim in ſylvis, ſed nunc per cuncta feruntur
Ora virum; viden ut teneat Subſellia prima
(1) Lucorum cultor, nemorumque (1) Antonius; utque
Olli ſidereæ rutilent in vertice gemmæ,
Purpureis immixta roſis, quem lilia cingunt,
Præmia digna Viro, intacti & monumenta pudoris,
Ille (2) olim veprres inter, ſenteſque rigentes,
Serpens docta cutem veluti exutura, cucurrit,
Frangeret ut ſtimulum, & dulcem inſidiis Cytheream;
Magnanimum heroum genitor, quo Nurſia gaudet
Numine, quo cœlo aſſurgit Caſſinia Rupes.
(3) Hæc germana ſoror fælix quot pignora Mater,
Edidit, & regni victrix in parte locavit.
Sydereus Sol ille, nova qui luce coruſcat,
Sat cœlo, & terris notus (4) Guſmanius heros:
Ille autem celeri lapſu qui culmina ſemper
Summa petit, flammiſque micat, gemmiſque coruſcat;
Quinque velut ſtellæ, totidem cui corpore plagæ
Fulgeſcunt, ſpretis gemmis jam ditior Axem
Poſſidet, & magnum decus eſt (5) Franciſcus Olympo.
Jamque oculos Thomas ultra tendebat: at illi
Tunc Saberus ait: vacua eſt cur proxima ſedes?
Quem petit illa Virum? quemnam ſors tanta moratur?
Debita Loyolæ ſedes; ille inditus aſtris,
Atque inter cœli proceres, primiſque locatus
Sedibus, inſculptum divino nomine pectus
Proferet, & radiis circùm fulgebit acutis.
Addidit hæc Didymus: reliquos mox ille recenſet;
Quæ veniunt loca fatidici tenuere Prophetæ,
Emicat antè alios trabeâ ſuccinctus Eoa
Davides ſerto, cytharâque decorus eburnâ.
Quique ſtetit lacrymans mæſtas (6) Euphratis ad undas;
Nunc riſus ciet, & curis jam parcit acerbis.
Qui pauci numero, at ſummis fulgoribus Urbem,
Subjectoſque choros illuſtrant, lumina Regni,
Et primi aulai proceres, primique Tonanti
Submiſere orbem, debellaruntque Tyrannum
Cocyti; & raptis ſpoliarunt Tartara prædis.
Ordine ſtant longo: quiſquis tibi panditur, ipſe
Percenſere potes, numerum meminiſſe juvabit.
Fide comes; vacuum (non fallor ego) hìc quoque ſedem
Proſpicio: tu pande; precor, nam mens mihi lætam
Augurat, & dulci ſubſultant pectora motu.
Læta tibi meritò mens augurat, auguror ipſe
Læta tibi; victor gemmatà in ſede triumphans;

(1) Divus Antonius, primus Monaſticæ vitæ inſtituto.

(2) Divus Benedictus ſingulari ſtudio pudoris ſe ſponte conjecit in ſpinas ſuoque cruore cupidinis flammas extinxit.

(3) Diva Scholaſtica S. Benedicti ſoror, & fœcunda Monialium Mater.

(4) Divus Dominicus Illuſtriſſimi Prædicatorũ Ordinis inſtitutor.

(5) Divus Franciſcus Seraphici Ordinis Patriarcha egregiè laudatur ab impreſſis ipſi ad Chriſti ſimilitudinem plagis.

(6) Fluvius notiſſimus Meſopotamiæ, qui oritur in Niphate, Armeniæ monte nõ longè a fonte Tigridis, & tranſiens Babylonem, tandem influit in mare rubrum.

Omni-

O' nimium felix æterna in sæcla sedebis
Hanc tibi tot duri sedem meruere labores;
Plurimaque in Stygium confecta incæpta Tyrannum;
Quæque feres extrema Orbis per littora Eoi
Hanc meruere tibi, Regesque, Ducumque catervæ,
Et populi, Cœli quotquot super astra locabis.
Aspice, ut innumeræ sedem stipare cohortes
Accelerent? illas sacris lustrabis in undis.
Millia quæ tot erunt, numerat quot litus arenas:
Sed pergam reliquos ostendere; nam brevis urget
Nos mora, jam superi postes Sol pulsat Olympi.
(1) Illic undantem, quà dant incendia lucem (1) Martyrum cœtus
Purpureique Chori flammis, fusoque coruscant
Sanguine, ut igniti toties arsère pyropi:
Hi propiùs cœli Dominum, Regemque secuti
Proque fide, & sacris, superi vel amore Tonantis;
Vincula, & horrendum tenebrosi carceris antrum,
Barbara jussa Ducum, stolidi ludibria vulgi,
Et gladiorum acies passi, rigidasque secures,
Immitesque Tigres, laniantùmque ora leonum.
O' Pietas! o chara Fides! ò fortia Divùm
Pectora, quæ tales olim subiere labores!
Nec miror; namque egit amor; tantique triumphi
Auctor amor: Quid non tentatum sub Duce tanto est?
Illi (attende oculis, atque auribus excipe dicta)
Per contos, gladiosque truces, rapidasque sagittas
Pila per, & cuneos, per spicula, perque cruentos
Lictorum calybes, avidarumque ora ferarum,
Saxa per, & fluvios, tardæque incendia flammæ,
Per lethi genus omne viam sibi sternere ad astra
Contendère. Viam sic sternat quisque, supernas
Si cupiat penetrare plagas. Stat sanguine Cœlum:
Sic tibi tu sternes; quamvis diffundere vitam
Non detur; majore tamen pereas tormento.
Tot sibi sic sternent Lòyolæ ex agmine lecti
Heroes, quos clara super vehet æthera virtus.
Tu verò (quoniam lux instat) respice Turbam (2) (2) Confessorum Chorus,
Immensam, latè campis quæ proxima primis
Accelerat; namque hi simili periere dolore.
Mitius est illis tormentum; at tempore longo
Durius, hi patriosque lares, & commoda, seque
Despiciunt, tolluntque crucem, gressuque citato,
Perque arctos calles, montesque, abruptaque saxa,
Quà via dura riget, Christum sectantur amantem:
Nam præit ille, suis retro vestigia signans;

Contendunt cuncti celeres; labor omnibus unus
Vimque sibi faciunt, & se calcàribus urgent,
Scilicet angustus limes, qui ducit ad astra,
Invius, & duris hàc, illàc sentibus horret.
Viribus hìc opus, obluctandum fortiter hìc est.
Provenit indè tamen decus immortale coronæ.
Cerne coruscantem insueto fulgore sub illo,
Aurea quo picto rutilat Thaumantias arcù?
Quot spargit radios? quot vibrat ab ore nitores?
Quotve micat sedes gemmis? quot fulgurat astris?
Aspice ut ardescit centum diadema pyropis?
Milleno viridi splendescat ab igne smaragdi?
Præmia digna (1) viro, Bethleæ rupis in antro
(1) D. Hieronymus Doctor maximus. Qui quondàm belli campum sibi repperit, & qui
In spatia indè citans sese addidit, amplaque palmæ
Jam stadio emenso, decerpsit præmia victor
Inter prima Poli rutilans Hieronymus astra:
Namque illà sub rupe olim, Puer editus ipse
Omnipotens, fera bella Stygi, cædemque cruentam
Indixit, claroque tulit, fuso hoste, triumphos.
Ille sibi divina sequens vestigia bellum
Intulit, armaque erant, saxum; dirumque flagellum,
Lamna, rubique truces, series operosa rotarum:
In sese Hostis atrox silicem intendebat, & ictu
Pectora tundebat crebro, igniculosque rebellis
Extinxit Veneris repetito vulnere, seque
Sæpè cupidineis subduxit sanguine flammis:
Bellum acre horrendum, quo quisque è vulnere victor
Assurgit; propriâque sui de cæde triumphat.
(2) Divus Paulus primus heremita. (2) Ille autem vulgi strepitus, urbisque tumultus
Aufugiens, teneris annis se se abdidit umbris
Solorum nemorum, coluitque impervia primus
Hospitia, & cæcis vitam traduxit in antris:
Sed nunc parta quies, cœli felicior urbem,
(3) Bacchalaureus Horæ ex primis D. Ignatii Sociis, antequam Societas Iesu Pontificiâ sanctione in Religionem erigeretur, mortuus Divo Ignatio apud Casinates degenti, mirâ radiorum coronâ redimitus apparuit. Aligerùm comitante choro, cœtuque beato,
Incolit, & lætos agitat per sæcula cursus.
Vix ea: cùm subitò Saberus vidit ovantem,
Hosiadem cœtù immixtum, latèque micantem
Luce sub immensà, vultusque agnovit amicos.
(Lojolidùm de gente satus clarissimus Heros
Hosiades patrio nuper conscriptus Olympo.
Haud mora; prosiluit, charumque amplexus amicum est.
Sydereos olli Divùm gratatur honores,
Quodque Poli tandem incolumis veniisset in urbem:
Optarit quamquam plures sub tegmine carnis
Annos egisse, & cœli super alta beati Ver-

Vertisse ereptas Erebo ad capitolia prædas:
Olli autem Hosiades sic incipit ore profari.
Longiùs ipse etiam sacro insudasse labori
Optaram; vetuit Deus: & tellure relictâ
Sideream in Patriam, felicia regna coegit
Immigrasse, forent cum prima exordia cæptis
Nec mihi (quandoquidem magis haud est gratus Olympo,
Qui vehit Eoas sacra ad donaria gazas
Quàm qui, primitias segetis, donavit aristas;
Nec certè rerum moles operosa, nec ingens
Copia, sive aurum. Cor est mensura bonorum,
Acceptumque Deo pretium est) Pater ætheris æquus
Præmia parva brevis dat pro mercede laboris.
Paucos adscripsi cœlo, sed sedibus altis
Empyrei geminos Orbes inferre parabam.
Omnipotens tamen hìc sociis me figere sedes
Jussit, sed terram vobis subducere Averno,
Et datur Ausoniis submittere legibus Indos.
Fundamenta Polis mihi ponere contigit uni
Dilectæ Genti, & Jesu de nomine dictæ,
Loyolâque satæ, cujus de stirpe minores
Omnes astrigeras (mens hæc stat fixa Tonanti)
Conscendent sedes, regnorum in parte locandi;
Quorum ego, qui reliquos inter, ceu summa minores (1)
Sydereas inter collucent lumina flammas.
(Namque opus immensum, cunctos percurrere dictis)
Monstrabo, & paucis, oculos adverte, docebo.
Dixerat, & subitò Saberum in prata reducta,
Secretumque nemus duxit, quo plurima Turba
Luce sub oscura, & tremulo splendore micabat.
Non secus ac Nereus, cum pleno Cinthia cornu
Nocturnas agitat velox per inane quadrigas.
Magnanimûm Heroum, qui ad facta illustria terris
Venturi, errabant animæ, queis clara futuræ
Addita jam tunc fulgebant insignia palmæ.
Hìc tumulo ex alto, quo cunctas discere gentes
Saberus posset; venientum & noscere vultus;
Incipiens fausto Hosiades sic omine, signat
Illustres Heroum Animas, & nomina dicit.
Ille, vides, molli juvenis recubans hyacintho (2)
Cui niveum candore latus, quem millia circùm
Candida cœlesti canescunt lilia flore:
Ille Pudicitiæ sydus, decus ille Pudoris;
Virginei candoris honos, cui plurima vultu
Aligeros imitata choros, floresçit Honestas.
Cui nunquam maculis corpus temerare pudicum

(1) Portica filio est, non Platonica hæresis, futura enim omnia in Verbo conspici a Beatis apud Theologos certum est.

(2) Divus Aloysius Gonsaga graphicè describitur.

Audebit Venus: illique aurea ſpicula fundet
Omnia Dius Amor; Puer eſt Mantòus, Olympo
Arduus è terris qui ſe, florente juventa,
Inferet; & patrias properè remeabit ad auras:
Scilicet Aligeros inter trahat Aliger Annos.
Magnanimus Dux ille, ſacris generoſus in armis
Qui ponè inſequitur, reliquoſque præeminet omnes;
Hic Lojolæi decus agminis, Aſpice, ut ille
Regali incedat greſſu, facieque decorà?
(1) Claudius, & famà, meritiſque æquandus Olympo
Huic ſua, Diva Parens cœlo delapſa ſereno
(Mira fides) magno Patrum coëunte Senatu,
Diſſidio impendet ſuffragia certa dirempto
Conſilio ille valens vel primo flore juventæ
Unus Atlantæum ſublimi vertice pondus
Fulciet haud impar cœptis: quantùm auſpice tanto
Lojolidùm ſe per geminos terræ efferet Axes.
Clara manus? quanti ſurgent, fuſo hoſte, triumphi!
Claudie, (2) Rodulphus te pone ſecutus euntem,
Monſtrantemque viam, en faſces contemnit avitos,
Regalemque domum, quos aula oſtendit honores,
Et titulos, & ſceptra, viamque affectat olympi.
Jam freta falſa ſecat, luſtrato Mogore, tandem
Salſethes fuſo jam irrorat ſanguine terras.
(3) Felix hic Berna, hic Franciſcus, & ille Paceccus,
Purpureoque comes ſe jungit Aranea cœtù
Puniceis omnes maculis, oſtroque decori.
Sarmanticas inter glacies, ſenteſque rigentes,
Ceu roſa purpureis latè ſublimis ad aſtra
Erumpet foliis, quem cernis, & auſpice tanto,
(4) Viſtula nec Tibri cedit, nec terra roſetis
Peſtanis Riphæa, aut floribus invidet Hiblæ:
(5) Stanislaus erit flammas ſub pectore nutrit
Æthereas, dioque cadet Puer igne peremptus,
Hic (6) Gonſaluus erit Lybiæ, qui primus in oras
Æthiopumque plagas nigrantibus invehet Afris.

(1) Claudius Aquaviva B. Virginis operâ V. Præpoſitus Generalis Soc. I. reſignatus.

(2) P. Rodulphus Aquaviva Indiæ expeditionem qua flagris, qua aſſiduis precibus à Deo impetravit. Ad Mogores miſſus, mirùm quos labores exantlaverit ut illos adduceret ad Fidem. Indè Goam ire juſſus hinc ad Salſetes Inſulas; ubi à barbaris gladio ſub genibus vulneratus, cecidit in genua, & collum ad vulnus, mortemque accipiendam denudavit atque exporrexit. Occiſus eſt Corulini 15 Jul. 1583 ætat. 33 Soc. 15.

Can-

(3) Rudolphi Comites, nempè Alphonſus Paceccus Hiſpanus, qui, lanceâ in pectore percuſſus, Chriſte, ait, lanceâ pro me vulnerate per hæc ego te vulnera obteſtor, ut ſcelus hoc miſeris hiſce condones, alioſque tuæ legis Doctores elargiaris. P. Petrus Berna Italus, cui, oculo priùs effoſſo, caput Barbari amputarunt. Antonius Franciſcus, & Franciſcus Aranea Luſitani ibidem pariter vulneribus confecti. Hos in Martyrum numerum brevi referendos, ut ſperemus, facit Eminentiſſimi Aquavivæ auctoritas, Clementis XI. benignitas.

(4) Viſtula, Fluvius magnus, & extremus Germaniæ, illam à Sarmatiâ ad ortum ſeparans, ex Sileſiæ, & Moraviæ confinio oriens, in Mare Balticum ſe exonerat.

(5) Beati Stanislai Kolka Vitæ Innocentia, & vehemens in Deum amor deſcribitur.

(6) Conſalvus Sylveria Luſitanus a Cafris proge Monomotapam orthodoxæ Fidei odio interfectus anno 1574, 25 Mai,

Digitized by Google

Candorem Fidei: ſacris luſtrabitur undis
Gens, quæ ſumma tenet præcelſæ culmina Lunæ;
Et quæ multa jacet ſurgentis conſcia Nili,
Olli ſanguis erit merces, pretiumque laboris.
Proximus hinc ſequitur (1) Mendes, hinc (2) Caſtrius: ille
Crudeli cadet enſe, humili Piſcaridis orâ:
Hunc inter ſcopulos, & procurrentia ſaxa
Demiſiſſe neci, & Nereo immerſiſſe furente;
Maurus inexcitâ gaudebit Barbarus irâ.
Hic (3) Landinus erit: Cyrnæas gutture Taxos
Proque Fide, & ſacris guſtabit. At aſpice, ut illis
Plurimus ardeſcat ſuccenſis ignibus æther;
Et nova lux oculis ſe ſe offerat: emicat Argo (4)
Delectos Heroas, & Agmina grata Tonanti,
Quæ vehet; & terris ſuperas tranſmittet in oras.
Inter Atlantæos, Fortunatoſque receſſus,
Fortunata Manus: ſtrictis (5) quæ pectora telis
Objectas, gladio fauces, & colla ſecuri:
Jam nunc rubra Thetis, jam ſanguine purpurat Atlas.
Virgineæ ille latens ſub Imaginis Ægide turmas
Primus agit; defert & qui labara inclyta primus
Felix Typhis (6) erit: genitorem nomine reddet
Dictus Aſavedus cognomine, & Agmina cœli,
Et victor referet capitolia ad alta triumphos.
Proximus (7) Edmundus ſequitur, claruſque Boëmus,
Garnettuſque, aliique Duces, quos ordine longo
Reſpicis; Hos falſa ſub proditione Britanni
Inſontes, ficto indicio, ſub judice iniquo
Supplicio immites rapient, & pectora findent,
Ut cor adhuc vivum, & ferventia viſcera nudent.
O' pudor! ò ſcelus! Europææ infamia gentis!
Non Indus ſtrages, non tot cumulabit Japon;
Quot modò Romano diviſus ab orbe Britannus.
Sed quæ cauſa mali? Tanti quis funeris Author?
(8) Fœmina, cæcus amor, regnique accenſa cupido.

Hen

(1) Ludovicus Mendes Luſitanus in ora Piſcariæ a Mauris in cervice, ac in femore vulneratus victor obiit.

(2) Alphonſus de Caſtro Luſitanus in Molucis a Mahometanis acerbiſſimâ, an. 1558. morte peréptus, ejus cadaver ex litore in mare decurbatum, tertio die in eodem litore repertum eſt, miro fulgore nitens, ac vulneribus ſanguine recente manantibus.

(3) Silveſter Landinus ad Corſos miſſus, ut eos moribus bonis informaret, laborum præmium veneno extinctus tandem eſt conſequutus.

(4) Argo, Navis qua Jaſon cum 54 heroibus migravit in Colchum ad aureum vellus auferendum. Fabulâ ad rem ipsâ converſâ pro navi ponitur, qua vectus eſt Azevedus.

(5) Pater Ignatius Azevedus Luſitanus à Piratis hæreticis, dum Brafiliam ad Chriſti Fidem diſſeminandam, cum 39 Societatis Heroibus peteret, à Piratis hæreticis in Deiparæ Imagine complexu conculcatus, capite ſaucio, lanceis confoſſus proicitur in mari ad Palmam, quæ una eſt Canariarum ſeu Fortunatarum Inſularum.

(6) Pater Edmundus Campianus Anglus, vir magno ingenio, clara virtute, eximiâ conſtantiâ in odium orthodoxæ fidei Londini furca appenſus, & mox in quatuor partes ſectus fuit. Dec. emb. 1581 ætatis ſuæ 41 Soc. 8.

(7) Pater Henricus Garnetus Anglus, Londini damnatus eſt capitis, quòd ſecretum in confeſſione auditum non revelaſſet, quòd Sacerdos, quòd Jeſuita eſſet. In ſpica Garneti ſanguine aſperſa, conſpecta eſt effigies ejus vultum examuſſim referens.

(8) Tot in Anglia malorum Origo, Henrici vaſ, ob inſanam Annæ Bolenæ amorem deteſtabilis Apoſtaſia.

Heu cadet in quemquam tantum scelus? Heupia findent
Viscera natorum; atque evertent sacra Britanni?
Hæc tunc Saberides lacrymans; sed parcere fletu
Ille jubet: nam tempus erit, cum antiqua reviset
Relligio has oras, Pietas, pax alma, Fidesque;
Et venient iterum Romana ad signa Britanni.
Lojolidùm labor hic, nostræque opera indiga dextræ.
Ordine dein reliquos venientes indice signat.
Qui fulgent (1) Gaspar, claroque nitore Joannes (2)
Æthyopas prior, at lustrabit Japonas alter.
Ille senex placido venerabilis ore recisum
Proditione caput mox Georgius inferet astris,
Heroum Soboles hic (3) Mutius: Agminis olim
Ductor erit nostri, quique ad Garamantas, & Indos
Ammeriemque manus mittet, domitamque Zipangryn
Alter ovans moderator adest, quem prospicis, ille est
(4) Carafidum de stirpe satus, cui fama superstes,
Et virtus summos Divûm decernet honores.
Hunc (5) Gatta insequitur, præclarum & Sydus Juli
Olli dilecti nimium! Sed nunc quis ab illâ
Luce micat? Nosco vultus, insignia nosco.
Hic (6) vir hic est, cui se latis Brasilia campis
Subdet, & Anchietæ clarum cognomen habebit,
Cui mare, cui tellus, cui totus serviet æther.
Ægypti Domitor non tot spectacula rerum
Edidit armatus radio, nec Lysius Heros,
Nec tot Grajus apex, portenta quot edet Joseph.
Aspice ut elati ponant sua murmura fluctus;
Ut siccum mare sternat iter; stat pensilis unda
(Mirum) hinc, atque hinc, & pateat via tuta per undas.
Ille vocat volucres; veniunt ad jussa vocatæ
Remigio alarum; & pennis umbracula texunt.
Illius imperio rediviva cadavera saxis
Æthereas iterum consurgunt lucis in auras;
Atque vices rerum subeunt, & luminis haustus
Admirante Polo. Solus dum nocte quiescit,
Pantheræ excubias exercent litore fidas.
Me Mendoza (7) vocas: hic victor littore eodem

Am-

(1) Gaspar Pacs Lusitanus zelo animarum, flagrantissimus in Æthiopia lanceis confossus obiit 27 Ap. 1634 ætatis 42 Soc. 18. Joannes Marc. Adamus Italus in Japoniâ profectus est. ibi labores gravissimos, Animarum causa, perpessus, extremos quinq: vitæ dies Nagasuchi, in tormento japonico egit, de furcâ, in fossam suspensus è pedibus, & 22 Octob. anno 1635 agonis gloriam consumavit.

(2) Georgius Garvalhal Lusitanus in Hizuki Japoniæ Insula, Regnoq: Bungens, fidei propagandæ operam insignissimè navavit. Veneno à barbaris porrecto, interiit.

(3) Pater Mutius Vitelleschi ex. Societatis universæ Moderator in dilatanda per diversas orbis partes catholica fide solertissimus.

(4) Pater Vincentius Carrafa genere clarus, omni virtutum genere clarior, egregius Societatis universæ VIII Moderator.

(5) Evangelista de Gattis, & Iulius Manginelli Itali sanctimonia, & Animarum zelo insignes.

(6) Joseph Anchieta Brasilensis Apostolus, qua vitæ sanctimoniâ, qua patratis miraculis Mosi, D. Antonio Patavino, D. Gregorio Taumaturgo omnium suffragio comparatus.

(7) P. Christophorus Mendoza Hispanus zelo animarum flagrantissimus, plures in Paraquaria Coloniis distribuit, plurimis ad Christi fidem adductis, donec a veneficis celebris magi jussu, in eum irruentibus, sagittis confossus est 25 Aprilis 1635, ætat. 46, Soc. 19.

Digitized by Google

Ammeriæ; ſuperùm meritos æquabis honores:
(1) Illæ autem, quas luce pari fulgeſcere cernis
Concordes Animæ nunc, & cum luce fruentur,
Excipiet paribus quas & concentibus Axis
Prima trophæa Ducum, de Chryſe, & gente ſuperba
Primitiæ; quas Roma ſacra conſcribet Olympo.,
Lecta Manus Loyolæ, & ſunt Loyolides illi:
Ille Jacobus erit ſenior, juveniſque Joannes
Ille; ſed hic Pauli capiet ſibi nomen, & omen
Non impar cæptis; qui ſtipite fixus ab alto,
Et tonat eloquio, & divinis pectora dictis
Incendit; ſacriſque ardoribus omnia replet.
Ite hilares, veſtræque auris date prodiga vitæ
Pectora; tempus erit, cùm veſtri fama triumphi
Ultra Indum, Gangemque, ſinuſque rubentis Erythræ,
Heſperiam veniet; quoſque auſa laceſſere Virtus
Romula non fuit; hos eadem dignabitur Aris;
Thura dabit ſupplex, & vos in vota vocabit.
Tu, (2) per aquas Rubine & tu (3) Lodoice per ignes,
(Si qua fuat, maculam detergat ut unda, vel ignis.)
(4) Albertus, (5) Thomaſque ſimul, lepiduſque (6) Doniſis
Ingenuis puer (7) Ota genis; & flore juventæ
Collucens (8) Didacus, patrium venietis in Axem:
Sed tu fronte nitens, qua morte (9) Capycius Hercs
Occumbes aditure Polos? Hunc lucis in auras
Parthenope magna de ſtirpe educet Avorum.
Illa Ducum genitrix quot mittet millia Eoo
Corpora lecta Virùm. Quantum ò nunc, India, debes
Parthenope! Quantum vos dites vellere Seres!
Quantum America! Libys! Tuque ò longinquus Japon!
Te modò ceca manet fumo ſcrobs obſita, & inter
Dura Heros tormenta volens fortiſſime, Vitam
Suffixus trunco, atque obverſo vertice, fundes:
Scilicet aſſurges ſuperos ſic victor in axes
Ut volat ex arcu, nervo impellente, ſagitta.
Hic eſt magnanimus Locrorum è gente Camillus, (10)
(Sed

(1) Tres Martyres noſtri Japones, Kangaſachi Cruci affixi 5 Febr. 1597.

(2) Antonius Rubinus Italus, martyrii amore flagrans Nangaſachium appulit ſtatimque captus Syphonibus ingenti aquæ vim primùm haurire, mox in prælo reddere coactus, tandem 19 Martii 1643 in Scrobe capite ſuſpenſus extinctus eſt.

(3) Ludovicus Cafucu Japon, in fidei, quam propagabat odium, Gocuræ lento igne extinctus fuit.

(4) Albertus Menſcinkius Polonus Antonii Rubini ſocius, tormenta atrocia ſeptem ipſos menſes perpeſſus, inverſo in foſſam capite pependit, coronamque adeptus eſt die 23.

(5) Thomas Acaſoxi ſimul cum Carolo Spinola flammis lentis exinctus fuit Nangaſachi 10 Sept. 1672.

[6] Dionyſius Camamono Japon Novitius, Nangaſachi in carcere conjectus, ibidem, quod enixè petebat, in Societatem admiſſus, Cocuræ tandem, lento igne crematus eſt.

[7] Auguſtinus Ota Japon, Societatis novitius, poſtridiè in odium fidei cedendus, nuncupatis in carcere ſocietatis votis, ſecuri percuſſus, migravit victor Ikanonimæ 10 Auguſti 1622.

[8] Pater Didacus Xuki in Japonico ſeminario educatus, Societatem ingreſſus, magnis pro re Catholica itineribus, magnis laboribus exantlatis, Februario menſe, Oracæ, triduo ſuſpendium in fovea perpeſſus ad cœlum evolavit.

[9] Antonius Capicius Neapolitanus inſignis omni virtutum genere Familiæ decora nobilitavit. Nangaſſachi in odium fidei capite truncatus obiit victor.

(10) Pater Camillus Coſtantius, Italus, nobili, loco natus apud Japones Tabitæ rogo additus, ad populum de Animæ immortalitate, ac de æternâ felicitate dixit egregiè. Incendio involutus orabat, & flamma tantiſper rareſcente, flexis in prunis genibus orare viſus eſt. Cum que jam flammis abſumereretur ſanctus, ſanctus, ſanctus quinquies cantare auditus fuit.

Digitized by Google

(Sed Syren aluit) Pœſtanis ille roſetis
Floridus aſſurget cœlo (1) Navarrus: uterque
Grata Deo mediis jam nunc olet hoſtia flammis.
Exprimet Aligeros virtute, & nomine (2) hic; illum
(3) Trinacris Ætna feret, Vulcanus aduret Japon.
Buttonto miſſus (4) Giannonius: ille Zipangros
Evehet in cœlum; victorem flamma ſed illum.
Quis te magne (5) Chiros; vel te generoſe (6) Paceche?
Quis magnam (7) Cauros animam, (8) Gomeſque relinquat?
Quis (9) Bellarminios faſces, ſacramq; tiaram,
Hæreſeos cladem horrendam, belloq; potentem
(10) Caniſium, forteſque Duces, qui cornua findent,
Nuper hyperboreos quæ ſurgens faucibus Orci
Invaſit Populos, maduitq; cruoribus Hydra.
Quis clarum fileat (11) Fabrum; dictiſq; potentem
(12) Colnaidem: radio verùm qui temperat aſtra
Clavius, aſtrigeras obſervans ſedulus arces:
Aſpice (13) Palliolam ſulcantem claſſibus æquor,
(14) Monteliumque ſimul comitem: vicina Veſevo
Nola jugo primum pariet; Rhegina ſecundum
Terra dabit. Quantum ò illis foret India felix,

Vi-

(1) Petrus Paulus Navarrus, anno 1584 in Indiam, indè in Japoniâ genetravit, ubi poſt ingentes pro fide labores flammis inditus lento cruciatu mortē ſubivit Ximabaræ 1 Novemb. 1622.

(2) P. Hieronymus de Angelis Siculus eâ in Urbe natus, quam Enniam majores, recētiores caſtrum Ioannis vulgò vocant, innumeras pro Religione ærumnas perpeſſus, lento igne exuſtus obiit 4. Decemb. 1625.

(3) Trinacria dicta eſt Sicilia à tribus Promontoriis, Peloro, Pachino, & Lilybæo.

(4) P. Iacobus Antonius Giannonius patriâ Bitontinus impetratâ ad Japoniam expeditione poſt innumeros pro fide labores, & vitamque in cavernis feræ more actam, in foveâ tandem ſuſpenſus optatum agonis præmium eſt conſequutus. Xamabaræ 21 Aug. 1635.

(5) P. Ludovicus Quiros Luſitanus 3 Februar. 1571 in Florida in odium fidei corde a perfido Neophito ſagitta tranſfixo occiſus eſt.

(6) P. Emanuel Pacechus Luſitanus unus ex ſociis P. Ignatii Azavedi ab Hæreticis in odium fidei in mare ad Palmam Inſulam Fortunatam projectus.

(7) P. Matthæus Cauros Luſitanus Indicam expeditionem, à moderatoribus impetravit, & ſudore magno excoluit; perpetuo quodam martyrij rudimento in ſylvis, & ubi latebræ dabantur, latuit, ut ſaluti animarum adeſſet; tandem ærumnis confectus 19 Octob. 1633 incruento martyrio vita ceſſit.

(8) Gabriel Gomez in Floridam à Divo Franciſco Borgia miſſus à Barbaris ſecuri conciſus fuit 8 Februarii 1571.

(9) P. Robertus Bellarminus, Politianus, Marcelli Summi Pontificis Nepos, S. R. E. Cardinalis ſanctimoniâ inſignis, & omnigenâ literaturâ uſque adeò præclarus, ut in edomandis tot hæreſeos monſtris, plus valuerit calamo, quàm roboreâ Hercules clavâ. Obiit Romæ.

(10) P. Petrus Caniſius Belga, theologus, toto orbe chriſtiano notiſſimus. Eccleſiæ per Helvetiam Apoſtolēs, Religionis Catholicæ Columna, Deiparæ, qua calamo, qua linguâ Defenſor celeberrimus. Obiit Friburgi.

(11) P. Petrus Faber, Allobrogenſis, primus ex Divi Ignatii ſociis, ac viva eiuſdem Imago, ingenio, doctrina, ac dicendi vi præſtantiſſimus, Principibus apprimè charus, Divo Franciſco Saleſio, chariſſimus.

(12) Chriſtophorus Clavius, Germanus, patriâ Bambergenſis, ingenio ad omnem diſciplinam exculto, fulgentiſſimum præſertim Mathematicorum decus, & ornamentum, plenus meritis obiit Romæ.

(13) P. Franciſcus Palliola Nolanus, in Occidentalem Indiam profectus in Inſulâ Mindanao in odium fidei lanceâ confixus aliiſque truculentæ mortis inſtrumentis diù exagitatus cœlo tandem eſt redditus 14 Ian. 1648.

(14) P. Ioannes Montellius Rhegii in Calabriâ natus, anno 1631 Societatem ingreſſus, expeditione in Indiam impetratâ in Philippinas pervenit, ubi, in ipſo laborum ingreſſu præmium æternitatis cæſus obtinuit annos natus 24.

Digitized by Google

Victima ni primo mactetur litore uterque,
Eoo appellent; verùm esse negabitur ultrà
Sat vovisse Deo vitam, exhaustosque labores.
Quis procul ille, autem non nostrà in veste Sacerdos,
Cui manibus fulget radius, cui circinus aureus
Astra notans? Nosco crines, prolixaque menta,
Et radium, quercumque, insignia; Riccius (1) ille est
Aggere qui rupto, Serum penetrabit ad Urbes.
Missus in Imperium magnum quem deindè sequetur
Magnus Alexander (2) qui, victo Jápone, mittet (3)
Alta triumphatos Romæ ad capitolia Reges.
Heroum genitrix, & claris sueta triumphis
Hunc Capua Eoo mittet; conetur ut ille
Egregiis Patriæ famam protendere factis.
(4) Cinnamus optatos ibis bellator ad Indos:
Nec Capuam tantum misisse Heroa pudebit.
Nomine (5) Samblasium dabit hunc Consentia, quantum
Samblasio Seres debebitis! iste triumphos
Mœnia Romuleos extendet ad usque Pechini.
Sed geminas hùc flecte acies, magnam aspice Turbam;
Claraque signa Ducum, bellatricesque phalanges;
Turma novi domitrix mundi. Jacet æquora præter,
Atlantisque vias nobis jam pervia Tellus,
Europâ quamquam Nereo discepta refuso,
Tot sæclis ignota fuit; victricibus armis
Hanc Lojolææ tibi subdent, Roma, catervæ:
(6) Aspice ut Europà Socios volat ante Ruisus
Regnaque percurrit Perues aurata triumphans
(7) Correa Carigios debellat, (8) Sosa latinis
Legibus informat Paragas, at (9) Carpius oras

(1) P. Matthæus Riccius, Italus, patriâ Macaratensis, sanctimoniâ insignis, doctrinâ, & linguarum peritiâ conspicuus, impetratâ summis precibus expeditione ad Indos, primus in Sinarum Imperium Christi fidem invexit, ibique obiit.

(2) P. Alexander Valignanus natione Italus patriâ Theatinus, Animi præstâtia ætatis suæ facilè princeps Indiæ ac toto Japoniæ universæ visitator generalis, Provinciam demandatam, prudentiâ propè divina exornavit

(3) Alludit Vates ad trium Japonicorum Principum Oratores, Alexandri operâ, Romam ad Gregorium XIII. missos.

(4) P. Leonardus Cinnamus Capuanus, promptus ingenio, eloquentiâ egregiè cultus. Divi Severii insistens vestigiis, per omnia charitatis opera in Indiâ orientali zelator Apostolicus.

[5] P. Franciscus Samblasius Italus patriâ Consentinus, nobili domo natus, indicam expeditionem sortitus, post ingentia vitæ, mortisque pericula Sinas penetravit, ubi ad Christianam rem benè gerendam, multum laboris contulit.

[6] P. Bernardus Reus, natione Hispanus, impiger Christi miles, ab Idololatris saxo corde, eo hisque confixus, victor ad coronam evolavit 16 Julii 1634.

(7) Petrus Corea Lusitanus, claros natales clariori Animarum zelo nobilitavit: à Brasiliis Nostor Eloquentiæ appellatus. Homines Epulis thyestæis destinatos etiam baptizabat, aquâ è strophiolo expressâ. Apud [1] Carigios quinquennio pro fide propaganda operam strenuè navavit. Tandem a barbaris 14 Decembris 1554 sagittis confossus, Christianis cum lugentibus, & unicum veritatis interpretem, omniumque Patrem dolenter clamantibus obiit.

[1] Charigii, populi Americæ septentrionalis, qui alias occupabant omnes Insulas Antillas in oceano Boreali sitas.

[8] Ioannes Sosa Correæ socius ibidem. Eadem die eodemque mortis genere pro fide victor occubuit.

(9) P. Ioannes Carpius Hispanus in Philippinis (10) magnoperè laboravit apud Pictos, illorum saluti consulens, tandem acinace altè in caput impresso Fidei victima cecidit Ogmundi 3. Dec. 1634. (10) Philippinæ, Insulæ A siæ à Philippo II. Hispaniarum Rege sic dictæ; quæque in oceano Eoo inter Sinas ad Boream, & Moluccas Insulas ad meridiem.

Inde Philippinas populatur; cerne feroces
(1) Basilo edomitos Papigochos, cerne quot olim
Tepeguana Polo secum feret agmina ductor
(2) Santarenus agens hilares ad sidera turmas,
Aspice parte aliâ, armigeras ad bella cohortes.
Ipse Ignatiadas, ut (3) Spinula ductet Eoo,
Perque vices rerum, per tot discrimina ponti,
Erroresque viæ, penetrat jam Victor Japon
Agmine delecto, medios projectus in ignes;
Ceu Phœnix, proprio surgit de funere victor.
Et dubitamus adhuc similes agitare triumphos?
Aut Ignatiadas propellat Japone terror?
Saberides verò extremum namq; ire videbat
Præclarum specie juvenem, & fulgore coruscum,
Sed non tota viro exundabat gratia vultu.
(4) Quis, Dive, ille Duces, qui nunc sectatur euntes?
Anne Ignatiadum de stirpe? Quis emicat ore
Insolitus fulgor? Quantis splendoribus ille
Enitet? atque comis fax circumfusa coruscat.
Et nulli circùm comites, non alta Polorum
Ille triumphatas trahit ad capitolia gentes.
Tum sic ille, parum lætus, dat verba petenti:
Ne Sabere acrem populorum quære dolorem:
Orbe suo tantùm spectabunt Japones illum;
Esse ultra superi, concordi mente, negabunt.
O nimiùm felix, ò fortunatus Japon,
Dona tuo si tanta solo hæc propiora fuissent!
Ipse quidem Cœlo venies, juvenemque jacentem
Eripies fato (5), & rutilo donabis Eoo.
Auspice te, rediviva suo tunc plaudat alumno
Parthenope & lacrimis humentia lumina tergat
Atque acceptа tibi referens hæc dona, quotannis
Ante tuas aras sacris operetur opimis.
Hinc quanti plausus, & festo murmure quanta
Lætitia assurget; spes quanta effulget ab illo.

Nec

(1) P. Iacobus Antonius Basile natione Appulus, patriâ Barensis, puditiæ laude præcæteris insignis emicuit, impetratâ novæ Hispaniæ missione, ibi, anno 1642. appulit: Mexicanum Archiepiscoparum felici eloquentiâ, industriâ, apostolicis sudoribus decennio irrigavit, excoluit. Ab ethnicis, in odium fidei apud Papigochos trajectus occubuit.

Mexicum est totius Americæ septentrionalis Urbs amplissima, novæ Hispaniæ caput sedes Proregis, & Archiepiscopalis constituta à Paulo III. Pontifice Max.

(2) Ferdinandus Santarenus Hispanus Virginitatis, ac sanctimoniæ laude illustris, Animarum zelo illustrior: in India occidentali supra 40. nova templa erexit; & ut minimùm, quinquaginta millia capitum sua manu baptizavit. Finis

erumnarum reperit in morte, quam anno 1626. Tepeguani, odio fidei, intulere; clavâ capite confracto cerebroque dispersо.

[3] P. Carolus Spinola Italus, clarissimo genere natus clarior exiuit plurimis laboribus, exantlatis pro fide, & animarum salute: Nangasachi 10. Septembr. 1622. lento igne, cum sociis ex nostris, exustus obiit.

[4] P. Marcellus Franciscus Mastrillus, ex S. Galli Marchionibus, Societatem ingressus, Divo Xaverio in virtutum studio, velut prototypo, impiger utebatur: Roque dictante, votum emisit de fide apud Indos propagandâ; & fuso etiam sanguine confirmandâ. Vix Japoniam ingressus post septimum infusionis aquæ tormentum, & quatriduanæ in scrobe suspensionis supplicium, capite demum, tertio ictu truncatus, victor è vita migravit. Nangasachi, 17. Octobr. 1637.

(5) Luxit Vates insigne Divi Francisci miraculum, quo Marcellus mortuo ictu capite lethaliter vulnerato, illicò convaluit.

Nec loyolea quiſquam de gente futurus
In tantum ſpe tollet avos; nec regia quondam
Ullo ſe tantum nato Campania jactet.
Heu Pietas; heu chara Fides; & fortia Fratrum
Pectora! Quot populi furias, iraſque Tyranni
Fregiſſet? Quotque ille Poli ſuper aſtra locaſſet?
Sed nunc ſume animos; rubeat gena concolor oſtro,
Tu Marcellus eris. Manibus date lilia plenis: (1)
Purpureæ ſpargantur opes: quem prodigus ultro
Effundes, ſanguis tandem poſt ſæcula ſera
Germinet; & palmæ ſurgent, clarique triumphi;
Quoſque nequis terris, i, debellabis ab Aſtris.
Hinc longè venientem alium monſtrare parabat
Hoſiades; vetuit Thomas, ac talibus infit:
Hùc ſatis uſque gradus duxiſſe ſit, inclite, & ipſos
Uſque adeo luſtraſſe Polos; jam ſurgit ab undis
Purpureus Titan. Satis hæc potuiſſe videre.
Quæ viſenda forent, & ſunt potiora, videbis
Cum victor patrios iterum remeabis ad axes.
Sunt geminæ cœlo portæ, quarum una cadentis;
Altera ſurgentis ſpectat cunabula Phœbi,
Hâc datur egregiis heroibus ire; ſed illâc
Reddantur terris iterum ſuper aſtra futuri.
Hùc ubi delati Thomas, Saberus, & unà
Hoſiades, ægrè amplexu velluntur: ab Axe
Occiduà celerans portà Saberus in Orbem
Se tulit, aligerùm vectus per inania pennis,
Et tumulo tandem ſacratæ ſiſtitur ædis.

(1) Hæc Poetarum more Auctor cõmentus eſt neque in Beatorum numerum quos nominat adſcribit. Etenim ſolemnes hujuſmodi fictiones apud Poetas ſunt. Neq; poeticis his fictionib. fragitur Urbani VIII. S.P. Decretum, anno 1631. hac de re editum, à quo, Parthenium, in omni ſua ſcriptione dirigi voluiſſe, iure merito præſumendum eſt.

SABERIDOS LIBER IX.

Argumentum.

Dum prece votiva Didymi Saberus ad Urnam
Fecisset, Lemures obsesso è corpore pellit
Bella movent Furiæ, ac celeres Phlegetonte relicto
Templa catervatim Didymi petiere quot unquam
Tenariæ inferno bacchantur Erynnies Orcò.
Iniecere manus Divo, crebrisque flagellis
Verbera, & insanis geminarunt ictibus ictus
Virgineam Saberus opem deposcit, & atræ
Omine Virgineo Furiæ pelluntur ab Æde.
Deindè iter aggreditur, Chrysæa ad Regna; reliquit
(Dum radio Typhis cunctum describeret Orbem)
Taprobanem, pelagusque secat, fasto omine Loum.

OCeanum intereà strictis Aurora lupatis
Liquerat; & roseum suffuderat ore ruborem:
Cum templi aspiciens postes splendescere ahënos
Saberus, sparsamque atmis fulgoribus ædem
Sentit; & elato Solem temone jugales
Urgere, & cœli ad capitolia vertere currus.
Atque adeò tota raptum per sydera nocte
Æthereas spectasse domos, totamque futuram
Fatorum seriem, fortunatosque suorum
Novisse eventus, palmasque ex hoste ferendas.
Hinc Didymi antè aras sacris operatus opimis
Luce subexortâ, dulces gustavit Aristas,
Libavitque sacros calyces, penitusque medullis
Insedit sapor Ambrosiæ, nectarque beatum.
Iacidum regis cytharam componit, & indè
Temperat ad numerum Chordas, & carmina dicit.
Ille canit; numeris tendunt pia verba canoris

In

In cœlum; ſuperi reſponſant æthere colles;
Et feſto aſſurgunt ſacræ modulamine valles,
Carmina cantabat filis poſtrema ſonoris,
Cum magnus mediis, inopino turbine, templi
Poſtibus excitur clamor; varioque tumultu
Circumfuſa ruit triviis gens inſcia rerum.
Non ſecus ac vili, ſi quando, è plebe coorta
Seditio caput extulit; & ſimul omnia vulgi
Miſcentur ſtrepitu; varius ferit æthera rumor:
Credula gens, novitatis amans, hùc fertur, & illùc;
Quòve globus major, rapitur, clamatque, ſtrepitque
Per vicos, denſumque forum, totamque per Urbem
Excurſat, cauſas poſcens, & ſemina belli.
Jamque aderant templo turbæ, (1) primuſque præibat
Carbaſeis vinclis, ferroque, & compede vinctus
Ingenti cum mole Gyges, truculentior ipſis
Tigribus, & diros ſuperans feritate Leones.
Triſte ſupercilium, ſuccenſis naribus ignes
Sulphure commixto fumant, totoque furentis
Ore cruentato triſtis deſpumat Erinnys.
Fulgurat ex oculis ignis, micat auribus ignis;
Torva horret facies, horrent capita aſpera, centum
Dæmonas intus alit, qui viva incendia ſufflant,
Tormenti genus horrendum. Furit ille per urbem
Invitus; ſtygiam tolerare coactus Erynnim
Vivus adhuc; pœnaſque pati illacrymabilis Orci.
Saberum implorant populi, precibuſque fatigant
Auxilium præſtet miſero, Lemureſque rebelles
Arceat; & ſtygias cogat remeare ſub umbras.
Nam tu ſydereis armis, dextrâque potenti
(Non etenim ignaros tua nos latet inclyta virtus)
Servitio Manes premis, imperioque coerces.
At caſum aſpiciens Heros, populumque gementem
Flevit; & ipſe tulit præſens ſolamen Oriti;
(Hoc erat heu miſero nomen). Tunc ſtabat ad aras
Fortè liber, Vatum qui ſancta oracula condit:
Hunc rapit, hunc capiti ſupplex imponit Oritis,
Ritè vocans in vota Deum: vix crinibus hæret:
Extemplò circùm tremere omnia viſa, ſuoque
Hinc, atque hinc nutare ſinu; totoque moveri.
Viſa ſolo tellus, & ſternere mœnia motu.
Hinc tantus tellure fragor trepidante coortus;
Terrarum ut latè moles operoſa paveret.
At ſimul obſeſſo micuerunt vertice flammæ
Terrificæ, totuſque miſer circùm igne reluxit:

(1) Obſeſſus ab immundis ſpiritibus ad vivum deſcribitur,

Excu-

Excutitur vinclis, frendens malè ſanus Orites,
Tollitur, ac totus flammanti vertice ſupra eſt.
Hinc, ſtygii Manes retro dare terga coacti,
Infremuere omnes, latèque fragoribus Urbem
Terrent; atque omnem replent formidine gentem.
Continuò fugiunt turbæ, trepidæque pavore
In diverſa ruunt. Veluti cum cardine ab imo
Sicelis infremuit, ruptis compagibus, Ætna:
Vel cum ſuccenſis nimio fervore caminis,
Campanus rapidos eructat Vesbius ignes.
Extemplò quicumque colunt juga ſumma Veſevi;
Et quicumque imis habitant radicibus Ætnæ,
Præcipites fugiunt, celerique per avia curſu
Se rapiunt; additque metus calcaria plantis.
Sic illi: at ſolus ſtabat Saberius Heros
Intrepidus contra Lemures, vultuque ſevero
Torquebat miſeros, & ſacro carmine, tandem
Increpat; & nigris victor detruſit Avernis.
At velut incluſis tenebroſo carcere ventis,
Qui latè ingentes tollebant ad juga Olympi
Undoſi fluctus pelagi; varioque tumultu
Æquora miſcebant; ſubitò pacata reſidit
Oceani facies, mutâ conſternitur undâ
Nereus, & blandi ridet pellacia ponti.
Haud ſecus, expulſis obſeſſo è corpore Oritis
Manibus, atque imum Phlegethontis ad uſque repulſi,
Continuò ceſſere faces, atque horridus ore
Aſpectus, ceſſitque feræ inclementia formæ;
Pacata effulget facies, pacataque vultus
Lumina; & electro ſimiles movet aura capillos.
Ille autem ſupplex aris advolvitur, imo
Pectore perſolvens, iterato carmine, grates.
Facti Fama volat, totàque vagatur in Urbe:
Accurrunt ſubitò populi; pulſoque pavore
Templum intrant, hærentque oculis, dum lumina cernunt
Læta viri, roſeaſque genas, frontemque ſerenam.
Gratantur cuncti ſocio, immittuntque lacertos
Colla per, atq; humeros, & labris oſcula figunt.
Hinc hilares Divo plaudunt, & nomen ad aſtra
Laudibus extollunt ſummis; geminantque viciſſim
Victori Sygiùm laudes, & carmina dicunt.
At Dis tartareis incluſus faucibus orci
Aſpiciens toties Manes dare terga coactos,
Intumuit rabie, ſubitoque excanduit igne.
Ora rubent, totoque fluunt incendia vultu;

Non

Non tantas ructant Phlegræa cacumina flammas;
Evomit aut tantos ad ſydera Vesbius ignes
Quot tunc Plutonis micuere incendia vultu;
Accenſoque premens magnum ſub corde dolorem
Infremuit; pariterque cavæ infremuere cavernæ.
Palluit extemplò Phlegeton, curſumque retrorſum
Flexere attoniti fluctus; ſtetit ipſe refuſis
Cocytus lachrymis; totuſque obmutnit Orcus.
Ille autem quatiens atrà caligine ſeptum
Cornibus arrectis caput, intonat igneus ore:
Nam toties fuſum vano in conamine palmas
Saberidæ ceſſiſſe uni indignatus Avernum
Secum unà quæritur lacrymans, atque uritur irâ:
Ecquid reſtat adhuc? Plantas ni compede cinctus,
Colla catenatus; manibus poſt terga revinctus,
Unà Erebo fuſo, totoque Acheronte ſubacto,
In ſuperos rapiar, regno ſpoliatus avito,
In ſuperos rapiar victus? Populique petulci
Illudent capto: abjectæ ludibria gentis.
Dis erit? Ipſe trahar cœli ad capitolia victus?
Unus de ſtygiis, unus de Dite triumphet?
Unus ſceptra mihi rapiet Saberus? Avernum
Debellet? Furias laniet? Styga ſub juga mittet?
Haud equidem: faxo: lethes per flumina juro,
Ferreoſque Eumenidùm thalamos, noctemque tremendam,
Me manet iſte labor: mecum certare duello
Apparet. Aut ſuperis ſubdet me me ipſe ſubactum;
Aut ipſum ſtygias detrudam victor in umbras.
Dixerat: atque unam rapiens de gente cohortem,
Improbus erupit nigris de ſedibus Orci;
Et curſum arripuit rapidis velocior Euris.
Jamque ſerenato nemorum Latonia cuſtos
Æthere puniceis ibat ſubvecta quadrigis;
Ac medium cœli velox conſtenderat axem.
Cum neque per ſylvas, inter frondoſa cicadæ
Ore modos arduſta dabant; nec turtur ab ulmo
Vocalis gemit aëria; ſed nocte profundè,
Cætera carpebant dulces animalia ſomnos.
Interea Didymi ſupplex Saberus ad aras
Stabat; & æthereos Divùm meditatur amores;
Mens intenta Deo, ſomno meliore quieſcit.
Ecce autem ſubitò; rupto velut aggere ripæ,
Fuſa per herboſos exundant flumina campos
Stridore ingenti; vel ruptis nubibus imbres,
Fulmine commixto terris velut æthere ab alto

Fra-

Præcipitant; sic monstra ruunt vesana profundi
Augustum in templum; latèque fragoribus implent
Dentibus infrendent; strepitusque ad sydera tollunt
Terrificos; totusque fremit mugitibus aër,
Jamque faces inferre parant; jam vestibus ignes
Coniiciunt; & nigra flabris incendia suffiant;
Flagra rotare manu; rigidum vibrare flagellum.
In partes lacerare virum; disperdere in umbras.
Verùm nulla datur flammas vibrare potestas;
Non inferre manus; non flagra rotare catenis,
Vellere non unum permissum vertice crinem est.
Succrescit rabies, diris affectibus ipsi
Se se dilaniant; miseri, vexantque fremendo.
At Dis ante alios, veluti ico turbidus ira,
Cum septis fremit inclusus, nec tendere gressus
Ultrà posse datur, nec septa effringere diris
Unguibus, iratus nunc hùc, nunc vertitur illùc;
Si quem fortè adytum videat, quà liber apertum
In campum erumpens, contra ruat acrior hostem:
His agitur furiis Pluto; sed nulla potestas
Lædere Saberiden. Tamen horridus undique circùm
Centimanus surgit, caput inter nubila condens
Magnâ mole gygas, nunc vibrat lumina centum;
Argus (uti memorant) quondam fera lumina centum
Sparsa per & pectus, tergumque, armosque ferebat,
Nunc Sphingem simulat; variabilis ora Chymeræ
Induit; & centum in species, atque ora ferarum
Vertitur, & facies variat, vultusque vicissim,
Nunc surgit veluti sus horridus; aspera tigris
Nunc sævit; mugit veluti nunc taurus; & inde
Ut Draco squamosis horret post tergora cristis.
Non secus, ac Proteus (si vera ea fama vagatur)
Se centum in species, totidem vertebat in ora;
Ut si hostem nequeat superare, ac vincere, tantis
Territet ille minis, & fortia pectora frangat,
Vinci si nequeat, satis est formidine plecti.
Nec tamen hoc licuit: saxo stat firmior Heros;
Non pavet, aut furias Ditis formidat inanes:
Non timet, aut nutat; sed cœlo immobilis hæret:
Non secùs, ac Nereo cautes objecta furenti,
Quam contra insurgunt venti, flatuque potenti
Insultant coruscque, notusque, & creber Eois
Eurus equis; unàque simul furit Africus Austro;
Irrumpunt contra fluctus; ruit unda sonoris
Vorticibus: præceps surgit cum vortice vortex;

Et

Digitized by Google

Et fluctum insequitur fluctus, post murmura murmur;
Ac fragor allisu longè exhorrescit aquarum.
Ardua stat cautes, fundoque immobilis hæret;
Ventorum eludit furias, & Nerea frangit.
Haud aliter stygias Heros immotus ad iras
Stabat; non illum strepitus, atque ora ferarum;
Non Erebi fera monstra movent; sed fixa Tonanti
Mens hæret; namque ille feris stat firma procellis
Anchora, & ingentes ventorum temperat iras.
Cum tandem Omnipotens propiùs finit ire Cohortes
Tartareas, bellumque geri flammantibus armis;
Ut majora viro surgant præconia palmæ.
Haud mora: continuò, rupto ceu carcere venti,
Irruit immitis Pluto, cum gente nefanda:
Flagra manu torquent, vibrant immane flagellum;
Ictibus accelerant ictus; & verbera torquent
Flagrorum Heroem contra, strepitumque catenæ:
Insultant stygii manes. Ille arduus in se
Assurgit, totoque ciens de pectore vocem,
Reginam exorat superûm; da, Virgo, petenti
Auxilium da, namque potes; viden, ut ruat in me
Dira cohors? Stygio tandem data præda furori
Te, Virgo, spectante cadam? Vix talia fatus,
Cum subitò Lemures, vertentes terga sub orcum
Præcipites fugiunt, cæcisque abduntur in umbris.
Non secus, ac (1) Lipares si quando è vertice summo
Æolus iratos ventos revocarit in antra,
Protinus antra petunt, & Regis jussa facessunt,
Protinus & saxo venti conduntur opaco.
Ast, ubi monstra suis Acheron excepit in umbris;
Saberus victor Lemurûm projectus adorat
Divûm Reginam, sacrisque advoluitur aris:
Deindè triumphato felicius hoste trophæum
Erigit, exuviasque stygis cum carmine figit.
Reginæ superûm auspicio Saberus amico
Bella gerens, hæc de prostratis Manibus arma.
Indè parat tentare vias, cursuque secundo
Flectere ad Eoum, Chrysæa per æquora, puppes.
Tempus erat, superi postes quo pulsat olympi
Signiferi Princeps stellato in vellere fulgens.
Incipit ætherei Titan exordia cursus;
Et roseo nitet orbe dies, brumâque fugatâ,
Phosphorus ex undis felices exerit ortus.
Et, matutinus cum jam desudat Eous,
Alituum resonant modulis arbusta canoris;

(1) Insula ex Æoliis in æculo freto.

Parrhasis Ursa nives oblita excire, calentes
Purpureà effundit terris cum Gnossiide flammas.
Ipse nec armatus nimbis desævit Orion,
Nec gravidas superà demittit ab arce procellas:
Ira cadit venti; latè strata æquora rident;
Lucidus innubì se se undique luce serenat
Æther; & placidi ridet clementia cœli.
Saberus verò ventis dare vela secundis
Imperat; & placido propelli gurgite classem,
Ut tandem Stygios debellet; & usque rubentis
Inferat Auroræ in fines victricia signa.
Jam portum juvenes aderant; jamque aggere funem
Marmoreo rapiunt; jam ducitur anchora fundo.
Fortè videt portu notum Saberus amicum;
Illum spontè vocat: dein fœtus Numine mentem
Inquit, & æquoreos casus ex ordine pandit:
Coro vela dabis; Feliciter æquore cursus
Tentabis primos: medio sed gurgite Tethys
Indignata undas tollet Gangetica cœlo.
Atque hinc tempestas tumidis caput efferet undis,
Naufragium, mortemque trahens; vis improba clavum,
Et remos, & vela dabit ludibria ponto;
Vorticibus rapidis ibit peritura sine ulla
Spe puppis. Tunc ipse memor cape, quem tibi nexum
Do florum, quos læta Cohors per amœna Polorum,
Carpit virgineo dissectos pollice flores:
Dulce fove, & collo niveos suspende per armos;
Namque illo armatum tunc te sopor opprimet altus;
Nec de te immitis referet Libithyna triumphum.
I' nunc, & tutus Coro da vela vocanti.
Dixerat: adductis nautæ per transtra lacertis
Concertant pelago, & spumantibus æquora remis
Vasta secant; portusque procul, terræque recedunt.
Aspirant auræ præter vada fervida ponti;
Aufugiunt celeres festivo murmure puppes.
Ipse Gubernator clavum regit arte magistra,
Et petit Eoos Chrysæa per æquora fines
Inflectit, flectitque vias, prorasque volucri
Remigio errantes spumosis temperat undis:
Descendit, scanditque fretum: pede circinat æquo,
Ac labirynthæis erroribus æquora signat.
Stat media in puppi plano librata polito
Artifici constructa manu, sectoque elephanto,
Atque auro, & pura chrystallo (1) pixis eburna.
Intus adest volucris per partes vertier omnes

(1) Magneticæ Acus descriptio.

Arctoi

Arctoi lapidis cuspis fucata veneno
Contactu lapidis, dilectæ conjugis instar;
Nam duro furtim sociatur gemma metallo
Decolor; & duras jungit concordia mentes;
Oscula dum calybi libat furtiva, suumque
Infundit venis ignem, raptimque ministrat.
Diligat ut pariter flagrans, quæ diligit ipsa;
Saucius astra calybs, aspectu & temperet ignes;
Et semel Arctoum cuspis fucata venenum
Æternùm servat, calidasque in pectore flammas
Nutrit; & æthereo præcordia temperat igne:
Olli nulla quies, pax nulla, & nulla dolori,
Astrorum nisi conspectu, medicina paratur.
Cuncta nec astra valent flammas lenire calentes:
Parrhasis Ursa suo tantùm lenimen amori est.
Non secus Oebaliæ (fama est) sub turribus altis;
Pinguia quà dives fœcundat culta (1) Galesus,
Icta puella furit medios lymphata per agros
(2) Daunia, quam morsu crudeli (3) infecit Arachne,
Si quando biberit dirum malè cauta venenum;
Quo semel est infecta, diù conservat; & intus
Virus agit: furit illa flagrans, & corpore fervet:
Itque, reditque viam: saltu bacchatur, & olli
Nulla quies, pariat tandem ni musica pacem:
Sola medela mali miseræ symphonia discors.
Haud aliter tacitum servans sub pectore vulnus;
Jure maritali junxit quod gemma metallum
Nigra sibi, tactuque suos infudit amores;
Lymphato trepidat motu; furit irrequietùm
Hùc, illùc; rapidas furtim Magnessa ministrat
Gemma faces; trepidatque iterum, circùmque movetur,
Donec amata calybs spectavit Amalphycus astra.
Aspectat, nutritque suos malè sanus amores;
Astrorumque memor conspectu immobilis hæret;
Et dextram mundi partem rimatur acutà
Cuspide; qua cœlo fulget cynosura sereno;
Quàve Helice, & septem fulgentia sydera plaustri;
Attonitis circùm Proceres miracula saxi
Prospiciunt oculis. Idrographus arte peritus
Infernas sedes, superasque ostendit, & oras
Occiduas docet, & fines demonstrat Eoos,
Ventorumque notat vires, & nomina signat.
Hinc furit Arctoà Boreas de sede nivosus,
Hinc Notus adversà consurgit fronte, procellis
Horridus, & tumidos sustollit ad æthera fluctus;

(1) Galesus, magnus Græciæ fluvius, per agrum Tarentinum fluens, in illius sinum illabitur.

(2) Daunia à Dauno rege sic dicta. Vulgò Puglia piana, & Capitanata Provincia Regni Neapolitani; nullius, indiga, cùm omnia ad hominum usum tellus ferat.

(3) Vulgò Tarantula, cujus mira venena vis.

Eois hinc vectus equis ruit Eurus ab ortu;
Aſt illinc Zephyri ſpirat levis aura canori;
Hinc calidus ſufflat Uulturnus; Thracius illinc
Arduus, & vario replet nemora alta tumultu,
Africus hinc nimbis creber deſævit ab uſque
Collibus Æthyopum, & Mauris calefactus arenis.
Irruit, & nubes ſecum trahit: ingruit ille
Obſtricti mediis de faucibus Helleſponti.
Hinc aperit Mappas; magnà compendia, (1) Mundi
Arte laboratas; queis ſummis æmula rebus
Naturæ oſtentat ſe ſe ars, atque ardua ſemper
Arripere intendit propriis in viribus audax;
In quibus Oceani tractum, & maria omnia Mappis.
Cernere erat minio, & variis diſcreta figuris.
Stant pictæ aëriæ turres, vallataque muris
Mœnia, regnorum fines, latèque canoris
Saxa per, & ſcopulos, errantes fluctibus amnes;
Diſperſæ Ægæo (2) Cyclades (3) Symplegades, & quas
Oc anus toto complectitur æquore terras;
Naufragio infames ſcopuli, Syrteſque latentes;
Lucorumque etiam latebræ, monteſque nivales,
Et quæ ſublimes fugiunt in nubila Sylvæ:
Omnia, quæ quondam longa verſatus in arte,
Pinxerat Olletes, varioque colore notarat,
Auratum hinc ſumens radium, ſic ore profatur
Cernite qui dextrà pictus protenditur Orbis,
Terra vetus, Libyam, Europenque, Aſiamque figurat;
Qui verò ad lævas ſpectat, novus ille vocatur
Orbis, qui, tumidis circumfluus undique lymphis,
Jamdudum noſtris latuit diſſectus ab oris;
Inter Atlantæum ſe tendit, & inter Eoum
Ingentem Oceanum; geminoſque excurrit ad axes.
Hunc prior appetiit Ligurum de gente (4) Columbus,
Auſoniæ decus eximium, quem Fama ſuperſtes
Clara ſub Antipodas pernicibus intulit alis;
Ad Cælum victrix mox tentatura volatus.
Sed meliùs Tuſca veniens (5) Americus ab ora
Circuit; & mores populorum vidit, & urbes.
Illius hinc noſtri Ammeriam de nomine dicunt;
Facti haud immemores: Sed gloria tota Columbi eſt.
Sternere nam primum dumoſa ad culmina callem
Non tenuis labor, & tenuis non gloria ſurgit:
Monſtratam calcare viam, veſtigia prima
Exiguus labor: exiguo laus parva labori eſt.
Hunc meritò Typhim ſuperis adſcribere ſignis

(1) Totius Orbis deſcriptio.

(2) Inſulæ in Mytoo mari in circuitu Inſulæ Deì poſitæ, ut Andros Scyros Oliaros, & cæteræ.

(3) Sunt duo ſcopuli in mari Helleſpontiaco vulgò Gallipoli, inter quos eſt difficilis & periculoſa navigatio.

(4) Chriſtophorus Colùbus Genuenſis Americam primus detexit anno 1492.

(5) Veſpuccius Americus Florentinus à quo nomen Ammeria ſortita eſt 1497.

De-

Debuerant latii divino carmine Vates.
Hunc Ego (Si quod habent decus, & meæ carmina possunt;
Quippè nec ignoro Pymplæas scandere rupes,
Currentem & docto distinguere gnomone Phœbum)
Cùm primùm incolumis Campanas labar in oras,
Atque iterum reducem excipiet me patria Syren,
Pertæsum pelagi, celebrabo: & culmina Pindi
Phœbe colam, & novus ingrediar tua templa Sacerdos.
Sed nunc inceptum detecta per æquora cursum
Ocyùs, Eoo quàm nostræ gurgite puppes
Æratæ fugiant, animos revocate, sequamur.
Hæc est (1) Ammerice reliquis opulentior una;
Argento dives, fulvoque operosa metallo.
Aspicite ut passim subtermicat aurea gleba,
Plurima perque vias sternatur gemma relictas:
Hìc montes adamante rigent, hìc divite arenà
Rupibus ex altis fluvii voluuntur ad æquor.
Ille (videtis:) aquas plèno qui flumine, magno
Devehit Oceano, & se vasta per Ostia fundit
Hesperiis (2) Plata; at nobis argenteus amnis
Dicitur: ille autem, qui currit turbidus auro
(3) Amnis Amazonidum, quem circùm litore longo
Belligera (ut peribent) gentes moderatur (4) Amazon:
Hìc habitant magni (si vera est fama) gygantes;
Illinc accensas vomit ignea terra favillas;
Latèque incendit campos, & Nerea adurit.
Nostrorum sed regna patrum spectemus, & urbes
Antiquum terrarum Orbem, longèque patentem.
Hùc geminas torquete acies: quam cernitis ortu,
Fluctibus Ægæis, Ponto, & Mæotidè Lymphà;
Et Scythico claudi Tanai; sed Vesperis ora
Occiduo cingi Oceano, quem nomine dicunt
Æquor Atlantæum, pelagi discrimine parvo
Semota à Libyà, Heroum celeberrima mater
(5) Europe, cunctas mundi memorata per oras,
Inclyta terra virùm, tituliſque, opibusque superba;

(1) India occidentalis, ob magnitudinem alia novus orbis, est autem a septentrione in meridiem exporrecta, quarum ingentium peninsularum formâ, quæ tenui isthmo 17. leucarum cõnectuntur. Claditur ab occasu mari pacifico, ab oriente mari Boreali, & Æthiopico, & meridiè versus freto Magellanico, & freto Mereo.

(2) Fluvius quem Indigenæ Paraguay dicunt primum a Vespucio detectus, ann. 1501. & sequenti anno à Joanne Solis perlustratus qui illum à suo nomine Amnem Solis vocitavit: oceanum ingreditur tam violento impetu, ut ad 140. passuũ millia distat ostium, dulcescat oceanus.

To

[3] Ingens Americæ Meridionalis fluvius: oritur propè Quicum Regni Peruviæ Urbem, receptis in se aliis fluviis, post cursum 800. leucarum in mare septentrionale, seu del Nort se exonerat inter Brasiliam, & Guajanam regiones.

(4) Mulieres fuere bellicosæ, quæ ex Sarmatia a Tanai fluvio digressæ, in Cappadòcia ad Thermodoontem fluvium consedere: ibi mons Ammonius est, ex quo fluvius effluit Thermodoon: Dictæ sunt Amazones, quasi sine mamma, quam ut ad dimicandum expeditiores essent, præcidebant.

[5] Una ex tribus terræ partibus, minor est omnium sed præcipua, tum ob soli nobilitatem, tum ob incolarum frequentiam, & præclara facinora eorum qui eam hactenus tenuerunt. Incipit ab Hellesponto, & desinit in Atlanticum Fretum. Regna Europæ sunt Græcia, Tracia, Illyricum, Pannonia, Germania, Italia, Gallia, & Hispania cum Insulis vicinis.

Digitized by Google

Tot gravida imperiis, tot fæta potentibus armis;
Mole minor reliquis, sed maior robore regni,
Quod Gangetim ultrà, Tanaimque invexit, & Indum,
Bactra ultra, Thulemque; atque extremos Garamantas;
Et leges, cultusque dedit, divinaque jura.
Quam longè aspicitis latis excurrere campis
Atlantem versus de vertice Pyrenæo,
Hesperiam veteres dixere, Hispania, quæ nunc
Dicitur; Herculeæ parvo discrimine metæ
Illa fugit Libyen: olim (si credere dignum est)
Isthmus erat medius, qui stricto litus utrumque
Nectebat tractu; longèque arcebat Atlantis
Æquora Thirrenis è fluctibus; ipsaque Tethys
Virgineum servans thalamum se jungere nulli
Audebat; quamvis erithræum posceret æquor;
Et quamquam auriferis Atlantem posceret undis:
Litore ab occiduo venit tum pontus, & undis
Hesperium libyco latus abscidit; Oceanoque
[1] Maris Mediterranei cum Oceano coniunctio. Desponsata Tethys (1) tandem, sacroque cubili
Jure maritali tantum dignata maritum est.
Quid non tempus edax? Quid non labentia possunt
Sæcula? perpetuum nihil est, quod sydera norunt.
Orta novo nobis hinc sunt commercia mundo;
Et simul Eoo medium via strata per æquor.
Hæc Pyrenæo, quæ vertice currit ad ortum,
Lactea consurgunt ubi flavis Lilia Campis,
Gallia bellatrix: populique, urbesque togatæ.
Illa est Parisiûm præclara (2) Lutetia regum,
Francorum Sedes; vitreis (3) Aurelia dives,
Quam spumis mediam Lygeris secat; ille Garunna, (4)
[2] Dicitur vulgò Paris ad sequanam fluvium, Archiepiscopatu ornata à Gregorio XV. anno 1622. Galliæ caput, sedesque regia, & totius Europæ maxima. Ibi etiâ studiorum Universitas celeberrima à Carolo Magno instituta. Hic (5) Rhodanus, celebratus aquis, fata pinguia nutrit
Ille Araris; viden? ut latè per Celtica serpat
Rhenus, ab Alpinis veniens huc montibus, arva.
Qui latè per agros multis jam fluctibus auctus
Mergitur Oceano spatiosa per ostia currens.
Hæc olim raro sub cespite rura colebant
Custodes ovium: per sylvas, & nemus ibant,
Per campos impunè greges, & pascua læta:
At nunc tot gentes habitant, tot Pergama muris
Aëriis

(1) Galliæ Urbs pulcherrima, & probè culta in regione perferaci: Pridèm proprios habuit Reges: Ab Aurelianensi Puellâ, a qua ingenti clade affecti Britanni anno 1428. celeberrima.
[4] Fluvius perceleber Galliæ Celticę inter Bituriges, & Aquitaniam.
(5) Fluviorum, qui ex Pyræneo exeunt maximus, Celtas ab Aquitania separat; indè in occasum cursum dirigens, oceano infra Burdigalam excipitur.

Digitized by Google

Aëriis vallata vides: hinc agmina mille,
Mille duces victor trahit in fera prælia Mavors.
Quot strages (1) Batavi spargunt, & funera (2) Catti,
(3) Menapii (4) Taxandrique, indomitique (5) Sicambri?
Sed miseri pariter campo funduntur & ipsi:
Illa Britannorum, Gallorum, & divitis Istri,
Et geminæ Hesperiæ tumulus: Tot funera Troia
Non vidit, tanto maduit nec sanguine Xanthus.
Hinc se se in latos fundit Germania campos,
Armorum strepitu cunctas tonat illa per oras.
Cernite quot fortes collatis prælia signis
Committant acies hinc, illinc? Cæde recenti
Purpurat Albis aquis, auctusque cruoribus Ister
Devehat Euxino tot cæsa cadavera ponto.
Armigeri hìc Boii, hìc fulgentes Pannones armis,
Hos vada Danubii: ast illos Hercinia cingit,
(6) Trans juga, trans montes, quibus arduus invehit astris
Carpathus excelsum caput, atque in nubila tollit.
Cernite Sarmaticos tractus, gentemque potentem.
Hic Scythicus (7) Tanais, sunt hæ (8) Mæotides undæ;
Tartarus hic Præceps, & diri (9) Taurica sacri (10)
Inventrix; Asiam qui claudit (11) Bosphorus ille est.
Cimmerius, nigris obtectus nubibus aër,
Arva (12) Borysthenides habitant rorantia lymphis;
Belligeros spectate (13) Getas, diroque (14) Gelonos
(15) Dardanios, (16) Mysosque, atque indomitos Triballos. (17)
Quem nivibus tectum canis vos cernitis (18) Hæmus,
Odryssiæ toties madefactus sanguine gentis?

(1) Batavi populi Belgii, ubi nunc pars maxima Hollandiæ.

(2) Catti, Populi Germaniæ circa Hungaros, vel Herciniam Sylvam.

(3) Menapii item populi juxta Rhenum fluvium olim inter Gallos Belgas; nunc inter Germanos adnumerati vulgò ruliacenses appellantur.

[4] Taxandri populi fuere Galliæ Belgicæ, qui Cluverio teste, eas Insulas incolebant, quæ nunc Zelandiam Provinciam Belgii componunt inter Ostia Mosæ & Schaldis.

Hinc

(5) Germaniæ populi finitimi Menapiis ad utramque Rheni ripam: & esse Geldrenses putantur.
(6) Carpatus Mons Sarmatiæ miræ altitudinis Europam, Moraviam, Poloniam, Russiamque ab Hungaria, & Transylvania discindens.
(7) Tanais Fluvius Sarmatiæ Europeæ notissimus, illam ab Asia disterminans, magnâ aquarum vi auctus in Mæotidem palndem prope Urbem Tanaim, se exonerat.
[8] Mæotis, palus maxima Sarmatiæ, Ponti Euxini mater, vulgò mar della Tana, & Italis mar bianco.
(9) Taurica, Chersonesus, vulgò Tartaria minore, celebris tum propter soli ubertatem, tùm propter pistationes. Hæc olim sub variis fuit dominis, qui Principes Bosphorani appellabantur. Sed eam Maumetes II. Bizantio expugnato, suo subjecit imperio.
[10] Alludit ad Orestem, cujus notissima sive fabula, sive historia.
(11) Bosphorus, qui fretum cimmerium dicitur: vulgò stretto di Gaffa, Italis, Bocca di S. Giovanni. Estque angustia maris inter Tauricam Chersonesum in Europâ, & Sarmatiam in Asia.
[12] Borysthenides, populi, ostia Borysthenis incolentes.
(13) Getæ populi Daciæ in Scythiæ confinio qui Moldavi; hi enim Scythis magis propinquant.
(14) Geloni populi Missiæ inferioris Thraces inter & Getas, Neutris finitimi.
(15) Dardanii, populi Dardaniæ regiunculæ Asiæ, quę postea Samothracia dicta fuit.
(16) Mysi, populi Misiæ quæ regio Asiæ est: dividiturque in majorem, & minorem.
[17] Triballi populi Mysiæ inferioris.
(18) Hæmus, mons Thraciæ maximus illam à Mysiâ inferiori dividens adeò excelsus, ut ex ejus jugis utrumque mare Euxinum, & Hadriaticum conspiciatur.

Digitized by Google

Hinc orta in latos excurrit Græcia campos;
Hinc populis, armisque potens, opolentaque campis
(1) Illyris, & mollem in Zephyrum se flectit (2) Jader.
Hic ortus Macedo, invexit victricia signa
Ultrà Gangaridas gemmata cubilia Solis.
Has fortes olim (3) Dolopes coluere; sed illas
Albani tenuere plagas. Epiros equarum
Hic palmas alit (4) Eliadum; quà vertice longo,
Cingunt Sydereis disiecta (5) Ceraunia flammis:
Quæ verò Jonio respondet gurgite tellus
(6) Phæacùm aëriæ turres, atque ardua saxis
(7) Neritos illa (8) Same; fuit hæc nemorosa Zacynthus. (9)
Cernite nunc scopulos, Laertia regna rigentes,
Hinc vitreos mittit fluctus (1) Achelous in æquor,
Cui fregit geminis olim de cornibus unum
(11) Alcides. Verum felicius Austria proles
Hic gemina Odrysiæ fregit fera cornua Lunæ.
Hæc (12) Pelopis tellus, multis quondam inclyta regnis
Urbibus innumeris (13) Spartàque (14) Argisque Mycænisq; (15)
Hæc (16) Malea, & contra respondet (17) Gnossia tellus,
Quæ centum vidit firmis clara oppida muris.
Cernite (18) Carpathium pelagus, sparsasque per æquor
(19) Ægæum Cycladas, crebris freta consita terris;

Et

(1) Illyris, & Illyricum regio ampla Europę, mari Hadriatico ad meridiem exposita à septentrione Pannoniæ confinia vulgò Schiavonia.

(2) Jader, Urbs est Illyrici, Liburnię caput, & permunita, undique mari circumdata vulgò Zara.

(3) Dolopes populi Thessaliæ in Epiri confinio, quorum regio Dolopia.

(4) Elis regio est Peloponesi inter Arcadiam, & Achajam, qui nunc Belvedere dicitur.
(5) Ceraunii montes, sic dicti, quòd sæpè fulmine percellantur, juga sunt Epiri, quæ 30. milliaria Corcyrà distant.
(6) Phęacia, eadem est ac Corcyra, insula notissima vulgò Corfù cum portu ampliissimo, & munitissima Arce.
[7] Neritos: mons Ithacæ Insulæ, & Melæ, Urbs Ieucadis,
(8) Same, Insula maris Jonii, una Enchinadum Dulichio proxima.
(9) Zacynthus, vulgò Zanto, Insula, cum Urbe Episcopali maris Jonii.
(10) Achelous, fluvius Græciæ, qui oritur in monte Pindo, & Ætholiam ab Acarnania dividens tandem in Maliacum mare descendit.
(11) Alludit Vates ad navale triumphum ab Austriacis relatum.
(12) Pelopis, Insula parva, seu scopulus Argię Peloponnesi, antè Methana oppidum,
(13) Sparta, vel Spartę, nobilis Urbs Laconiæ alio nomine Lacedæmon, Indè Spartani, & Spartiata gentile nomen.
(14) Argos vetus, & nobilis urbs Achaję: indè Argivus, Argus, Argolicus.
(15) Mycenæ, oppidum Peloponesi in Argiâ regione inter Chorinthum, & Argos.
(16) Malea Promontorium, nunc capo malio di Sant'Angelo, teste Brietio.
(17) Gnossia tellus. Urbs Cretæ, quondam primatia, & regia apud Idam montem. Hinc Gnosius nomen gentis.
[18] Carpathium pelagus dictum à Carpatho Insula inter Cretam, & Rhodum, quod Telmessum usque extenditur.
[19] Ægæum mare est propè Græciam amplum, multis refertum Insulis, dictum ab Ægę scopulo inter Tenedum, & Chium.

Digitized by Google

Et mare Myrtoum, & præclaræ mænia Deli,
Andros, Amorgoſque, & claris Eubœa Colonis;
Atque hæc eſt celebris memoratis (1) Attica ludis.
Hic liquidis (2) Cephiſus aquis, (3) Sperchius & amnis,
Pelius, atque (4) Oſſa, & ſat famâ notus (5) Olympus.
Pompejoque nimis gravis hæc (6) Pharſalia (7) Magno eſt.
(8) Thracia, belligero quondam regnata Lycurgo
Quæ ſequitur, (9) Rhodopeſque jugum, monteſque nivales,
Biſtonii, Thraceſque feri, pictique (10) Agathyrſi,
Hos coluere finus; ſed nunc gens Turcica terram
Incolit: & regno dat jura ſuperba Tyrannus:
Hic (11) Scythicâ de gente ſatus ſub rebus egenis
Chami miles erat, fugiens dein Tartara regna;
Prædo per Armenias cœpit dominarier oras;
Cappadocas, Miſoſque feros, Pontumque ſubegit.
Diſſidio crevit Græcorum, & Thracia regna
Aggreſſus tandem, Seſtum devicit; & indè
Æmathias vaſtare domos, & Achaïa rura,
Ac Macedùm cœpit bello ſubmittere regna,
Biſtonas, Europenque, & (12) Mœnia Conſtantini.
Heu malè concordes animæ! Vos viſcera veſtra
Ceſſiſtis Scythico, Scelus ò, laceranda Tyranno.
Quid non (ah pereat ſævi diſcordia Martis,)
Quid non longa terit diſcordia, quodue caducum
Imperium ſteterit: quod non Concordia firmet?
Longum diſſidium Latioſque, atque inter Achæos
Me miſerum: lacerata Fides, diſſectaque ſacra
Hos caſus meruere: gravis non flamma Gradivi
Tot Danaùm combuſſit opes; ſed (13) Numina læſa
Flaminis æterni, quem tunc à Patre negabant,
Ac Genito afflari. O' cæcæ caligine mentes!

(1) Attica eſt regio Græciæ inter Achajam, & Macedoniam ſita, in qua fuere Athenæ.

(2) Cephiſus fluvius in Phocide præterfluens oppidum Delphos, de quo Lucanus, Factidicâ Cephiſus aquâ.

(3) Spercheius fluvius Theſſaliæ in monte Pelio ortus.

(4) Oſſa mons item Theſſaliæ, ubi Centauri morabantur.

[5] Olympus quatuplex, alius, mons altiſſimus Græciæ inter Theſſaliam, & Macedoniam, qui nubes traſcendit, eſt & alius in Gallo græcia, alius in Myſiâ, alius in Æthiopia ad mare rubrum.
(6) Pharſalia, Pharſum, Farſa, Urbs Theſſaliæ ad Enipeum flumen, qui in Pineum decidit.
(7) Innuitur bellum Pharſalicum inter Cæſarem, & M. Pompeium.
(8) Thracia, regio Europæ latiſſima iuxta Myſiam, Macedoniam; in qua eſt Urbs Conſtantinopolis: habetque à ſeptentrione Iſtrum, ab oriente Pontum, à meridie mare ægæum.
(9) Rhodope mons eſt Thraciæ notiſſimus, ipſamque ferè biſariam dividens, vulgò monte argentaro.
(10) Agathyrſi, populi ſunt Scythiæ Europeæ & Scythiæ Aſianæ intra Imaum montem.
[11] Mahometis patria, tyrannici Imperii initium, ingens progreſſus, & maximè ab inteſtino Græcorum diſſidio deſcribitur.
(12) Mœnia Conſtantini, Conſtantinopolis, quæ à Mag. Conſtantino inſtaurata miro murorum artificio, & Imperii ſedes conſtituta, nova Roma dicta fuit Anno 1418. 29. Mai fer. 3. a Maumete 11. capta, Turcarum Imperatores ibi Regiam conſtituerunt.
(13) Græcorum ſcilicet hæreſi, quâ Spiritum Sanctum à filio procedere inficiabantur. Huic Bizantii excidium vates attribuit; & quidem meritò, Eâ quippè die cecidit, in qua venerauda Pentecoſtes inciderat.

Digitized by Google

Sed tamen his parcam: ponti discrimine parvo
Illic est (1) Asia, & celebratæ Pergama (2) Troiæ,
Ilion, & (3) Xanthus, (4) Simoisque, & nobilis Idæ,
Imperium Priami quantum est? vix cernitur; ò quàm
Angusti fines hominum, & quæ fingimus ipsi
Imperia exiguo in tractu, & decernimus urbes.
Instar formicæ, & puncto obluctamur arenæ.
Jamque Asiam radio signabat Rector eburno,
Immemor (5) Italiæ; sic illum excepit Orethes:
Quæ pars hæc rerum? quæ gens? quæve inclyta tellus?
Quæ sola puniceo fulgent depicta colore.
Credo equidem (Annæo memini didicisse Magistro)
Cognatam hanc Superis terram, Cœloque propinquam
Ausoniam, aëriis cingunt quam rupibus alpes
Et mediam longè fugiens secat Apenninus;
Inferno, Superoque jacet circumflua ponto;
Ac simul Joniis ab Eoo clauditur undis:
Dic age, si verum memini? si dicta recordor?
Divinas: illum Typhis sic excipit, & te
Atque acri ingenio præstantem, atque arte magistrum
Jamdudum novi, & gnarum terræque, marisque,
Non ego terraquei magnum decus immemor orbis
Præterii, vel regna Dei, terrasque reliqui.
Egregios magnæ tacui Telluris honores,
Consilio meliore usus: Nam grandia rerum
Magnarum decora, & claræ facta inclyta gentis
Non cunctis celebrare datum. Quis laudibus almam
(6) Hesperiam Cœlo sustollat, & inferat astris?
Quis magnam rerum dominam, belloque potentem
Concelebret? Quis gesta ducum, memorandaque patrum
Facta canat? summasque exæquet carmine palmas?
Romanas Aquilas, bellatricesque phalanges,
Exuvias Regum, & digno sub Consule fasces,
Cæsareosque apices, invictæ frontis honores;
Pectus inexhaustum bello, dextrasque potentes
Magnanimùm Heroum, populosque, urbesque subactas,
Atque triumphales currus, nitidasque Curules?
Quis consanguineos Proceres, Mavortia narret
Pectora? Summorumque Virùm decora inclyta rerum,
Alma Ducum genitrix, quos gignit regia Syren
(7) Parthenope, Regumque satu fœcunda superbo?

Quis

(1) Asia est media pars orbis terræ, incipiens ab India: illam ab Europâ fluvius Tanais, ab Africâ Nilus separat.

(2) Troja, regio minoris Asiæ, in qua fuit regia Urbs Ilium, nunc prorsus excisa.

(3) Xanthus fluvius apud Troiam, cujus aqua potæ faciebat oves rufas.

(4) Simois fluvius Phrygiæ, ex Ida monte profluens tandem Xantho miscetur.

(5) Italia regio nobilis, & feracissima inter Adriaticum mare, & Tuscum; item inter Alpes, & siculum fretum. In multas dividitur regiones, scilicet Liguriam Hætruriam, Umbriam, Flaminiâ, Latium, Aprutium, Campaniâ, Apuliam, Venetias, Picenum, & Galliam Cisalpinam.

(6) Hesperia dicitur Italia ab Hespero rege, fratre Atlantis.

(7) Parthenope, Neapolis Urbs Campaniæ, amplissima, Emporium celeberrimum totiusque Italiæ populosissima, Regni Neapolitani caput. Sirene ibi sepulta, teste Plinio, Parthenope dicta est, a Rhodiis condita in ora maris Tyrrheni.

Digitized by Google

Quis (1) Capuæ titulos, & regnum laudibus æquet:
Ac fusum Annibalem generosæ ad mænia Nolæ? (2)
Quis claras urbes (3) Henetùm, pelagoque potentes
Magnanimos (4) Antenoridas, æquataque Cœlo
Imperia, & Scythicà memoret de gente triumphos?
Si tamen (5) Ausonias urbes, cognataque Cœlo
Mænia; & excelsas ferientes sydera turres,
Et pingues terræ glebas, atque ubere fructu
Electro similes errantes ruribus amnes;
Ac belli studium, & placidos cognoscere mores,
Illapsus menti calor incidit, accipe: jussus
Incipiam; & paucis, oculos adverte, docebo.
Montibus Alpinis, quæ currit in æquora tellus
Hæc decus egregium, Europæi hæc dextera mundi;
Altrix terra Virùm, Divùmque, hominumq; voluptas,
Armis terra potens, clarisque assueta triumphis,
Imperitare Orbi; & populis dare jura subactis.
Gens acri ingenio, præstans & Palladis arte,
Vincere docta fago; populos, & regna tueri
Docta togà, & belli studiis sociare Minervam.
Nata triumphales victrix agitare Curules
Robore inexhausto, & semper victricibus armis
Imperium Cœlo, famamque æquare vel astris;
Ac geminas mundi protendere sceptra per oras,
Obiectare caput Marti, nisuque decoro
Egregiam factis laudem, & decora alta referre!
Tellus dives opum, multoque operosa metallo;
Et lætas gignit segetes, & munera Bacchi;
Et pingues Oleas, lentesque, & molle legumen,
Aurea Soriadum Calabri dant vellera dites;
Ætherios rores, & natum Cælite partu
Manna ferunt; quercus desudant roscida mella,
Arvaque progignunt fœcundas nectare Cannas.
Dilectus Baccho Camulus, pinguive Minervà
Nepethios Pomona lares, & Verrea Nais
Rura colit, Rhegina Cedrum, & mala aurea tellus,
Pascua Lucani, & proceras vertice sylvas:
Hi dites pecore, & bubus locus aptus alendis:
Alipedes Cervos, pavidasque indagine damas;
Setososque altis venantur collibus apros.
Hìc vitreis crispatus aquis pleno irrigat amne
Culta (6) Siler, parvoque sinu secat arva (7) Tanager:
Bis florere rosas hic arva Picentia cernunt

(1) Capua Urbs Campaniæ apud Vulturnum fluvium à Capy, Rege Albano condita teste Virg.

(2) Nola, antiqua Romanorum Colonia in Campania, ubi Augustus Cæsar extremum diem clausit.

(3) Heneti, Paphlagoniæ populi fuerunt, qui Antenore duce, cum in intimum maris Adriatici sinum venissent, permisti Troianis, omnes uno nomine Veneti appellati sunt.

(4) Antenor unus ex principibus Troianorum, qui Patavium condidit.

(5) Ausonia, Regio Campaniæ inter Cales, & Beneventum extensa, in qua Capua Metropolis, Populi Ausoniæ Auruncis, qui inter Latium, & Campaniam circa Suessam Urbem incoluere, finitimi. Calabria quoque tùm citra, tùm ultra Ausonia dicta est.

(6) Siler, vulgò Selaro, fluvius Picentinorum illos à Lucanis dividens; medius ferè inter Salernum, & Pestum in finu Salernitanum se exonerat.

(7) Tanager, vulgò il negro, fluvius Lucaniæ ex Alburno monte apud Picenum oriens, in Silarum se exonerat.

Hìc & pugnacis pubes generoſa Salerni
Gradivi exercet ludos, & Palladis artes:
Dat Cererem tellus, albamque indurat ariſtam
Herbivagos per rura greges, hædoſque petulcos:
Quis Surrentinos latices; quis Maſſica Bacchi
Pocula, & indomiti ſpumantia vaſa Falerni
Vel Chio latici, aut Dictæis roribus æquet?
Quis pingues Capuæ campos; Quis Daunia rura;
Aut Cerere, aut Baccho, aut viciſſe Legumine certet?
(1) Taburnum, Campaniæ mons in Samnii confinio, Capuam inter, & Nolam, olivis inter cætera abundans.
Quis Lubræ colles, oleàque æquare (1) Taburnum;
Quiſve Crocis Aquilam, aut baccis ſuperare Venafrum?
Non campis, Ægypte, tuis, licèt irriget agros
Nilus aquà; & bifero jactet ſe munere tellus,
Invidet Auſonia, aut vernantis Collibus Hyblæ;
Aut Cilicum terris; aut ſuribus invidet Indis.
Sed quoniam Cœlo tenebris nox inſtat opacis:
Et nitidus medio ſurrexit Veſper Olympo,
Cernite Tarpejas arces, Colleſque Quirinos;
Imperii Sedem, Capitoli immobile ſaxum:
Hæc Roma, æternum nomen, cui machina Mundi
Non eſt una ſatis, quam non facundia linguæ
Æxequare valet, meritiſque extollere dictis.
Roma per æternos ævi memorabilis orbes
Cui dedit imperium Virtus, & nomina Robur.
At quæ devexo procurrit ad æquora clivo
Pomiferis baccata jugis, lunata theatro
(2) Neapolitani Regni ſplendidum Elogium, & exacta deſcriptio.
(2) Parthenope, Regum genitrix, Sceptriſque ſuperba:
Urbs armis, populoque potens, & divite gaza:
Quæ tantum Auſonias inter Caput exerit urbes,
Quantum Roma olim, regni dum fata manerent.
Hìc ſitus eſt cœli vertex; ſtellantis & arces
Deſuper Empyrei; & ſolium ſublime Tonantis.
Divitias Natura ſuas hìc fundit, & omnes
Spargit opes; geſtitque ſinu recludere gazas.
Hìc ver perpetuum: rutilus ſine nubibus aër
Purpureos ſinit ire dies: & dives odoris
Floribus halat ager; ſemper Dea prodiga cornu;
Dat fructus Pomona ſuos; ſemperque vireſcunt
Per juga Sirenum truncis gemmantibus horti:
Hìc nemus Aſſyrium, Peneique virentia Tempe:
Hìc gentis placidi mores, nativaque virtus
Officiis captare animos, nec parcere ſumptu
Propoſitique tenax; & amorem æterna tueri
Pieriis florens ſtudiis, atque arte Minervæ,
Gradivique ardet cultu generoſa juventus.

Non

Digitized by Google

Non tellus Marti, nec Phœbo gratior ulla eſt:
Hic ſata culta rigans (1) Sebethus, & æmula Neſis (2)
Fontibus Heſperidum: hæ Nymphæ Craterides, ingens
Neptuni domus. & doctis habitata Napæis.
Hæc juga (3) Pauſilypi, hæc ſævum ſortita Typhœa
(4) Inarime, Procytheque, & proxima regna Dicarchi;
Hùc olim Euboicas Cumarum allapſus in oras
Ænæas, Troiâ profugus, tectumque Sybillæ.
Hi ſunt Elyſii, & ſtagnum fumantis Averni.
Cernite Vulturnum; nocturnæque editor auræ
En (5) Liris, regnata (6) Lamo (7) Caieta; domuſque
(8) Antiphatæ, (9) Sinueſſa tepens, ſtagniſque paluſtre
(10) Linternum, & (11) Gaurus quondam navalibus apta,
Hos fugite infames Scopulos, Circeſa ſaxa:
Phlegræos ſpectate apices, Vulcania regna;
Hìc olim Alcides (ſi vera ea fama vagatur)
Terrigenas vaſtà proſtravit mole Gygantes.
Grandine commixtas hìc vibrat ad aſtra favillas
Vesbius ignipotens, fervoribus æmulus Ætnæ.
Sed quid plura moror: Caudinas cernite furcas;
Ac tumulum Heſperiæ, Cannas, & Daunia rura,
Adriacas fugiens en verberat (12) Auſidus undas.
Ennius hìc ortus Lupiis: (13) Meſſapia tellus,
Illa Venuſini natalibus inclyta vatis.
Ad Superum pelagus, piſcoſi mœnia Bari
Ionios contra fluctus ſtat molle Tarentum.
Brunduſium (hoc Cretâ profugi tenuere coloni)
Præſidium nautis, cum verberat æquora Corus.
Hæc (14) Salapina palus, & montibus invia (15) Sipus:
Illyrico obiectus Boreæ, Cauroquè, Notoque
Garganus, Superis procurrens Appulus undis.

(1) Sebetus amnis parvus campaniæ, qui propè muros Neapolis dilabitur, & in craterè ſe exonerat.

(2) Neſis Inſula parva campaniæ, proxima continenti inter Neapolim, & Puteolos.

(3) Pauſilippum; Promontorium Campaniæ apud Mergelinen, non procul à Neapoli; nomen habet ab amœnitate.

(4) Inarime, Inſula Ænaria, vulgò Iſchia, in ſinu Puteolano, cùm Urbe cognominis, Prochytæ vicina ab ea avulſa, freto que anguſto diviſa, ante Miſenſi promontorium.

Hæc

(5) Liris, vulgò Garigliano, fluvius Italiæ, latium à Samnio, & Campaniâ ſeparans ſupra Toëram, apud Atinam orieus, in mare Tyrrhenum prolabitur.
(6) Lamus læſtrygonum Rex, qui in Caietâ regnavit.
(7) Caieta Campaniæ Urbs munitiſſima, à nutrice Æneæ, ut Virgilius ait, nomen habens.
[8] Antiphates læſtrygonum, item Rex.
(9) Sinueſſa Urbs Campaniæ, exciſa, in orâ, ubi maſſicus mons deſinit; ubi nunc Rocca di Mondragone.
[10] Linternum Colonia, & Urbs olim Campaniæ inter Vulturnum ad occaſum, & Cumas ad ortum, nunc vicus tenuis, vulgò Torre di Patria dictus.
(11) Gaurus, mons Campaniæ apud Puteolos.
(12) Auſidus vulgò, Ofanto, fluvius Apuliæ ex appennino monte otiens Daunios, à Peucetiis ſeparat., & in mare ad Barulum, clariſſimum oppidum ſe exonerat.
[13] Meſapia, regio Italiæ, vulgò Terra d'Otranto, peninſula inter Brunduſium, & Tarentum, à Meſapo dicta, qui in eâ dominatus eſt.
(14) Salapina palus, vulgò lago di Salpe, lacus apud oram Apuliæ Daunïæ, ad quem Salapia Urbs.
[15] Sipus Urbs Apuliæ Dauniæ ad Gargani montis radices, à Diomede condita & a Saracenis everſa, cui ſucceſſit novum Sipontum,

Hæc juga, Samnites, æterni Martis alumni,
Alta tenent, curſuque apros, Cervoſque fatigant;
Servitiumque pati indociles, gens horrida ferro,
Iraſci facilis, bellumque movere parata.
Cernite (1) Veſtinos tractus, (2) Pinnamque virentem;
(3) Frentanam pubem, populoque (4) Theate ſuperbum:
Dilectus Muſis, Naſonis patria Sulmo.
(5) Fiſcelli Colles. Picenaque rura ſequuntur.
(6) Æſis & irriguus, celebrataque portubus Ancon:
Egelidis (7) Iſapis aquis, veloxque (8) Metaurus.
Venimus hùc tandem vetiti (9) Rubiconis ad amnem.
Hic potuit quondam armatas frænare phalanges
Romani juſſu populi, monituque Senatus.
Ergo & nos etiam vetitum ſiſtamus ad amnem.
Vix ea, cum ſubitò paucis ſubjunxit Orethes:
Fare age, quamque italis Thetys interjecta propinquis
Finibus arcere, & circumfluus undique pontus
Illi aditum Auſoniæ interdicere velle videtur,
Vendicat hanc ne ſibi Europe, an concedit habendam
Afris? èque ſinu prolem hanc exoſa repellit?
Talibus arridens Typhis, ſic excipit illum.
Adjacet Europæ pars non ingloria regni
(10) Hæc quoque; nec primas ulli concedit, opimum
Sive ſolum aſpicias, rarà ſive indole gentem.
Cerne precor, quantis hìc ferveat æſtibus æquor,
Naufragium nautis minitans, clademque carinis.
Scylla vorax latet hìc; adversà parte Charybdis
Infremit; hìc pelago caput objectare Pelorus (11)
Audet, & alliſos propellit litore fluctus:
Digladiatur aquis hìc utraque Tethis, & illi
Ampla aperit lunata ſinu (12) Meſſana theatrum.
Cerne (13) Syracuſas; latias hìc igne cremari

(1) Veſtini populi fuere ſub ſamnitibus; hodie pars Aprutii ulteriores, cujus caput eſt Aquila Urbs.

(2) Pinna, vulgò Città di Penna. Urbs Veſtinorum.

(3) Frentani populi Italiæ inter Marrucinos ad occaſum, & Appulos ad ortum, quorum Urbs Frentanum.

(4) Theate, vulgò Città di Chieti a Marucinorum caput à Clem. VII. metropolis eſſecta.

(5) Fiſcellus mons, vulgò monte di Norcia, montis Appennini auctacium in Umbria juxtà Piceni, & Sabinorum confinia, ex quo Nar fluvius oritur.

In-

[6] Æſis fluvius, Eſino, in mare Adriaticum ſe exonerat inter Anconam, & benogaliam.

(7) Iſapis, vulgò il Savio, fluvius Æmiliæ in Romandiolà ex Appennino monte ſupra Satſinam urbem oriens, ac juxta Ceſenam urbem delatus in Adriaticum immittitur.

(8) Metaurus fluvius Umbriæ, vuolgò Metaro, penes forum ſempronii fluens, poſtea auctus fluviis in Adriaticum illabitur.

(9) Rubico, fluvius Æmiliæ apud Ceſenam Urbem; olim terminus Italiæ; & ubi à Pop. Rom. Cæſari interdictum, ne ulterius armatus procederet.

(10) Sicilia, Inſula eſt ampla, & formæ triangularis inter mare Tyrrenum ad Boream, ſiculum ad ortum, & lybicum ad meridiem; ſeparatur ab Italia anguſto freto 1500. paſſibus eiuſque circuitus, Cluverio teſte, & 600. mill. paſſ.

(11) Pelorus, Promontorium, vulgò Capo di Faro in ora orientali Siciliæ ex adverſo Calabriæ: eſtque in Valle Nemorenſi: & ibi erigitur turris ſpeculatrix, ſeu Pelori dicta.

(12) Urbs ampla, & præcipua in valle Demonę ad ortum Inſulæ cum portu ampliſſimo. Figuræ eſt oblongæ, ob montes, quibus premitur.

(13) Siracuſæ Urbs pulchertima, & nobiliſſima in Sicilia juxtà Pachinum promontorium, quæ tres muros, & tres Arces habebat, & portum marmoreum.

Digitized by Google

Indoluit mediis puppes Marcellus in undis
(1) Arte Syracosii senis; Hìc rapuisse micantes
Solis opes gnarus, flammas torquebat in Hostem
Acceptas calibe oppositò, remoramque triumphis
Romuleis fecit, patriæ tutela labantis:
Incassum tamen, audaci nam milite muri
Perfossi interius cladem accepere, & in ipsâ
Ense senex patriâ jacuit mactatus arenâ.
At quâ septenos videt Insula longa Triones,
Quot turrita nitent præruptis oppida saxis?
Occasum versus (2) Lilybæum immittitur undis,
Et propè Trinacrii regni caput, alta Pânormus (3)
Prominet; huic primos jam non contendat honores
Æmula, sed casu Zancle perculsa sinistro.
Hic (4) Drepanum, hic Rupes sese erigit alta Pachini;
Et Meliten contra caput intermittit in undis,
Maurorum cladem (5) Meliten, ubi cornua quondam
(6) Odrysiis confracta; metu tunc palluit acri
Luna; & Bistonides, Nereo data præda, carinæ.
Interea, Zephyro numquam laxante, rudentes
Æratæ Chrysæa volant per Cærula puppes,
Pulsaque remigio spumat Gangetica Tethys.
Hesperias Titan cum jam deflexus ad undas
Igniferi tantum Nereo concesserat orbis,
Tertia nocturnæ quantum Latonia lucis
Spargit humo: fessi tandem membra ægra relaxant:
Expediunt Bromium, ac Cererem, lautosque paratus;
Discubuere thoris omnes, pauciscque relictis,
Qui præsint clavo vigiles; velisque ministrent:
Optato demum concedunt lumina somno.
Jamque dies aderat Cœlo, cum luce minores,
Lucifero, cæpere faces properare, relicto:
Cum procul aspexit malo speculator ab alto
Depressos Colles, dubiaque in luce micantem
Taprobanen, lætus, socii, conclamat, amica
Rarescit tellus, rutilis bacchata lapillis;
Litora Taprobanes, gemmataque cernitur ora.
Ergo agite, & pigros animis expellite somnos,
Præcipitate moras: jam nos lucentia Phæbi
Regna vocant; votis tandem favet aura Favoni;
Continuò exoritur festivus ad æthera clamor,
Taprobanem læto nautæ clamore salutant;

(1) Alludit Poeta ad specula ustoria, quibus Archimedes Romanas naves combussit.

(2) Lilybæum, promontorium libyam versus, nunc Capo Cocco,

(3) Panormus Urbs est Siciliæ caput, propè ostia Orethi fluvii; ibi residet Insulæ Prorex.

(4) Drepanum Urbs Siciliæ maritima ad radices montis sancti Juliani cum arce valida, & portu capacissimo.

(5) Melite Insula maris Africi, sedes Equitûm Hierosolimitanorûm, quibus a Carolo V. post amissam Rhodûm, donata ut sic Siciliam ab eâdem contra Turcarum irruptiones tueretur.

Sol-

(6) Alludit Poeta ad sævam, longamque obsidionem, qua Pialis Turca, anno 1565. terrâ, marique Melitem cinxit, sed re infecta, ingentique acceptâ clade, discessit.

Solliciti insultant pelago: Neptunia regna
Ære secant: celeres fugiunt spumantibus undis
Turrigeræ, Zephyro semper spirante, carinæ,
Fit sensim propior tellus, lituſque patescit.
Trajecti Oceani duros exosa labores,
Impatiensque moræ, fervet generosa juventus:
Accelerat vento cursum, tonsisque ministrat;
Cum tandem Eoæ tetigerunt litora terræ.

Est in conspectu Chrysorum maxima regnis
Terra potens, medio Cœli projecta sub axe:
(1)Taprobanen veteres, dixere Sumatrida nostri;
Insula in Oceano quondam celeberrima Eoo.
Quà Solem videt Hesperium, cava litora portum
Dant tutum obiectu laterum; Scopulosaque saxa
Oppositi Natura mari, ne fluctibus Auster
Irrueret; medio turbaret & æquore puppes.
Hìc est prima quies fessis per Cærula nautis.
Hùc fuga, cum totas movit Gangetica vires
Tethys, & elatis despumat Nereus undis.
Ergo ubi securi subierunt ostia portus
Defessæ pelago puppes; volat omnis in actam
Turba virùm: lætasque parat componere mensas.
Semianimes torrent pecudes, crateras Jaccho
Floribus intextas onerant, Acheloïa potant
Pocula, Thyrsigeri durum domitura saporem.
Ut dapibus placata fames; Languentia flectunt
Membra thoris, placidus pervadit pectora somnus,
Stant portu interea, contento fune, Carinæ;
Et tacitum biiugo perlustrat Cinthia Cœlum.
Jamque poli medium conscenderat: Ecce repentè
Improvisus adest Titan, Cœlumque serenat.
Extemplò nautæ Zephyro dant vela secundo;
Et cæptum instaurant Chrysæa ad litora cursum.
Saberum quò jussa Dei, monituſque vocabant;
Turrigeras curvo flectit temone Carinas
Rector, & ostriferæ gemmantia litora radit
Taprobanes, & pingue Solum transmittit (2) Acheni,
(3)Daïa præteriit, mediis attollitur undis
Vertice pinifero feriens (4) Gemispola Cœlum:
Hinc alto provecta mari secat æquora classis;
Ac rapidos volitans prævertit cursibus Euros.

[1] Taprobane, hìc usurpatur pro insula Sumatra; Variant enim Geographi in usurpatione huius nominis; Nã aliqui eam Ceilanum, aliqui Sumatram arbitrantur; Autor horum sententiã hìc, alibi illorum sequutus est.

(2) Achenum, Urbs perampla, & regni cognominis caput in Insula Sumatra, 400. millia passuum distat à Malacca.

[3] Daia, Urbs in eãdem Insulã extra Gangem.

(4) Gemispola Urbs item Sumatræ extra gangem sita.

Digitized by Google

SABERIDOS
LIBER X.

Argumentum.

Radit arenoſas, tonſis luctantibus, oras
Taprobanes Divus; pelago dein vela patenti
Explicat, accelerans gemmata cubilia Solis
Viſere naſcentis, quà ſurgunt Inſulæ Eoo
Æquore Mauretides; quàque immetata Molucas
Mordet odoriferas Tethys. Gens barbara terras
Quæ colit, & telis metuenda, atroque veneno,
Saberidæ dat victa manus, legeſque latinas
Excipit, & frontem luſtralibus abluit undis.
Hinc domiti Divus ſpoliis Orientis onuſtus
Regna celer chriſæapetit; Longinquus Japon
Auſonios tanto cultus, moreſque Magiſtro
Doctus, iter ſuperas tandèm ſibi ſternit ad Arces.

JAm rapidus primam, ſtellato vertice, metam
Signiferi Titan curſu trajecerat orbis
Cum rapido Pomona æſtu, cum gaudet ariſtis
Flava Ceres, nimiiſque ardet fervoribus Æther:
Cum tandem Eois Chryſorum (1) allabitur oris
Saberus, plenoque ſubit tuta æquora velo,
Quà pelago ſurgit genitrix Aurora diei,
Et procul aurati fulgent cunabula Phebi;
Dum nitidum volucres concentibus aëra complent;
Surgentemque polo cantu Titana ſalutant.
Aurora genitæ, & primi Titanis alumnæ
Ergo agite, o Muſæ Chryſæides, ultima Mundi
Quæ colitis, roſeoque poli regnatis in axe
Luce viam rutilà monſtrate, & limina primi
Pandite Campano Vati lucentia Phœbi,

Variant Geographi in acceptione huius Vocabuli, aliqui enim hoc uſurpât pro antea Cherſoneſo, ſeu pro regionibus ad ſinum magnum, vulgò Golfo di Bengala, pertingentibus, inter quas Regnum Malaccæ aliqui autem eodé vocabulo Inſulas Japonicas indigitât. Auctor alibi horum, hìc in illorum videtur ſententiam diſcedere,

Chryſorum dum regna petit, curſuſque per omnes
Terrarum, Cœlique plagas Heroa ſequutus,
Solis inacceſſi roſeos pervenit ad axes
Ultimus hic labor; at non ultima ſurget ab illo
Gloria, ſi comites venietis, & ipſe Supremo
Si bonus aſpirat votis meus Indiges Axe.

Hìc Auctor Poeſim, quam ſubceſivis temporibus maturaverat, prudens abrupit: ratus, Japonicam Xaverii Expeditionem (quæ fuit Indicæ Prædicationis Pars Præſtantiſſima) plùs Nervorum, Ociique requirere; quàm quod ſibi, ab Annis Juvenculo, à Curis occupatiſſimo ſuppetebat. Dixerim Juvenilem Parthenii Muſam eundem exitum affectaſſe, quem Xaverius ipſe ſortitus eſt: Quemadmodùm enim Hic ad Sinarum Limen adhæſit, nec porrò progreſſus eſt; ita & Illa ad Japonum Veſtibulum voluit adhærescere.

Digitized by Google

JACOBUS PERRECA
Præpositus Provincialis Societatis Jesu in Regno Neapolitano.

POteſtate ad id nobis facta à P. Noſtro Michaele-Angelo Tamburini Generali Præpoſito ejusdem Societatis, quo ad nos ſpectat, facultatem concedimus, ut typis mandetur liber, cui titulus *Xaverius Viator* à P. Nicolao Parthenio Giannettaſio Noſtræ Societatis compoſitus, virorum gravium, atque Sapientum ejusdem Societatis judicio examinatus, ac probatus: ſi tamen videbitur iis, ad quos ſpectat. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtræ Societatis munitas dedimus.

Neapoli 24. Kalen. Januarii 1718.

Jacobus Perreca Provincialis.

EMINENTISSIMO SIGNORE

DOmenico Raillard ſupplicando eſpone à V. E. come deſidera ſtampare un opera poſtuma del P. Nicolò Partenio Giannettaſio della Compagnia di Gieſù, intitolata *Xaverius Viator*. Onde ricorre à V. Em. e la ſupplica commettere la reviſione, a chi le parerà, e l'averà a grazia ut Deus.

IMPRIMATUR

NICOLAUS CAN. ROTA PRO VIC. GEN.
D. Petrus-Marcus Giptius Can. Dep.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO SIGNORE,

DOmenico Raillard ſupplicando eſpone à V. E. come deſidera ſtampare un opera poſtuma del P. Partenio Giannettaſio della Compagnia di Gieſù, intitolata *Xaverius Viator*. Onde ricorre à V. E. e la ſupplica commettere la reviſione, a chi le parerà, e l'averà à grazia ut Deus.

Rev. Pater Dominicus de Ludovicis videat, & in ſcriptis referat.

GAETA REG. MAZZACCARA R. ULLOA R. ALVAREZ R. JOVENE R. FALLETTA R.

Proviſum per S. E. Neap. 20. Martii 1720,

Maſtellonus.

EMINENTISSIME DOMINE

LEgi juſſu Eminentiæ Tuæ *Saberidem* P. Nicolai Parthenii Giannettaſii Societatis Jeſu: Opus quidem ab auctore primis olim annis, & Musà penè vagiente dictatum, ſed quo tamen quaſi rudimento non levi ad majora proluderet; quodque jam tùm oſtenderet, quale mox decus eſſet Poëſis habitura: nam & eruditio non vulgaris, & ſtyli candor, & ingenium ad Muſas factum non apparere modo, ſed eminere jam videbantur; neque ſolùm promittere, verùm etiam repræſentare literatæ Reip. Parthenium illum, in quo latinæ poëſeos amatores vix quidquam, præter ætatem requirant; & ne hanc quidem, ſi aureum illud decus non temporis vetuſtate, ſed venuſtate ſermonis metiantur. quoniam verò nihil hoc in opere animadverti, quod vel Regiæ Jurisdictioni, vel bonis moribus obſit, poteſt, ſi videbitur, typis editum publica frui luce, ita cenſeo. Neap. 24. Kal. Martii 1720.

Em. Tuæ

Addictiſſimus Servus
Dominicus de Ludovicis Soc. Jeſu.

Viſa relatione imprimatur, & in publicatione ſervetur Regia Pragmatica.

GAETA REG. MAZZACCARA R. ULLOA R. ALVAREZ. R. JOVENE R. FALLETTA R.

Proviſum per S. E. Neap. 20. Febr. 1721.

Maſtellonus.

B.P.E. BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1994

Digitized by Google

IHS

HYEMUM PUTEOLANARUM

NICOLAI PARTHENII

GIANNETTASII S. J.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE 1891

Opus Posthumum:

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Universa ora, atque amœnissimus Puteolorum sinus, circumque adjacentia loca summatim describuntur: Operisque institutum exponitur.

NEapolitani sinus, quem cratera Græci, à figurâ, quam præsefert, vocavere, tàm amœna amœnitas, tàm jucundus prospectus, tàm felix situs, ut nihil ultrà sit, quod accedat. Quapropter ridentis naturæ opus jure, meritoque veteres appellavere. At duæ illius partes sunt, quæ singulari quâdam prærogativâ reliquas antecellunt: hæ vero Surrentinus, & Puteolanus sinus sunt. Ille ad Æstatem, atque Autumnum summâ animi voluptate transigendum, hic

Digitized by Google

ad Hyemem mitius tolerandam, & ad amœnas, salubresque apricationes unicè à Naturâ factus. Tepidissima enim ibi cœli temperies, & calidum suaptè naturâ solum est, quippè quòd calidis passim aquis scateat; atque ignibus subterraneis fœtum sit. Altissimis item collibus præcingitur, quibus à frigidissimo Boreæ, Cæciæque flatu defenditur. Sunt & amœnissima circùm loca, plurimaque veterum Romanorum monumenta, ad quæ tùm voluptatis, tùm eruditionis lucro divertere inter deambulandum possis. Nam quod de Græciâ non immeritò jactatum est, nullum scilicet in eâ saxum esse sine nomine, usque adeò nota omnia erant, ac celeberrima; illud etiam de Puteolanâ orâ dici potest: etenim vix locus ullus in eâ est, in quo non aliquid visu, scituq; dignum reperiatur. Neque mirum videri id debet; cùm circà Puteolos omnes ferè Romanorum, hoc est, victoris terrarum populi, deliciæ fuerint. Ut verò meliùs, quæ Puteolanas Hyemes describens, dicturus sum, teneantur, omnem Puteolanam oram, quod in Æstatibus Surrentinis feci, præ oculis ponam, & graphicè, quoad potero depingam. Eum verò sequar rerum ordinem, qui Neapoli Puteolos euntibus occurrit.

(1) Pausilypus orientem versus Puteolanum sinum claudit.

Ad orientem, qui Puteolanum claudit sinum (1) Pausilypus est, quotquot sunt toto terrarum orbe, felicissimus collis, cujus vel nomen ipsum curarum cessationem, atque ob id voluptatem sonat. Adeò hospitalis, amœnus, atque omnis generis fructuum ferax, ut vix alterum invenias. Hic autem jucundissimus, ac fœcundissimus collis per septentrionem in orientem excurrens, inque Meridiem, eo loco, ubi Echia olim dictus, inflexus, universam (2) Olympiam oram complectitur. In hujus verò oræ extremo angulo, longa perfossus crypta patet, qua brevi compendio Neapoli Puteolos itur. Ad ultimum verò jugum, qua mari finitur, Nesis insula objecta est: viridens ipsa, & maris, solique ubertate felix. Media (3) Euplæa est, quam venientes Alexandriâ naves consalutabant, exactumque prosperè navigationis cursum, sibi gratulabantur; atque hinc Euplæa nuncupata est: quare nos Bellic. VIII.

(2) Ora olympia vulgò Borgo di Ghiaja.

(3) Insula parva vulgò Gajosa à Meigelene parè distans.

Pausilypum juxtà Nesis frondosa virebat,
Cognita Pellæis & quondam Euplæa carinis.

(4) In quibus, ut scribit Plin. lib. 28. ca. 12. sulphur præstantissimum effodiebatur, & Cretæ genus optimum, quo dulcia admistum, candorem simul efferebat, & tenacitatè.

Sed jam Puteolanâ è cryptâ egressi in lætam, uberemque planitiem ab ipso pede Pausilypi ad proximè assurgentes colles (4) leucogæos pertinentem, intramus. Quæ quidem planities latè populis maritatæ vites obumbrant; subterque Cerere convestita, ad extremam usque maris oram excurrit. Qui primi leucogæorum assurgunt, pectiti exculticque sunt; tantâque rerum ubertate fœcundi, ut certare

cum

Digitized by Google

cum hominum induſtriâ ferax natura videatur. Qui verò ad mare ſe porrigunt, & quos propter via eſt, quà Puteolos itur, aſperi, ac ſteriles; atque idcircò totus ille tractus (1) Olibanus collis appellatus, quem ſupra ad ſeptentrionem Phlægra eſt, canâ ſilice candicans; unde & reliquis nomen factum; ni fortè leucogæi omnes dicti, quod eorum terra non nigra, neque rubra ſit, ſed ſubalbida. Ad dexteram ſepoſitâ in valle, quæ intermemoratos colles ſubſidit Anianus lacus eſt, cujus ferè omnis litoralis ora exculta eſt & ferax. E' lacu ad dexteram aſcendentibus ſupra leucogæos vertices læti, amœnique campi, quos alii colles altiores intercurrunt ſeſe viſendos præbent; quibus ab æquâ planitie, nomen minoribus factum eſt. Hiſce in campis, quâ ſubjectum lacum deſpectant, (2) Collegii noſtri ampliſſimum rus eſt; quo hyeme, cùm aprici fulgent ſoles, vel Alcedonia recurrunt, nihil amœnius, nihil opportunius reperiri poteſt: ſunt enim per univerſam planitiem aperti, planique colles, quibus deambulare, & exercere corpus, ne frigore torpeat perquàm commodè poſſis; & modò ad lacum, modò Puteolos atque Bajas, animi gratiâ divertere. Sed ad proprium redeo. Editiores alii colles univerſam hanc planitiem intercurrunt, qui & ipſi conveſtiti ſylvis, umbroſique ſunt. Per hoſce colles via Appia Domitiani Neapolim, Nolam, Rhegiumque Julium ducebat, cujus adhùc extant, & non parva quidem veſtigia. Sed ad mare redeuntes, ampliſſima Pauſilypæa è cryptâ via, atque rectiſſima nos excipit, quæ hinc, indè arboribus conſita, ſupra M paſſus excurrit, quoad mare perveniat. Ubi verò litus attigeris, dextrâ in occidentem flectes, perque litoralem oram, ſecundum Olibani tractum. Puteolos perges. Situm nunc oppidum in edito colle non ſatis amplo, inque ſubjectam oram ſuburbium excurrit: nam olim antiquiſſima hæc Urbs, celeberrimaque, atque orientis commercio ditiſſimum emporium, ampliſſimo murorum ambitu plurimos circùm colles complectebatur. Ex adverſo reſpondent Bajæ, cùm deliciis, tùm famâ celebres, balneiſque per quàm nobiles. Quas ambas inter Urbes amæniſſimus ſinus incurvatur; qui mox amplior factus, Neſide inſulâ, & Miſeni promontorio concluditur. Miſenus, nobile quondam oppidum, & ſtatione Romanæ Claſſis, inſignitus. Bajas inter & Miſenum, (3) Bauli olim fuere: ſupra vera elyſii campi, præ cæteris fortunatiſſimi, in quibus ſpatiari beatorum Animos veteres commenti ſunt.

Juxtà Puteolos ad Apeliotem Gaurusmons ſurgit, & famâ, & vino notiſſimus, qui in Falernum uſque agrum, ſep-

(1) Mons contra Neſim vulgò Libano.

(2) Collegii maximi Neapolitani amæniſſimum, rus vulgò Pianura.

(3) Ductum nomen, ut ait Servius, quod olim Herculesjuxtà, fecit caulam bobus eamque ſepſit.

septentrionem versus extenditur. Ad occidentem (1)lucrinus olim lacus ostreis laudatissimus: nunc novus mons ex cinere coagmentatus, qui ingenti terrarum jactatione emersit anno MDXXXVIII. cujus ortu, magna lucrini pars absorpta est, magno gulæ damno: nam cum illo ostreæ penitùs interiere. Ulteriùs Avernus est, Poetarum fabulis, & Cumææ Sybillæ oraculis celebratissimus. Ab hoc non longè (2) Acherusia palus & Julius portus, & quas modò memoravimus, Bajæ. Ad occidentem Miseni Cumanus est ager; in cujus medio editus est Collis ad Tyrreni. Oram, in quo olim Cumæ, antiquissima Calcidiensium Colonia, & priscis temporibus, quando non res Romanæ florebant, quâ potentiâ, quâ divitiis, inter primas Italiæ Urbes numerata. Contrà duæ sunt Insulæ Pithecusæ veteribus dictæ: quarum terræ propior Prochyte minor, & humilis; at feracitate soli, Cœlique temperie nobilissima: remotior (3) Ænaria est, major, altior Epopei vertice, quæ, quà balneis aquarum, quà Bacchi cultu, quà sinuum opportunitate insignis. Tandem ad occidentem Cumani agri, (4) Linterna palus, & oppidum visitus, & piscatu questuosissimo, & Africani exilio nobile.

(1) A lucro dictus ob piscium multitudinem qui ibi capiabantur. vulgò lago di Licola.

(2) Inter Misenum, & Cumas sita, vulgò Colluccia, IV. M.P. à Puteolis distans.

(3) A statione Navis Æneæ nuncupata; vulgò Ischia.

(4) Olim Urbs, & Colonia Campaniæ, inter Vulturnum, & Cumas, Puteolosque excisa, vulgò Patria.

Cum igitur is Puteolorum, & circùm adjacentium locorum situs sit, ut nihil hyberno tempore amænius, nihil hospitalius, & ad relaxandum animum opportunius haberi possit, solebam Ego, geminis hyberni temporis vacationibus, quæ Domini natalitio, & ultimis Bacchanalium diebus concedi mos obtinuit, cum erudito aliquo, lætæque indolis adolescente ad nostrum rus devertere; ibique non tàm corpus, quàm animum, eruditâ vacatione reficere. At post quàm in Cardinalis Antistitis familiaritatem (quod quidem ut summæ illius humanitati tribuo, ita summo loco numero) admissus sum; solebamus cum benevolentissimo Principe identidem hieme, cum mitior dies illuxisset, Puteolos contendere, ut brevi secessione, & à curis animum, & à labore, Corpus relevaremus. Dum autem per amænam oram apricabamur, vel ad visenda antiquarum rerum vestigia proficiscebamur, multa, & non inerudita quidem illa ad fallendum otium, inter nos habebamus. Quæ mox ego domum reversus, in commentaria referebam. Quæ, cum in justum volumen excreverint, in lucem dare visum est; ut & essent argumentum solertiæ, & incitamentum nostris adolescentibus ad studia literarum, ut mox, si tantum Superi vitæ dabunt, quæ Veris tempore ad Herculanum, & leucopetram cum Mæcenate nostro acta sunt, in lucem proferam, ut totius enni eruditi qua-

Digitized by Google

quatuor tempora, quatuor distincta voluminibus habeantur. Atque hoc quidem primum consilium erat: verùm alia deindè iniecta mens est: nam unico volumine comprehensas partes quatuor simul edere statui. Sic, opinor, ad ipsam rerum Naturam imitatione quâdam propiùs accessisse videbor. Ea enim Annum profert suis quidem distinctum partibus; at jis minimè divulsis inter se, atque distractis. Quamquàm, si fatear quod res est, non tàm hæc mutandi consilii causa fuit; quàm novi Mæcenatis Antonii Rambaldi præstantissimi viri Judicium, atque authoritas: is mihi per literas significavit, placere sibi, ut Annus hic meus eruditus unâ totus, ac suo inscriptus nomine foras exiret. Quid ego ad hæc autem? non parerem viri Principis, ejusdemque gravissimi authoritati? homini de me optimè semper merito, hoc non gratificarer? postremò eam ipse mihi gloriam, inviderem, quam certè maximam operi obventuram esse intelligebam à Rambaldi Nomine? Quamobrem nihil ultrà cunctatus acquievi libentissimè: neque verò (quid enim dissimulem?) ita sum gloriolæ fugiens, ut recusarem honoris tantum ultrò mihi datum, atque humanissimè oblatum, quantum ego ne optare quidem, aut libare votis ausus essem.

CAPUT I.

Dum Puteolos, Alcedoniis recurrentibus, itur, de Neapolitanæ Urbis origine, atque antiquitate, fusè disputatum,

POst Idus Novembris, ut plerumque cadit, (1) Alcedonia illuxerunt: & eâ serenitate Cœli, marisque placiditate, ut nunquam aliàs; quocircà me Cardinalis acciri jubet, monerique, ut eruditos mecum Libellos de more ferrem: se Puteolos ire constituisse. Quod simul atque accepi, libros, quos legere solebamus assumo; inque, illius ædes me confero. Ut veni, eamus, inquit ille, in Puteolanum; & insperatâ, hâc post pluvias, ventosque, diei serenitate fruamur. Cui ego: Rectè facis. Statimque è vestigio discedimus. Dum autem curru devecti pergimus. Quando, inquit, præteritâ Æstate in negotioso illo tuo otio Surrentino Historiæ scribendæ manus admovisti, ut video satis lentè. Cui, tùm statim ego: Fateor equidem; sed moles ipsa rei, nec satis explorata priscorum temporum acta, & discordes plerumque auctorum sententiæ me segnem reddiderunt; inque ipso hæsitantem limine tenent,

(1) Alcedonia dies sunt hyberni ferè XIV. quibus Alcedo ova parit in mari, & excluditi quo tempore ma ventorum est tranquillitas.

ut

ut ardui me cæpti jam ferè pœniteat. At ille: Ardua res, non inficior: Sed quæ magnum noſtræ Urbi, quod unum deeſt, allatura decus, magnâ nos invidiâ liberatura eſt. Quapropter te hortari, imò & urgere non deſinam, ut in illo operam omnem, ſtudiumque ponas, ac colloces. Cui tùm ego: Ut ſcias quanti apud me tua valet auctoritas, torporem omnem excutiam; meque duobus illis honeſtiſſimis, quos addidiſti, ſtimulis incitabo, & neſcio quod irrepens in hâc re faſtidium detergere curabo. Et ille: Gratam mihi rem facies, & popularibus noſtris; tibi verò tot poſt laudes ſummam allaturam. Sed age, inquam, quid de ortu, & antiquitate noſtræ urbis cenſes? Nam de hâc re fabuloſa multa, multa verò non ſatis comperta ab authoribus referri puto. Cui ego: Rectè autumas: ea quippè hominum natura eſt, ut vel patriæ, vel generis amore facilè comminiſcantur. Qui quidem amor adeò vehemens eſt, ut non rarò admodùm, vel ſummos tùm doctrinâ, tùm authoritate viros in tranſverſum egerit. Ego, etſi, ut bonum decet civem, patriam amem, non patiar in ea incidere, in quæ turpiter alios impegiſſe animadvertero. Et quamquam vetuſtiſſima res ſit; quia tamen non ad Chaos ſpectat, ut dicitur, & ſaturnia tempora; dabitur non pauca ex priſcis ſcriptoribus colligere, è quibus erui, inque lucem proferri veritas poſſit. Benè eſt, tùm ille. Ordire igitur, ut ajunt, telam: Ego quàm per libenter auſcultabo, Ego vero; Faciam illicò. Et primò quidem Licophron antiquiſſimus Poëta de Sirenibus loquens, hæc habet in Alexandrâ

Τὴν μὲν Φαλήρου τύρσις ἐκβεβρασμένην
Γλάνιδι ῥείθροις δέξεται τέγγων χθόνας

nim

Hanc quidem Phaleri turris expulſam
Glaniſque fluentis excipiet humectans terras

Eſt autem Phaleri turris noſtra Neapolis, non verò ſicula: neque Phalerus hic Phaleris Siciliæ tyrannus fuit, ut quidam non rectè opinatus eſt. Fuit igitur Neapolis à Phalero condita, & Phalerus de illius primùm nomine nuncupata. Sed quis, interrogas, hic Phalerus fuit? Dicam illicò. Unus ex Argonautis, qui cum Jaſone in Colchidem navigarunt, aureumque adepti vellus, per Iſtrum in Adriaticum, inque Tyrrhenum mare pervenerunt. Verùm de hoc, tùm Cardinalis, nullam Apollodorus mentionem fecit. Fateor, tùm ego: at meminit Iginus, cæterique tùm Græci, tùm Latini vates. Orpheus, ut ab hoc incipiam, etiam parentis nomen commemorat: ſic enim cecinit.

Αλ-

Digitized by Google

Ἀλκωνὸς δὲ Φάληρος ἀπ' Αἰσήποιο ῥυάων ἦλυθεν
Alconis Æsipi venit de fonte Phalerus,

Apollonius verò

Εὐμηλίης τε Φάληρος
Ἀλκωῆ μὲν πρόεηκε πατὴρ ἐὸς
Eumeliusque Phalerus
Alcone Parente satus,

Flaccus autem sic habet in argon.

Insequeris, casusque tuos expressa, Phalere,
Arma geris.

Hoc loco Cardinalis. Abundè probatum, inquit, unum ex Argonautis Phalerum fuisse; & illum eundem in hæc loca devectum; at Neapolim fabricasse non liquet omninò; Cui tùm ego, efficiam, ut planè constet. Et primò decantatissimum est apud veteres scriptores, Argonautas non solum in hæc loca navigasse, sed plurima etiam navigationis suæ monumenta posuisse. Idque præter Poëtas, & eum, qui ab ipsis accepit, Apollodorum, affirmat Strabo, author tùm gravissimus, tùm diligentissimus, qui libr. 1. cap. 37. sic ait. Quædam enim apud Ceraunios montes circà Adriam, in Possidoniate sinu, & Insulis, quæ Tyrrheniæ sunt oppositæ monstrantur indicia peregrinationis Argonauticæ. Est autem Possidontanus sinus idem ac Pæstanus: nam Pæstum Possidonia Græcis dictum; cui nunc à Salerno nomen à minoribus factum. Quo in sinu celeberrimum fuit Templum Junonis Argivæ, ut ait Solinus cap. 8. de Italia, quod & Junonis Phanum vocatum fuisse corruptum loci vocabulum satis ostendit. Geofunum enim vulgo Picentinorum appellatur. Præterea de Phalero ita Orpheus cecinit.

Validis posuit qui mœnibus urbem.

Quocircà cum urbium ædificator extiterit, & ab Phalero dictam Neapolim, certissimum sequitur ab eodem conditam. Insuper Papinius IV. Sylvarum ad Julium Menecratem sic scribit:

Patrii, quos auguriis super æquora magnis
Litus ad Ausonium devexit Abantia classis,
Tu ductor populi longè emigrantis, Apollo,
Cujus adhuc volucrem læva cervice sedentem
Respiciens blandè felix Eumelis adorat.

Est autem Eumelis non nisi Neapolis, de quâ Vates loquitur, nec ab alio ità nuncupata, nisi à Phalero, qui Eumelius, ut supra ex Apollonio memoravimus, dictus est: Hæc ille: Sed quid, si dicamus Neapolim Eumelidem appellatam à Parthenope, quam Eumeli Pheræ regis filiam fuisse tradunt? Cui ego: Verum istuc, & quod de Parthenopes

nopes genealogiâ, quam ab Japeto deducunt, meræ fabulæ, & siculis, ut dicitur gerris vaniores, & poëtis quidem dignæ non vero Historicis. Scio quippè Eumelum Pheræ in Thessaliâ regnasse; inque Trojam cum cæteris Græcis profectum, ut tradit Homerus, II. Iliados

Οἳ δὲ Φερὰς ἐνέμοντο παρὰ Βοιβηΐδα λίμνην
Βοίβην, καὶ Γλαφύρας, καὶ ἐϋκτιμένην Ἰαωλκὸν
Τῶν ἦρχ' Ἀδμήτοιο φίλος πάϊς ἕνδεκα νηῶν
Εὔμηλος, τὸν ὑπ' Ἀδμήτῳ τέκε δῖα γυναικῶν
Ἄλκηστις, Πελίαο θυγατρῶν εἶδος ἀρίστη

Qui autem Pheras habitabant apud Babeidem paludem
Buben, & Glaphyras, & benè ædificatam Jaolcum
His imperabat Admeti charus filius undecim navibus
Eumelus: quem sub Admeto peperit nobilissima mulierum
Alcestis, inter Pelei filias forma præstantissima.

Scio item plures alios Eumelos fuisse, ex quibus etiam Parthenopem progenitam quidam ex nostris Historicis tradunt: verùm nullus author antiquus est, qui vel ex Eumelo, qui Pheris imperavit, vel ex aliquo aliquorum prognatam fuisse Parthenopem meminerit. Quapropter, etsi verum sit, quod de Eumeli genere accuratè quidem nostri scribant; falsum tamen, quod de Parthenope addunt. Si ità, ut dicis, tùm Cardinalis, ruent cuncta illa, quæ de Parthenope Antiqui omnes scripserunt: à qua & conditam urbem, & cognominatam tàm tritum est, quàm quod tritissimum. Imò adeò à Neapolitanis culta, tantoque in honore habita, ut illi tanquam Patrio Deo sacra facere consueverint. Quod & Neapolitanorum nummi, quos plurimos apud me habeo, manifestè testantur. In his enim Parthenope isculpta est. Imò tu in tuis Bellicis lib. II. si benè commemini, hæc habes

Aurea leucopetram dederat Colomelis; & olli
Parthenope formosa parens; quæ vecta per altum,
Jonium Grais, è finibus: inque beati
Litora Crateris cum descendisset, amicis
Excepta Hospitiis, à surifluo Sebetho,
Sirenum genus Euboicis prima intulit oris:
Et molles genti ritus, & docta refixit
Otia Graiugenum, citharamque: & carmina, ludumque
Instituit circi: & doctas prima extulit artes.

Cui tùm ego: Haud equidem nego Parthenopem ad hæc litora appulisse, & positam jam à Phelero Urbem inhabitasse: imò etiam auxisse, ut nova veluti fundamenta jecisse visa sit: ita apertissimus verbis Stephanus Grammaticus tradi-

Digitized by Google

didit, accuratus cæteroqui auctor: scripsit enim ΦΑΛΗΡΟΝ ὃν καὶ πόλις ἐν Ἰταλίᾳ, εἰς ἣν ἐξεβράσθη Παρθενόπη Σειρὴν, ἣ καλεῖται Νεάπολις.

Hanc verò Parthenopem eam esse affirmo, quam Neapolitani coluere è Græcia devectam, ut ipse in meis Bellicis habeo, quæ tu modò recitasti. Fuisse verò Eumeli Pherarum regis, Admetique filii nullo modo affirmari potest. Ille verò. At si Eumelidem, dictam Neapolim à Statio ab Eumelo dicamus, non verò à Phalero, jam Eumeli Pherarum regis filiam fuisse Parthenopen manifestè consequitur: quod, ni me fallo, Historici omnes nostri opinantur. Est præterea, ut ego animadverto, non levis in ipso nomine conjectura. Nam cum Eumelis per η producat Statius, & Eumelus per ε scribatur: Eumelius autem, quod Phaleri cognomen in Apollonio per ε proferetur, vero similius est ad Eumelum, poëtam castigatissimum, non verò ad Phalerum respexisse. Cui ego: Egregiè tu quidem, & acutè. Et sanè id tibi, nostrisque Historicis, & Calderino vel in primis, cujus hoc commentum est, ex quo omnes, ut plausibile, & honorificum Urbi ambabus, quod ajunt, manibus acceperunt, quàmperlibenter concederem, si vel unum ex antiquis afferrent, qui memoriæ tradiderit, Eumelum Parthenopem generasse: quod cum nemo scripserit, natam in Calderini mente fuisse Parthenopem planum est. Cum verò ipse Juppiter non sit, hæc Minerva non placet. Contrà verò, cum dictum sit, primum authorem Phalerum extitisse, & Eumelium appellatum ab Apollonio: quod sanè ignorare Papinius, cui poëtæ visi erant, non potuit, ad hunc respexisse, non verò ad Eumelum, liquidum est. Quod verò ad literæ conjecturam attinet, haud equidem damnare ausim diligentissimum poëtam: sed quid faciliùs, quàm pro variâ dialecti ratione literam à poëtis immutari? Id adeò frequenter usu venit, ut nihil tritius sit, quàm idem verbum & correptum, & productum reperire. Hoc loco Cardinalis. Assentior, inquit, sed cedo, quænam fuerit ista tua Parthenope? An una ex Sirenibus illis, quas hæc loca, & Surrentum tuum habitasse in Halieuticis, ac Bellicis poëta fingis? Sed si ità, jam ad fabulas, à quibus abhorrebas, relaberis, inque eas incidis Syrtes, in quas alios impegisse animadvertebas. Cui tùm: Non ego adeò incautus, qui eos non videam Scopulos, in quos priùs alios allisisse cognovi. Neque adeò stultos nostros parentes puto, ut à fabulis suæ Urbi nomen, & decus accerserent: neque adeò superstitiosos, ut marino monstro, si inter maris monstra

Sirenes sunt, ut plerique arbitrantur, monumenta extruerent, statuas ponerent, ac divinos penè honores tribuerent. Quamobrem, si à fabulis est discedendum, illud affirmari commodè posse in re tàm incertâ videtur; Parthenopem, à quâ factum Urbi est nomen, veram fuisse puellam indè usque à Græciæ terrâ hùc devectam. Nam, præter alios suprà laudatos, testem habeo ejus rei locupletem Eustachium, Homeri notissimum interpretem. Quod verò pertinet ad Eumelium Patrem, nihil ausim affirmare, nisi quid præterea certioris argumenti afferatur. Equidem, ut de me candidè fatear, lubentiùs, ac citiùs quid non sentiam, quàm quid sentiam dixerim: tàm varias enim, atque inter se dissentientes Authorum sententias video, ut tandem placeat de Urbis nostræ primordiis dicere, quod de Nili fluminis origine Lucanus cecinit:

Arcanum Natura caput non prodidit ulli,
..... & gentes maluit ortus
Mirari, quàm nosse tuos.

Tùm Cardinalis; candidè, ut assoles, inquit, imò etiam prudenter; neque enim temerè pronuncianda sententia est, ubi probabile nullum suppetit argumentum. Sed tamen Eumelus ille adhùc suspensum detinet animum: quid enim dicemus in mentem tàm multis veniisse scriptoribus, ut illum Parthenopes Parentem facerent? Nam non facilè mihi persuadeo, Calderinum rem hanc protulisse primum, quæ plausu statim exciperetur, ac latè manaret in Vulgus. Ad hæc ego: mihi quidem neque novum est, neque adeò mirum, si uno ex Authore plerique omnes alii hauriant; præsertim Vulgi opinione favente. Cæterùm est quiddam, quod fortassè non absre dici possit: videlicet, Eumeli filiam dictam fuisse Parthenopem, ut scilicet soli, Cœlique amœnitas, atque ubertas significaretur: Nam Eumelus, si nominis ethymologiam spectes, est idem, ac pulchra habens poma: quidni ergo Parthenopem Eumeli filiam idcircò dictam putemus, quia Neapolis eam occupat Regionem, quæ meritò nomen duxerit ex pulchris pomis, seu malis, quibus certè Neapolitanus ager abundat? Plura in hanc sententiam adderem, nisi vererer, ne fabulas reiiciens, inciderem in allegorias. Tùm Cardinalis, imoverò, inquit, placet conjectura; atque eâ de re longiùs fortassè, ac pluribus, ubi se dabit occasio, differemus; aveo enim ex te reliqua, quæcumque habes, audire: nunc hactenus isthæc dicta sunto.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT III.

Antiquam Sacellum visitur, & describitur: mox in Phlegræum Campum itum est, de quo fusè, ac distinctè disputatum: eumque leborias esse ostensum.

QUodam manè, ut ex sereniſſimo Cœlo voluptatem aliquam hauriremus, rhedâ velociſſimâ invecti, quam ſex curſules equi ſpadicei trahebant, viâ campanâ ire pergimus. Lævâ ad occidentem Gaurus erat, dextrâ verò ad ortivum Solem Phlegræi colles fumabant. Cum verò in imminentem Puteolis clivum evaſiſſemus, in Titum Annium occurrimus; cui, præter popularem eruditionem, multa locorum circà Puteolos eſt peritia, & antiquorum temporum non mediocris cognitio. Quocircà utebatur perſæpè illo Cardinalis, & humaniſſimè excipiebat. Tùm verò, ut vidit, Indagaſtin', inquit, novum aliquod vetuſtatis monumentum, quo curioſum explere animum poſſimus? Reliqua enim, quæ iſthæc circa loca ſunt, oſtendiſti pluries, ut jam me ſatietas illorum habeat. At ille, cùm primùm ſalutem, proſperumque diem impertiiſſet, eſt, inquit, novum quid, ac recentiſſimum, quod numquam, quod ſciam, perluſtravimus. At Cardinalis: Quid iſtuc tandem? inquit. Tùm Titus: Sacellum, ni me fallo, tàm concinnè, fabrèque pictum, ut nihil ſuprà. Verùm oſtium adeò oppletum terrâ, ex proximo rure delapsâ, ut aditus ſit quàm difficilis. Præcedam tamen ego, ut vobis viam, quam potero, minus aſperam inſternam. Veniam, tùm Cardinalis, ſed vide, ut hoc labore dignum ſit iſtiuſmodi monumentum; nam ſi ſecùs, non te laude, ut aliàs feci, exornabo. Hic Titus: ſpero fore, ut me tuâ laude, quam ego unam magnifacio, exornes. Statimque è rhedâ deſcendimus, inque Sacelli oſtium pergimus: quod, ut vidit Cardinalis; num, inquit, nos in (1) Trophonii ſpecum, vel proximum Sybillæ (2) antrum introducis? At Titus: minimè vero. At contendas neceſſe eſt, ut ad erudita quæque, & viſu pulchra pervenias: nam, ut tritum illud, qui è nuce nucleum vult, frangat nucem. Cui tùm ego: eruditè quidem Titus, ut ſemper, & facetè. Mox, cum præceſſiſſet, ego ſecundus ſequor, tertius Cardinalis non ſinè labore, ac defatigatione ingreſſus Sacellum eſt. Totum igitur circà Sacellum contemplari cœpimus. Erat autem cubiculum fornicatum, inque teſtudinem factus fornix, cui duo alia ad utrum-

(1) Inſignis architectus fuit, qui ſubterraneum Fanum in lebadia conſtruxit, quod ab ipſo, Trophonii antrum nominatum eſt.

(2) Quod vulgus ad Avernum nominat: de quo Virg. 6. Æn. exciſum Euboicæ latus ingens Rupis in antrum. Rupem hanc à Coccejo exciſam ob Cimmerios, teſtatur Strabo Libr. V. Actusque, inquiens, infra Avernum Cumas uſque cuniculus.

utrumque latus adnexa ; quæ tamen partim præ vetustate collapsa, partim oppleta solo erant : medium, quod Sacellum putabatur, integrum erat, & præter ostium, vacuum omninò : cernebatur autem incrustatum crustâ cæmentitiâ levissimâ, ac durissimâ ; crusta verò in varias figuras anaglypho opere elaborata, pictaque erat coloribus elegantissimis. Erant autem alati Cupidines, qui elegantissima florum texturâ se mutuo excipiebant. Visebantur etiam amænâ pictæ amænitate Veneres, Tritones item, & Glauci, & ipse præcipuum, quasi numen, Neptunus cum suo tridente, quem niveâ invectum conchâ, cærulei vehebant hippotami ; atque ob id Neptuno sacrum censebat Cardinalis, qui, cum singula, summâ animi voluptate, lustrasset, ac Titum laudasset, in rhedam, egressi consilimus, unâ cum ipso Tito, quem apud se esse, eo die, Cardinalis jussit. Mox, eâdem viâ campanâ iter dirigere auriga jussus. Tandem, infrâ horam, in campum, cui Ad Quartum novi nomen facerunt. Hîc è curru descendimus, inque modicum cumulum, ut ex illo omnem circà regionem oculis complecteremur, illicò vadimus. Est autem æqua, & amæna planities, ovi præ se figuram ferens; quam circùm modici colles intercurrunt ; theatrum naturæ diceres, ex quo illius lusus aspicerentur. Solum summâ industriâ excultum videbatur : & cultui, industriæque hominum uberis soli feracitatem respondere : amœni etiam circùm colles, ac feraces, partim sylvis, partim vineis investiti, pectitique cernebantur. Quem campum, circùmque intercurrentes colles, postquàm attentè, curiosèque Cardinalis inspexerit, erit ne hic, inquit, Phlegræus Campus, omnium Italiæ feracissimus, atque ob id leborinus, & leboriæ appellatus? Cui tùm ego : Rem ipsam putasti. At verò Titus : Non hic (quod tamen bonâ vestrâ pace dictum volo) Phlegræus est campus : sed ille, qui in medio est Phlegræ, ut vocabulum ipsum indicium est, & eruditè Cluverius in egregio illo opere antiquæ Italiæ ostendit. Quo de campo ità Silius lib. 12.

Amæna Phlegræi campi descriptio.

Tùm sulphure, & igne
Semper anhelantes, coctoque bitumine campos
Ostentant.

Quibus in campis prostratos olim ab Hercule Gigantes ; idem cecinit, qui infrà sequuntur versibus

Tradunt Herculeâ prostratos mole Gigantes
Tellurem injectam quatere, & spiramine anhelo
Torreri latè campos, quotiesque minantur,
Rumpere compagem impositam, expallescere Cœlum.

Clu-

Digitized by Google

Cluverii vero verba, quæ jam in mentem veniunt, hæc sunt. Forum hoc Vulcani (ut illud vocat Strabo lib. v.) Phlegræus etiam erat campus: in hoc quippè veteres fabulati sunt, Herculem viciſſe Gigantes. Cui ſtatim ego: Haud equidem Vulcani forum Phlegræum eſſe campum tibi concedam. Quâ verò ratione adducar, paucis in promptu ponam. Et primò, Plinius ſecundus, lib. 18. cap. 11. ſic habet. *Quantum autem univerſas terras Campus circùm Campanus antecedit, tantum ipſum pars ejus, quæ leboriæ vocantur, quem Phlegræum Græci appellant.* Quod ſi ità non erit certò Phlegræus campus Vulcani forum, uno tantùm ſulphure fertile. Prætereà, ut ait Polibius lib. 3. *Eſt Campanus ager (& de Phlegræo præcipuè loquitur) & copiâ rerum, & fertilitate regionis, & amœnitate, ac pulchritudine. Loci excellentiſſimus: nam, & litore maris poſitus eſt, & eò ex univerſo terrarum orbe venientes in Italiam innumeræ gentes confluunt.* Ex quibus liquidò conſequitur, minimè ad Vulcani forum reſtringendum Phlegræum campum, quem etiam circa Veſuvium eſſe. Diodorus Siculus ſcripſit; nempè veteres Hiſtorici, ac Poëtæ nobilem quemque campum Phlegræum vocavere. Tandem Strabo, cum dixiſſet, cumanum agrum, Phlegram à quibuſdam appellari, iſta adjunxit: *Quæ de Phlegræis campis fabulantur; ac re ibi cum Gigantibus geſta, non aliundè videntur orta, quam quod eam regionem ob ſoli virtutem multi certatim ſibi vindicarunt.* Quod ſi ità, hic erit Phlegræus campus, non verò, ut tu Tite arbitraris, Vulcani forum. Hoc loco Cardinalis: Eruditè, ac dilucidè Parthenius, ut ſæpè ſolet. Habes ne, quod opponas Tite? & ille: Habeo: opponamque Parthenio Parthenium ipſum. Habet enim in eo Bellicorum fragmento, quod lib. 3. cap. 2. Æſtatum Surrentinorum præmiſit, & quod tu meritò laudaſti, hæc inter alia, quæ de Campaniâ commemorat à Vulcano in Bellico tormento inſculptâ

Inde Dicarcheos nitido cælaverat ære
Egregiâ Deus arte ſinus, urbemque Dicarchi:
Deſuper in cono fumantem vertice Phlegram,
Vulcanique forum præcinctum rupe: Miniſter
Multus ubi nitrum, Sal, Sulphura viva coquebat!

Jàm igitur, ſi in medio Phlegræ Vulcanum forum eſt, erit hoc idem Phlegræus Campus, à quo Strabo non diſcrepat, qui ità ſcripſit lib. v. Geographicorum: *Rectâ ſuper hanc urbem, nimirum Puteolos, ſitum eſt forum Vulcani; campus circumquâque incluſus ſuperciliis ignitis, quæ paſſim, tamque è caminis, incendium magno cum fremitu expirat.*

ſpirat. Campus autem ſulphure fictili eſt plenus. Hîc Cardinalis : At tu non vides, Phlegram, quæ mons eſt, à Phlegræe campo diſtingui? At Titus: ſed ſi ità, quo pacto Phlegræus hic appellatur, quando non ex eo, ſed á Phlegrâ, Vulcanique foro ignis expirat, ut modò dicebat ſtrabo? Quia, tùm Cardinalis, nobilem quemque Campum, Phlegræum Græci appellarunt: ſic Polyb. lib. 3. Campum Capuanum, Nolanum, & circà Veſuvium eſt, Phlegræos vocat. Quod idem ſcripſit Euſtatius Dionyſii Periegetis non ignobilis ſcholiaſtes, cujus, ni me fallit memoria, hæc illius ſunt verba: *Æmulatur hæc tellus, nimirum Campania, ob ſui præſtantiam, ac propterea de eâ contenditur.* Hinc fertur, in eâ Phlegræum eſſe Campum, quæmadmodum eſt in Thraciâ: eadem, quæ de Gigantum pugnâ in Thraciâ, ibidem, quod opportunus oppugnationi locus ſit, contigiſſe fabulantur. Eſt & Phlegra in Siciliâ, non ob ſimilem cauſam ità dicta, ſed quod igne, & calidis aquis abundat. Ex quo conficitur manifeſtè, non ab incendio hunc Phlegræum olim campum nuncupatum. Hinc ad me intuens, Putaſne, inquit, ex hoc olim campo ignem erupiſſe; unde & Phlegræus, ob id vocari ab antiquiſſimis Græcorum potuiſſet? Cui ego: Ajo enim vero; atque ad ità opinandum eo præcipuè adducor argumento, quod quidem aptiſſimum eſt. Plurima in (1) hâc circùm regione loca, quæ id temporis nullum præ ſe ignis veſtigium ferunt, diverſis temporibus exarſerunt, ut Ænaria, Proclyſe, quæ & Pithacuſæ dictæ veteribus fuere, quæ cum à Siculis occupatæ eſſent, relictæ mox ſunt, quod incendio conflagraſſent: Imò incendio primò exortas fuiſſe, Author eſt Plinius junior, qui lib. 2. cap. 88. hæc habet: *Pithecuſas in Campano ſinu ferunt ortas: mox in his montem cùm repentè flamma ex eo emicuiſſet, campeſtri æquatum planitie: in eodem oppidum hauſtum profundo, alióque motu terræ ſtagnum emerſiſſe, & aliò, provolutis montibus, Inſulam extitiſſe Prochytam.* Pindari item Scholiaſtes in primâ Pitiorum ode, hæc de iiſdem ſcripſit: conſtat, tùm ipſam Cumam ignem emittere; ſed quæ Proſtyla (hic mendus, inquit, ſcribendumque Prochyta eſt) vocatur, quam etiam Pithecuſas appellant. Prætereà exarſit (2) Gaurus, ut ex veteri famâ, præruptoque ipſius ſinu, atque enato circùm colle liquidum eſt. Flagravit etiam lucrinus, ipſoque exhaulto, novus mons enatus. Quocircà exarſiſſe etiam Phlegræum Campum eſt oppidò veriſimile. Imò haud longè a veritate diſcederem, ſi hîc loci montem olim extitiſſe affirma-

rem,

(1) Alia ſtrictim loca recenſentur ignem emittentia,

(2) Tres, hoc nomine, montes appellatur. Primus, qui ad Maſſicum propè Minturnas, ſueſſamque ſurgit; de quo Liv. lib. 7. Dec. 1. Secundus, qui Stabiis imminet, de quo Silius: illic Nuceria, & Gaurus navalibus apta. Tertius, qui Puteolis eſt ad Avernum, quem Barbarum nominant.

Digitized by Google

rem, eum adnexum Gauro fuisse, quo mox igne excusso, planitiem istam, collibus hisce, qui radices sunt illius montis, præcinctam, apparuisse. Hic Cardinalis: Non inverisimile quidem certè. Et fortasse de hisce locis locutus est Cornelius Severus, cum cecinit in sua Ætna

Neapolim inter,
Et Cumas locus est multis jam frigidus undis,
Quamvis æternum pingueſcat ab ubere sulphur
In merum legitur...

Cui tùm ego: Prævertisti cogitatum meum; istuc enim jam ibam. At Titus: Tenetis, inquit, cur id ætatis, ad Quartum dicatur? Cui tùm Cardinalis: Ad id non opus est Vate: Quarto enim Lapide abest Puteolis. Ad me verò, Cedo, cur Leboriæ, sive Laboriæ, & Leborinus Campus Latinis appellatus? Cui ego: Ignota hujusce vocabuli origo apud Authores. Ego, ut dicam quod sentio, à lepore, amœnitateque loci leborinum dictum autumo; nisi velimus à labore, quo perpetuò exercentur in ejus cultu agricolæ, laborias nuncupatas. Undè & tota Campania Minoribus laboris tellus vocitatur. Et quoniam in hoc nomine sumus, afferam alterum argumentum, quo hunc ipsum esse Phlegræum Campum, ac leborinum confirmem. Ait Plinius: *finiuntur leboriæ viâ ab utroque latere consulari, quæ à Puteolis, & quæ à Cumis Capuam ducit; harum prima est hæc campana, quâ venimus, quæ per orientale Gauri latus excurrit; altera vero per orientale ejusdem latus in Capuam incidit; deindè una, eademque Capuam in antiquam ducit.* Quod si ità, cum inter has vias, hic campus situs sit, jam ipsissimus Phlegræus, ac laborinus erit. Quinimò, si ipsius situs spectetur, & quo de ipso idem Author memoriæ tradidit, haud equidem dubium ullum erit, quin illum ipsum esse credamus: ait enim: *Campus est subjacens montibus nimbosis totis; quidem XI. millia passuum planitie: gratiâ terræ ejus. (Ut protinùs soli natura dicatur) pulverea summa, inferior bibula, & pumicis vice fistulans. Montium quoque culpa in bonum cedit: crebros enim imbres percolat, atque transmittit, nec dilui, ac madere voluit propter facilitatem culturæ. Eadem acceptum humorem nullis fontibus reddit, sed temperat, & concoquens, inter se vice succi continet. Seritur toto anno: panico semel, bis farre, & tamen segetes, quæ irrequievere, fundum rosâ odoratiorem sativâ: adeò terra non cessat parere; unde vulgò dictum: plus apud campanos unguenti, quàm apud cæteros olei fieri.* Cum verò, & hujus situs, & mi-

& mira fœcunditas, his à Plinio ſcriptis conſentiant, quis ultrà ambigat, hunc campum leborium eſſe? Nullus, inquit tùm Cardinalis: imò, ni me fallo, de hoc eodem campo locutus eſt Dioniſius Halicarnaſſenſis libro 1. cum dixit: *cui enim Frumentariæ terræ cedunt campi, qui vocantur campani? qui non fluviis, ſed aquis cæleſtibus irrigantur, in quibus ego vidi, arva vel trifera ſementem æſtivam poſt hybernam, & autumnalem poſt æſtivam, ſemen nutrientia.* Cui tùm ego: ita verò; imò Strabo libro V. *traditum*, inquit, *memoriæ eſt, quædam campaniæ arva toto anno conſeri: bis Tritâ; tertiùm panico; quædam etiam quarto ſatu olera producere.* Quod etſi commune ſit aliis campaniæ arvis; ſpeciali tamen prærogativâ Phlegræo convenit. Aque hæc ut dicta, in currum redivimus, ac Puteolos verſus Auriga iter corripuit.

CAPUT IV.

Propempticon Philippo Anaſtaſio Surrentino Antiſtiti meritiſſimo ſcriptum, Hoſpitibus Fannio, & Marco petentibus recitatum.

VI. Kal. Januarias dies illuxerat ſanè quàm lætus; nam & innubis Cœli facies, & nullâ ventorum agitatione commotus aër, & omnia placidiſſima. Cum Balbus ad me, ſatis, inquit Parthenie Muſis datum; cenſeo tandem manum de tabulâ; niſi aliter tibi videtur. Cui ego: benè mones Balbe; atque ipſe paria tecum ſentio: ſed quo in opere, quod ſuperat temporis ad prandium inſumemus? Placet ne domo pedem efferre in apricum aliquem locum? Opinor: ſic enim deambulantes more majorum, ſimul etiam prandio condimentum ſuaviſſimum de viâ retulerimus, famem. Et ille; tuus eſt arbitratus, non abnuo, quamquàm ad hoc obſonium comparandum, ambulatiunculâ mihi quidem opus eſſe judico, tibi non item, cui nempè Cœna tenuis heſterna ſatis ad eam rem eſſe poteſt. Equidem haud ſcio, an alius vivat hodie mortalium omnium, qui ſit tàm minimi cibi. Tùm ego: vera prædicas, Balbe, ſic ſum, & indè uſque ab adoleſcentiâ morem hunc ſervo; neque pœnitet. An aliter cenſes, potuiſſe me tàm multam in ſtudiis operam collocare? Ad hæc, ut morum ſimplicitas, ità menſæ frugalitas in vitâ mihi ſemper cordi fuit: Noſtin' illud, quod ex Heraclyto Galenus recitat Ψυχὴ ξηρὴ σοφωτάτη, imò voluptatem illinc exiſtere majorem affirmo, quàm è ſumptuoſis illis Apiciorum cœnis. Ain'verò? Ad hæc Balbus:

buſ : tū quidem cum atticè ſcribas, tamen cœnas laconicè, ſat ſcio : ſed quam hic narras majorem voluptatem, ea undè ſit, non ſatis pervideo : illud novi, homines vulgò ſentire alia omnia ; niſi fortè tu nunc è mediâ Platonis Philoſophiâ hauris. Imò vero, inquam, nihil, niſi quod res eſt, loquor. An tu, obſecro, pluris horariam voluptatem duxeris, quàm quæ duret etiam in poſterum diem? non opinor : At qui ſuccenturiatis cibis implentur ad ambas uſque aures, & invitant ſe ſe in cœnâ pluſculùm : ij quidem fortaſſis eo tempore ſuaviter afficiuntur, ſed poſtridiè capitis gravedine, ac ſtomachi cruditate pœnas luunt: contra ea, qui apparatu facili contenti, naturæ quod ſatis eſt, apponunt, ij non modò unam voluptatem capiunt ex præſenti virium refectione ; ſed alteram quoque poſtridiè, cum neque dolet caput, neque crudus eſt ſtomachus; & præterea prandent etiam ſuaviùs ex condimento cœnæ pridianæ. Sed ceſſamus egredi ? Dum hîc verba facimus, it dies. Non ſum in morâ, tùm Balbus : atque illicò viam carpimus ad orientalem plagam, ſermone vario, ut fit, inter eundum nos oblectantes. Jamque alterum fermè ſtadium proceſſeramus, cum ecce tibi occurrentes obviam è noſtris ſodalibus duos mihi familiariſſimos, Fannium, & Marcum, qui per eos fortè dies in proximâ Villa, cui nomen à planitie factum, degebant animi causâ. Ubi nos mutuò ſalutavimus, atque illa communia diximus, quæ dici in primo hoſpitum congreſſu ſolent ; Ad te, inquit Fannius, commodum ibamus, Parthenie; quare ſic te nobis obviam factum in itinere ipſo, volupè eſt quàm quòd maximè; pluſculùm enim aliquanto frui tuâ conſuetudine datur, ſic quaſi in anteceſſum. Tu verò, inquam, Fanni, pro tuâ in me humanitate bellè, ac benignè, ut aſſoles : At, quoniam hoc jam eſt diei, capiamus Balbe vorſoriam, atque unà hoſpites deducamus domum : eſt præterea quod ibi curetur ; ne quid officii deſiderent ſodales peregrè advenientes. Tùm Fannius : mitte, inquit, curam hanc Parthenie ; Si nos amas, nihil hodie paraveris, præter quotidiana : noſtrâ causâ diem feſtum nolumus : tui nos deſiderium huc agit; id nobis eſt ſatis; atque ob eam rem ſic de improviſo adeſſe placuit. Cui ego: bona verba; tu, quæ modeſtum, cordatumque virum decent, Fanni, loqueris ; me verò, quæ amicum decent, & benevolentem, facere oportet. Sed quid ais? Balbe, quin properans præcurris domum tu, dum nos interea otiosè, ac lento pergimus gradu? Tùm ille : Siquidem tu ità vis, præcurram: Sed quid eò? Rogas? inquam, ut pares hoſ-

pitium, & lautia, quantum poteſt; tùm ſi quid obſonato eſt opus, ut procures: atque audi, cave ſis hodie nobis parcus, aut te rauduſculum moveat: ſumptus in loco minimè perit; quanti quanti, benè emitur, quod neceſſe eſt. Balbus verò, dictum ſatis, curabitur, jam illic ero. Sub hæc, grandiore ſtatim gradu pergere occæpit: vix autem aberat paſſus aliquot; cum ecce rurſum ad nos quaſi poſtliminio, revertitur; atque unâ ſecum Puer quidam obviam factus eunti, tùm ad me; Superi nobis, Parthenie, benè volunt, inquit, nam & benignè faciunt: hem! vide ſis, num res evenire potuerit magis in tempore ipſo? dum eo, fit obvius hic Puer: de te rogat, habere ſe, quę tibi tradat ab hero ſuo munuſcula. hò! benè eſt, inquio; næ tu viæ feciſti compendium: non longè is abeſt, ſed ì mecum; Dux ero, & hominem adeò conventum mox dabo: atque Eccum adduxi: Ciſtellam affert, quæ quidem literata eſt, atque abs ſe cantat cuja ſit: reſigna quæſo epiſtolium, ut noris quid velit. Tùm ego reſeratum perlego in hæc verba conſcriptum.

Philocarus Parthenio. S.

Maxima tibi Parthenie habetur à me gratia, qui tuis me verſibus beaſti: noli quærere, ut placuerint: illos ego non ſemel, ſed iterum, ac ſæpiùs reguſtavi; atque id fuit in causâ, cur non antè hoc tempus remiſerim. Nunc verò unâ cum carmine piſces aliquot à me recipies, mullos videlicet, ac ſoleas, à quibus non abhorrere te novi: Ecquid ſatis lepidum videtur hoſtimentum, pro canoris cygnis mutos piſces referre? Sed me tecum agere ſic familiariter, tu pro tuâ humanitate boni conſules: nempè hoc, quidquid eſt, moram fortaſsè purgabit apud te meam; certè grati animi ſignum aliquod exhibebit. Vale.

Finieram: cum Fannius, laudo, inquit hominis judicium, laudo etiam munus, utrumque opportunè: ut video vir eſt, & ſapit pleno pectore; ſiquidem & Muſas amat, & Poëtis benefacit, nec linguâ ſolum, ut vulgò fit, verùm & manu plaudit: ſcin' quod dico? Tùm ego, intelligo: Balbus verò, nunc ego, inquit, Parthenie, quoniam obſonatum eſt ſatis, rectà domum præcurro, ut videam de prandio; atque ut hunc diem hoſpitum causâ luculentè habeamus: numquid vis aliud? Cui ego: nihil, niſi ut omnia rectè, & ordine fiant: benè ambula. Sed audin? mox ubi domi eritis; Puero iſti, ne ſuam ſibi queratur operam periiſſe, comiſtrum dato: I modò. Interea loci, dum ille abit; amabò te, inquit Marcus me intuens, quid iſthuc eſt carminis, quo de mentio facta eſt

in

in epistolâ ? Numquid recens aliquid à te cusum ? scire aveo, si molestum non est. At ego : Propemptikon est, quo Surrentinum Archiepiscopum Romam proficiscentem, ut potui, sum prosecutus : debebam hoc homini de me semper optimè merito : debebant hoc Musæ Viro, bonarum artium amantissimo, atque in primis erudito (1) : nec planè aliud erat officii genus, quod à poëtâ, atque adeò à me id jam ætatis posset expectari. Audio, subjecit Marcus ; verùm sines nè te modò exorari, ut, aut nobis carmen recites, si memoriâ tenes ; aut exemplum saltem exhibere velis ? Mihi quidem hodie rem nullam feceris gratiorem : scis quantoperè tuis ego soleam versibus delectari ; neque minus idem cupere arbitror hunc Fannium : & ille, rem ipsam putas ; imò nisi tu Marce præloqui occupasses, isthuc jam oratione ibam. Age igitur, Parthenie, & quam exteris indulges liberaliter voluptatem, eam nobis invidere noli. Tùm ipse : honesta oratio est ; nam cur vobis hoc non gratificer ?, Nostis planè qualis ego sim ; rogari diù non sustineo ; nec verò æquum facerem. An illud mihi etiam cavendum censeam, ne gloriolam captare videar ? Vah ! non isthæc mihi cautio est, ubi cum amicis apertè, simplicitèrque agitur. Quoniam ergo ita vultis, morem hunc vobis geram non gravatè ; sed puto commodiùs domi : brevis est via, mox ibi erimus. Assensit uterque : statim verò ac domum nos recepimus ; memineris, inquit Marcus, quod modò pollicitus, Parthenie : locus monet, ut dictis maneas. Tùm ego : æquissimum postulas : consîdamus igitur, atque hoc agite : tùm de scripto sic recitavi.

(1) Patetè hic de laudibus meritissimi Antistitis, qui & ingenuis moribus, & eximiâ doctrina inter hujusce ætatis viros sapientissimos jure meritò recensetur.

Vos ego, cunctarum pelagi, terræque viarum
Concessum quibus imperium, perque invia mundi
Ducitis ignaros homines, vos Numina quæso
Sternite molle fretum, ventumque à puppe Philippo
Mittite, si placeat celeri freta findere puppi,
Tendite, & optatum Tyberina ad flumina cursum
Blandisonis circùm perludant flatibus auræ :
Rideat & subter crispatum leniùs æquor :
Innubi micet igne super, frænisque serenis
Urgeat auratos currus Sol aureus. At si
Plurima Neptuni tentare pericula nolit,
Et terras amet, & terrestrem carpere cursum
Sternite molle solum, Divi, dextroque præite
Auspicio : sentes removete, ruboseque malignos,
Non æquos lapides, & saxa nocentia plantis
Tollite de medio ; firmate & lubrica ; eunti
Ne mora sit, trepidoque labent vestigia gressu.

Digitized by Google

Non rigidi perflent venti, non humidus Auſter
Imbriferas glomeret nubes, reſonetque procellis;
Temperies ſed amœna Polo præluceat alto.
Et tepidi, placidique dies, & Luna ſerena:
Et Charites currum comitentur, & agmine pleno
Effuſæ circùm ſtipentur Apolline Muſæ.
Nam Surrentinæ decor eſt, & gloria terræ,
Et vitæ pars magna, ſalutis & una Philippus;
Præſide quo nitidi mores, pietaſque, fideſque,
Ingenuæque virent artes, ſemperque virebunt;
Ut non antiquis noſtra hæc majoribus ætas,
Non ſæclis unquam poſt inviſura futuris.
Sed jam Parthenopes regalia mœnia linquens,
Veloci invectus curru capit æquore lato
Campanum levâ callem, clivumque recurrit,
Aſcenſu facili, qui proximus imminet urbi:
Te ſocium, comitemque trahens, qui Pæonis arte
Multùm, (1) Pica, vales, ſolituſque potentibus herbis
Jam conceſſuros Orco deducere in auras;
Eloquioque potes, facundo & plurimus ore;
Scilicet ut curas, & tædia longa viarum
Sublevet, & doctos ſermones inter eundum
Poſſit habere, ſuper Cœlo ſeu dicere, terris
Seu placeat ſuper, aut igne, aut fluido elemento:
Seu potius commenta virùm memorare priorum,
Geſta vel Heroum, quæcumque Annalibus inſint.
Sed jam te (2) Clanius, lentâ qui labitur undâ,
Et virides multo ſubtexit gramine ripas;
Atque novæ excipiunt (3) Atellæ: Hic verſibus illæ
Antiquâ in Scœnâ cuperent tibi plaudere: cunti
Ni foret ingratum cepto ſubſiſtere curſu;
Attamen à longè ſubſultant plauſibus. Et jam
Campani (4) regina Soli te mœnibus amplis
Excipit, & grato Seplaſia perflat odore:
Sed non te fortem mollire ſuavibus herbis,
Ut quondam invictum poſt tot certamina Pœnum
Annibalem fregit: veteris vaſtiſſima Circi
Tu monumenta vides, miraris & acta priorum;
Urbis & officium laudas; ſed protinus acri
Antevolas curru, revocaſque ad penſa jugales:
Hi celeres, lætique viam per lata volantes
Æquora corripiunt: credas tàm præpete curſu
Aut ſe Solis equos, aut velle laceſſere ventos,
An forſan Solem ſe ſe vectare putabant.
Intereà (5) Auruncos, viridique in colle Sueſſam

Præ-

(1) Michael Pica, nobilis medicus, & Parthenii amiciſſimus.

(2) Vulgò Lagno, amnis paludoſus juxtà Atellam, & Linternum decurrens.

(3) Oppidum fuit oſcorum in Campaniâ, ubi grande Amphitheatrum erat. Unde Atellanæ comœdiæ Joculares, & ſcurriles vocantur.

(4) Capua nimirum, totius olim Campaniæ urbs præſtantiſſima, quam vulturnus amnis interfluit.

(5) Vetuſtiſſimi latii populi, Auſunci dicti, ab Auſuncâ Urbe, de quâ Plin. lib. 3 cap. 5.

Digitized by Google

Prætereunt, avidique petunt tua flumina, (1) Liri;
Et quanquam lato descendas plurimus alveo,
Expectare ratem non passi, ad munia saltu
Se se præcipi[illegible] misere; atque ilicet alti
Adversam fluvii ripam tenuere: patentes
Indè terunt Campos, & pinguia rura (2) Falerni.
Verùm defessos (3) Tartessi in gurgite currus
Cum Sol immergit, lucemque reducit ad indos,
(4) Formiæ, & antiqui te Tulli (5) villa recepit:
Hîc longâ defessa viâ dum membra quietem
Accipiunt, tu clara loci monumenta vetusti
Commemoras, doctusque adjungit plurima Pica.
At ferrugineus primos dum Lucifer ortus
Devehit, atque rosis Aurora innectitur, auroque,
Ascendis currum, tendisque ad divitis arces
(6) Anxuris, & multo Pontinas amne paludes
Implicitas superas, quas frustrâ haurire Latini
Tentarunt: Immota manent, quæ condita Fatis,
Neve homini mutare licet. Petis inde Piyernum,
Non æquum ascendens saxoso tramite Callem;
Hîc tibi Nympha loci, turbâ comitata Sororum,
Obvia progreditur, plausuque admittit ovanti,
Tu meritas Nymphæ tanto pro munere grates
Persolvis, murumque simul, tectumque subintras.
Hîc postquam officiis satis est pro munere factum,
Adjunctos curru, & mandentes fræna jugales
Solicitas: actutum illi declivia Clivi
Corripiunt, ipsisque volant velociùs Euris.
Pica sed interea Circææo in vertice Sylvas
Monstrat inaccessas, ubi (7) Circe, filia Solis
Degit, & herbarum succis in mille ferarum
Incautos vertit formas, vinclisque coercet, (8)
Tu Rutulos contrà campos, fontemque Maricæ,
Antium & antiquum ostendis, quæque arva latini,
Quæ Volsci tenuere olim, quoque Ardea colle
Imposita, & priscos memoras ex ordine Reges.
Sed jam prona dies fulvos vergebat ad Indos,
Cum te Vellitræ muro excepere vetusto,
Lætitiâ effusæ persultant hospite tanto:
Esse suum vellent, certantque tenere; sed ipse
Surrenti memor, & charæ telluris avitæ,
Instas, & magnam cursu contendis ad Urbem,
Principis ut tandem contingas limina Divi,
Votaque majorum sacro te more rèsolvas.
Sed te magnifici teneat ne pompa theatri,

Neve

(1) Fluvius propè Minturnas oppidum.

[2] Mons Campaniæ, ubi vinum valdè bonum nascitur, quod Falernum à loco dicitur.

(3) Oppidum in fine Hispaniæ, juxtà Columnas Herculis alio nomine Gaddir.

(4) Campaniæ Urbs, olim Lestrigonum sedes, juxtà Cajetam.

[5] Celebris Ciceronis villa in Arpino sita.

(6) Oppidum Volscorum alio nomine Terracina sic dicta à Jove Anxurio, qui ibi colebatur barbatus, & intonsus.

[7] Filia Solis, & Persæ nymphæ, quæ habitans in monte Circæo, tunc insula circa campaniam, homines ad se venientes carminibus, & veneficiis in varias bestias mutabat.

[8] Dea littoris Minturnensium, juxtà lyrim amnem.

Digitized by Google

Neve ſacri alliciat majeſtas ampla Senatus;
Illa tuæ dudùm virtuti debita quanquàm,
Sed noſtri potiùs teneat te cura, precamur.

Finieram: cùm Balbus, Euge, inquit, Parthenie; miſſas pauliſper Muſas facite, ſi placet: accedite ad gratias Sympoſiacas: nolim prandium corrumpi, dum moras nectitis. Si quid prætereà Fannio, & Marco ſuper eloquenti Carmine videtur, commodiùs proferent ſuper menſam. Tùm ego: æqua poſtulas, inquam Balbe; atque omnes illicò ſurreximus accubituri.

CAPUT V.

Familiari confabulatione datur anſa recitandi Carminis de D. Ignatio Loyola,

A' Meridiano ſomnulo, precibus, ut meus eſt mos, ad Deum fuſis; tùm quòd ejus diei reliquum erat ſacræ pſalmodiæ penſo jam abſoluto, Balbum convenio, adhùc ſomno indulgentem; quo excitato, ohe, inquam, etiamne altùm dormis? age modò, eripe te lectulo. Ecquid meminiſti de potu mexicano, quem prædixeram in hanc horam præparandum, ut ſtatim à quiete poſſet hoſpitibus apponi? Tùm ille: præſto ſum, inquit, ſine modò, ſomnum ex oculis excutiam planiſſimè; faciam ut in me mora non ſit: quamquàm nemo nos inſequitur, qui feſtinare compellat: nam quod ad hoſpites attinet, noli vereri ne improviſi ſuperveniant; nempè laſſi de viâ, tùm benè pranſi, quiete indigent paulò prolixiore: nec verò arbitror, eos, perindè minimi ſomni, ac te eſſe ſcio: niſi tu fortaſsè conjecturam aliorum ex te vis facere, quòd non eſt æquum; ſuo enim quemque metiri modo, ac pede, lex eſt veteri jam verbo tradita. Cui ego: ſapis Balbe, qui tuam ipſius deſidiam ut defendas, tàm belle philoſopharis: at vide, ne potiùs in te quadret, quod de me nunc ſuſpicabaris. Videlicèt, inquit Balbus. Et ego: tu manè quidem ſolitus in multam lucem ſtertere; à prandio verò, poſtquàm ſeſquihoram indormiſti, vix divelleris à nido tepefacto: ob eam rem facilè tibi perſuades, eandem aliis eſſe vitæ rationem, quam ipſe ſequeris. Verùm age ſis, move te ocyùs, & quæ feciſſe jam oportuit, appropera: ne poſtmodùm ſis nobis in morâ: tuam enim ipſe Philoſophantis ſapientiam hectæ fecerim; niſi ſtrenuè gnavus in loco ſis, atque ubi res poſcit. . . . . Verùm intereà dum ſermones cædimus, ecce tibi Fannius, qui ut erat in pro-

Digitized by Google

proximo ; facilè potuit confabulantes inaudisse ; siquidem evigilaverat. Is autem, jubeo Parthenium, inquit ; Cui ego oh salvus sis Fanni : satis ne placida tibi quies contigit : & commoda ? Et ille : sic satis. Tùm ego : hem Balbe respice ; salutem tibi Fannius impertit antè expectatum : quid tu taces, quasi Mercurius supervenerit ? Animadvertis, credo, quàm non constet ratio tibi malè nuper supputata. Ille verò : ludis tu nunc me, inquit, Parthenie ; sed hâc in re nego me dignum esse, quem ludos facias : ego enim neque imprudens conjector fuisse mihi videor, qui ex eo, quòd plerique assolent hominum, conjecturam feci ; neque iniurius Fannio dici possum propterea quòd, ipsum seriùs aliquanto evigilaturum prædixi ; cum eundem non nihil ex itinere delassatum existimarem : certè sopor fessis dulcissimus esse consuevit, ut Poëta notat in Bucolicis. At, at, subdidit hic Fannius, de meo erant capite comitia scilicet ; cùm ipse in medio sermone interveni, ceu Lupus in fabulâ. Cui ego : rem tenes, inquam : & præterea quid in ipsis actum sit comitiis tenes : Balbus noster hoc agebat, ut, ne comperendinator desidiosus audiret, de repentè conjectoris, ac Philosophi personam sustineret. Fannius ad hæc : Lepidum sanè consilium ; Balbum tamen aio rectè opinatum : sic enim usu venit plerisque ; imò iis præsertim, qui studiosos inter nomen suum profiteri amant ; fortassè ut valetudini, quâ utuntur ferè imbecillâ, consultum eant. Vera narras, inquam ego ; mentis enim organa ciborum vaporationibus gravata damnum facient, nisi functionibus animi paulisper intermissis, vacare quodammodò sinantur : ad hæc, minimè tutum esse docent Medicorum filii, si spiritus ab officinâ stomachi, concoctionem peragentes, ad superiora evocentur. Verùm ut ut est, mihi brevis à prandio somnulus est satis : & miseret eorum, qui dum, binas, aut etiam ternas quotidiè horas perdunt somno, certè non exiguam vitæ portionem sibi resecant : scio plerosque causari consuetudinem ; sed me, cùm aliter assueverim à puero, nulla sui juris fecit diutina consuetudo. Optimè tu quidem subjecit Fannius, quod enim dici solet, magnum vectigal parsimonia, mihi longè maximum videtur esse in temporis, ac vitæ dispensatione : tùm rei bonæ consuetudo semper est optima. Sed addam, quod ego factitare soleo, dum cubo dormiturient : ne qua enim vigiliæ pars frustrà pereat, libellum aliquem in manus, ut quemque fors obtulit, assumo ; atque ità somnum opperior, imò potiùs invitare videor, qui sic illectus, furtim illabitur, suaviterque ; tùm quasi pro imperio dicat, Claude librum,

Brevis post prandium somnus concoctioni per quàm utilis : nimius nocet.

Laudabilis non nullorum mos, qui amœniorum librorum lectione somnum opperiuntur.

Digitized by Google

libram, continuò sensus opprimit, victorque jacentem detinet ad horam fermè dimidiatam; mox mihi me, libroque reddit officiosè, atque in tempore abscedens. Balbus ad hæc subridens, Poëticæ cujusdam indolis, ut apparet, narras tu somnum Fanni: sanè quidem gratulor! Nam quid ita? inquit ille: & Balbus, quia poëticis quibusdam coloribus expressum ipsum à te video; & præterea poëticum nescio quid inclamare visus est illis vocibus, *Claude libram*: jisdem enim verbis initium canendi, factum nuper à Parthenio memini, dum Carmen de D. Ignatio Loyola scriberet: quare non à cimmeriis antris, verum à bicipiti Parnaso tuum istum advenire somnum autumo. At ego, cum animadverterem sermonem in longum trahi; Balbum contuens rogavi, utrum sibi placeret, ut nos colloquendo, sic diem duceremus totum, an potiùs quod facto erat opus ipse expediret? jam enim & Marcus evigilaverat, à quo cubiculi fores crepuisse, intentis eò auribus, acceperam: & jam ipse foras ad nos prodibat. Hæc audiens Balbus, nè responsionis quidem morâ interpositâ, de cœtu se, bonâ cum veniâ, subduxit, mandata, ex condicto executurus: tamen dum iret venienti Marco quiddam ad aurem insusurravit: Vix dum ille discesserat, cum ad me Fannius: equidem Partheniæ, non temerè verba illa ex tuis versibus esse à Balbo memorata puto, neque si putem, patiar sic abire: Carminis illius audiendi nunc ex te vehemens mihi incessit cupido; nec verò desinam molestus esse, nisi recitaveris: atque ecce tibi commodum alter auditor Marcus, pro quo non dubito sponsionem facere. Imò verò, Marcus inquit, sponsore nullus egeo, cum ipse adsim, ac fatear, me carminis desiderio non minore teneri: quin hoc eram, vel Fannio tacente, Parthenium rogaturus. Tùm ego: nempè hoc illud est, Marce, quod Balbus admoto capite in aurem dixit, nec dubitem pignus deponere, si non divino: At intelligo quid ille spectet: videlicet, nè fortè ipsi moranti succenseamus, id consilii ratus est optimum, si qua interim occupatione vobis, ut putat, non injucundâ, fastidium expectandi levaretur. Verùm si me auditis, commodius in hypætrâ spatiabimur colloquentes, omissis versibus: quid enim censetis? Exciderunt illi mihi subito quodam calore paucis ab hinc diebus, ut familiari cuidam requirenti gratificarer; vestras tamen aures, mihi credite, reformidant. Spatiemur, si placet. Respondit Marcus; at Carmen interea omitti nolo. Quid enim? Cum unius amici gratiâ tu, Parthenie, scribendi operam sumpseris,

nunc

nunc duobus ut gratum facias, operam recitandi, certè leviorem, non sumes? atque hoc idem cum urgeret Fannius, ego, nè vel inurbanus, vel fastidiosus viderer; adeste, inquam, igitur, quando ita vultis, nam versus memoria teneo, cum neque multi sint, & recens admodum facti: deinde sic occepi.

DIVVS IGNATIUS

In primo Literarum Studio, amandi Verbum inflectens:

CARMEN.

Laude librum Ignati, quid amandi nobile Verbum
Ulterius relegis? speciosa vocabula, Amorem
Quæ resonant, non aptè oculis, sed mente leguntur.
Verba satis didicit, qui Verbum Patris amavit,
Unum est, mente piâ non declinabile nomen,
Nomen adoratum superis, Ereboque verendum.
Huic studeas, Orbe hoc toto proferre memento.
Ergo age, claude librum, & cor omni pande Magistro.
Ille sed intentus studio, nil carmine nostro
Flectitur, igneſcunt oculi, insolitusque pererrat
Ora rubor, fixusque in libro vultus inhæret.
Forsan grande aliquo divino percitus æstro
Arcanum cœleste legit, ceu sæpè legendi
Antè dedit Deus, & cordi blanditus amanti est.
Siste: importunos hortatus Musa coerce,
Dumque ille Ætherei secreta ediscit amoris,
Nos, patefacta aliis arcana, referre juvabit.
Mollibus admixtus pueris, teneræque catervæ
Ævo dissimilis, simili sed mente, sedebat
Divinos animo pascens Ignatius ignes:
Et pensum puerile trahens tractabile certis
Ordinibus vocum, verbum evoluebat amandi.
Dumque redit toties menti nota dulcis amoris
Et flammas alit, & sacro depastus ab æstu
O' amor, ajebat, cordis doctrina beasti;
Dulce ministerium, & mihi non variabile Verbum!
Jam tædet, parvo inscriptum te cernere libro;
Et tantum in mediis tua verba agnoscere chartis.

Digitized by Google

O' ego si fierem liber, in quo littera nulla
Extaret, nisi quæ Divum designat amorem.
Nam quid cuncta juvat distinguere tempora amandi;
Tempora si mihi cuncta fluunt sine amore beati
Numinis; & dum fæpè amo, lingua immurmurat extra,
Cor intus non reddit amo? Quid inutilis artis
Verba sequor? libri steriles, chartæque valete:
Pectus amans libris illùc volitare relictis
Optat, ubi largus donorum amor ipse magister
Non dat verba animis, sed se se cordibus infert;
Talia voluenti, stellato allapsus ab axe
Adfuit almus amor, notâque in luce refulsit
Sed non auratam gestat post terga pharetram:
Nec stringit veterem, radiatis cordibus, arcum
Antiquos habitus, solitamque Sagittifer artem
Exuerat. Vultusque graves, atque ora Magistri
Indutus, librum lævo suspenderat armo
Pro pharetrâ, calamum pro telo dextra rotabat.
Quin etiam collectam olim, gemmàque micanti
Suspensam vestem; ut nunc decet esse Magistri
Indumenta dedit plantas descendere ad imas;
Gaudebatque suâ gravitate Amor ipse togatus:
Tùm sic Loyolam blando sermone lacessit.
O' qui pertæsus voces, & inania amoris
Nomina: quid sit amo, studiis melioribus optas
Noscere, nec verbis, ipso sed amore doceri
Velles; hùc oculos, aurefque adverte sequaces,
Et quæcumque audis læto memor insere cordi.
Dixit: & extemplò veteres fugere figuræ,
Visa loci facies nova claram pandere lucem:
Gymnasiumque novum patet, & Cęleste lycæum:
Parietibus circùm pictis monumenta renident
Divinorum operum, magnum quæ Numen amoris
Edidit. Hinc vastum, nullo de semine, mundum
Surgere: depingi Cœlum radiantibus astris,
Flore coronari Terram jubet: arte potenti
Cretus humo, jam spirat homo, rerumque Superbo
Imperio, & pulchrà felix regione potitur.
Parte aliâ, Vir Divinus de matre creatus
Virgineâ (sic suasit amor) fatalia culpæ
Primævæ, ipse suo contagia sanguine mersit;
Cætera quid referam? Pictus vel vivus ubique
Spirat amor, dulcisque artis documenta refulgent;
Innumeri circùm residunt juvenesque, virique,
Longævique senes, Pueri, innuptæque Puellæ,

Ma-

Digitized by Google

Matronæque graves, nullo diſcrimine, docto
Incumbunt operi; cunctos idem excitat ardor,
Atque unum ſtudium diſcendi fervet amoris.
Dumque hæc miratur taciturno Ignatius ore,
Infit Divus Amor: Quam contemplare Paleſtram.
Cernis & Heroum cætu fervere frequenti
Gymnas amata tibi Divi eſt Schola dulcis amoris:
Hic doceo, tacitâ linguâ, ſed corde loquente:
Nulla dies vacat à ſtudio, niſi vita vacarit:
Optimus aſſiduè teritur liber, heu liber intus
Atque foris ſcriptus! Patris Sapientia fulget
Intus, ſed foris Iſacidum manus atra notavit:
Dira characteres ſunt vulnera: candida membra
Sunt membrana, nitens rubet omnis picta cruore
Littera: nullum eſt huic libro ſine ſanguine punctum.
Cedro dignum opus involvi, crux cedrina ſervat.
Doctior eſt, librum hunc melius qui corde fideli
Tranſcribit: longus labor eſt, ſed charus amanti:
Non mea diſcipulos ars, multâ lege fatigat:
Præceptum breve trado, ſed omni diſcitur ævo;
Vis, & quæ ſtudio ſemper recolenda beato
Præſcribam monita, & dulces cognoſcere ſenſus?
Unum audire ſat eſt; ex uno cætera diſces.
Franciſcus, cœlo charus, quem, vulnere quino
Pectora confixum, Palmaſque, Pedeſque, Cruentam
Effigiem, ipſe ſui vivam Divinus amator
Sculpſit, proque animâ, æternum inſpiravit amorem
Dum noſtrâ excoleret ſtudium cœleſte Paleſtrâ.
Hoc didicit depromtum ex arte docentis amoris
Effatum verſare. Deus meus omnia: plures
Gutture nec voces dabat, aſt repetita placebat
Noctes, atque dies avido Sententia cordi;
Et centum Æternos Vox una fovebat Amores.
Nunc age: te quando diſcendi juſta cupido
Incitat, & ſacros ſapere optas inter Amantes,
Hæc defige tuo Verba immortalia cordi:
Hæc radiante die, nocte hæc radiante revolues:
Summe Parens, ò ſi te homines noſſent! breve dictum
O' quam grandis erit felix Interpres Amoris!
Quisquis amat notum toto, quem diligit, orbe
Eſſe velit. Tenebras ſervat ſibi cæcus Amator
At quem amat: ipſo etiam plus ſole niteſcere gaudet
Verus Amor, laudem ipſe ſuam, famamque recuſat;
Quos amat, hos cupit, ut pennis invectus honoris
Fama canat, longiſque Æternet gloria Sæclis.

Tu quoque fidus amans eris, & te numinis altì
Gloria perpetuò major, majorque ciebit.
Hæc ait: & parvum dextrâ, quem forte libellum
Geſtabat Loyola, manu languente removit
Inſervitque novum digitis Amor ipſe volumen.
Pulcra libri ſpecies; ſummo nam vertice, binos
Scinditur in gyros; tùm partes colligit ambas,
Et molli ad lævam flexu ſinuatur, & uſque
Decreſcens; puncto tandem gracileſcit in uno:
Cordis erat ſpecies, Cor, libri in imagine fulget
Auratis deſcripta notis: una emicat intus
Digna quidem ſcribi nitido ſententia Cordi.
Summe Parens, ó ſi te hominum gens noſceret omnis!
Pagina, quæ prima eſt hoc carmine, clara ſuperbit.
At partes alias libri nec carmina ſignant.
Littera nec notat ulla, aureis ſed picta figuris
Omnis imaginibus ſplendeſcit pagina miris.
Ergo hunc Divina depictum Ignatius arte
Cernit, & ipſe ſuos prælibat lætus Amores.
Hic ſtagno immerſum generoſa Lutetia monſtrat,
Cœleſtes ut alat, Stygioſque extinguat Amores.
Hic legit unanimes ſocios, hic corpora morbis
Feſſa levat: Vinclis illinc oneratur iniquis;
Carceris ex Umbris latè rutilantior ardet;
Hic flammas Aquiloni, & Eoo hic Phoſforon axi
Divinum immittit. Quid ſingula perſequar? unam
Pagina multa notat Romam; Hîc Ignatius urit,
Hîc verbis, rebuſque jacentem hîc erigit urbem
Languentes Divino animos, hîc nectare paſcit:
Hîc moritur, cœleſtis Amoris languidus eſtu.
Hæc Divo luſtrante; Amor ecce locuſque refugit:
Et cor pro libro, liber & pro corde remanſit.

Poſteà quàm recitavi, habetis, inquam, Fanni, & Marce; Carminum hodie ſatis, faſtidii fortaſsè plus ſatis: verùm culpandus ego minimè videor: Vos enim ipſi Authores mihi fuiſtis, ut ineptirem: Tunc Fannius, ſerion' iſtud ais Parthenie? Imò verò beaſti nos. Dum hæc diceret, ecce tibi Balbus adeſt cum potu Mexicano: quem cum recuſare videretur Marcus, quodam urbanitatis genere ſatis tunc quidem importunè: An ignoras, inquam, Tu Marce proverbium ἢ πίδι ἢ ἄπιδι; quin age ſi quid agis: quaſi verò nunc non norimus inter nos, quibus dictis acquieſcens, accepit tandem, & ſorbillavit. Poſtpaulò, quoniam dies ad occaſum vergebat; hoſpites officioſè, ut moris eſt, numquid vellem, interogarunt, ac bene valere juſſi diſceſſerunt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

Amico ad Anianum apricanti Extemporaneum Carmen recitatur.

VEnerat Mediolano Neapolim T. Ceva., Vir non minus nitore Carminis, quàm morum candore præstantissimus; qui cum summa mihi familiaritas fuit: & propter similes artes, in quibus ambo exercebamur, gratissimus: hunc igitur, cum apricandi gratiâ ad Anianum nostrum in rus deduxissem; &, ut antiqua, quæ circa sunt monumenta perlustraret, quodam die, quoniam præter solitum, à capite laborabam, ruri substiti; ipse verò cum C. Hermete ad Forum Vulcani profectus est. Sedebam ego ad laci prospectum in eo Collis supercilio, quod ad Meridiem spectat, quo loci opportunissima ad apricationem sedes est. Erat dies nitidissima, & Boreas mitissimè perflabat: cùm repente cessavit dolor, insolitusque membris vigor inditus est; & quasi me Phœbus corripuisset, tanto agitatus sum æstro, ut numquam aliàs. Quoniamque loci conspectus longè pulcherrimus, & ingenium soli mitissimum, ità oculos, animumque pascebant, ut hiberni temporis oblitus, Ver agitare amænissimum mihi viderer; jam nihil aliud mente versabam, nisi quàm largè sibi natura indulsisset eo loci: mirabarque flores passim surgere alieno, ut putabam, tempore; tùm, vel invitâ brumâ, hiantes ridere. Hîc, ad Cœlestium rerum pulchritudinem animo paulatim avocato, subitarium quoddam Carmen eructavi, quo Florum natale à magnæ Matris auspicio, repetitum cecini: statimque in quædam papyracea fragmenta, quæ ex diversis epistolis ad manus erant, transtuli; sed tantâ festinatione, ut vix characteres impresserim, & nisi numeri adhuc essent in memoriâ, vix relegissem. Vix dum Carmen trascripseram, cum T. Ceva è Phlegrâ rediens, quomodò, inquit, vales à capite? Cui ego: Planè benè; imò, cùm novo artuum vigore, insueta quædam vena emicuit: quod sanè ex tuâ præsentiâ factum: atque hoc, quod vides carmen, è vestigio meditatus sum. Tùm ille: Gaudeo mihi, inquit, tibique quàmmaximè gratulor, quòd ita factum. Sed quæso, ut recites; aveo enim illud audire. Ego verò: Faciam quamlibenter, ut quæ minus limata sunt, incudi reddam; statimque hunc in modum carmen recitavi.

FLO-

Digitized by Google

FLORUM NATALE: Carmen.

Surge colorati Regina tenerrima Veris,
Surge Rosa, & placido ridens adapertilis ore,
Agmina frondosis erumpere florea castris
Imperiosa jube. Viden, ut nova, crine rubenti
Impulit auricomi postes Aurora Diei?
Non hæc illa quidem solitæ prænuncia lucis,
Memnonis ambitiosa Parens, cui purpura mollis
Matutina brevi designat tempora Regno;
Donec flammifero Phœbus trabeatus in auro
Nascitur, & clarâ regnans se jactat in aulâ.
Non illa est, vitreis Nerei quæ divitis antris,
Lota genas, ornata comas, jactantior exit
Gemmifero maris hospitio; mox verbere primæ
Tacta facis, vultum flammis resoluta nivalem
Ardet; & optatis fugitiva reconditur undis.
Non illa est Solis genitrix, inimicaque Soli,
Aversata suos quæ diffugit impia Partus,
Quam perimit nascens hostili lampade Proles
Atque iterum reparat cursum, ut rediviva trucidet
Purior albentes per cærula falsa quadrigas.
En Aurora monet, stellato in margine Mundi
Major Diva venit: nitidas, agnosce, per auras
Majestate, & amore graves venientis ocellos.
Diva venit, flammis peperit quæ prima comantem,
Ore serenanti radians Sapientia Solem:
Sydera, quæ centum Partu fœcunda corusco,
Igne coronali, vitreos errare per orbes
Jussit, ut umbrosæ fingant ora aurea nocti.
Quæ lunare jubar, Fratris congressibus, impar
Armavit, gemino radiosa in prælia cornu;
Et dedit adversas adamante retundere flammas.
Quæ superimpositos septenis Orbibus Orbes
Christallo cinxit: librataque pondera Terræ
Mole suâ stantis, quâ dura in culmina montes
Extulit; in valles quâ reclinavit opacas.
Quæ vada fluctisono clausit spumantia Ponto;
Altaque arenoso compescuit Æquora vallo.
Vos etiam Veris, Pubes formosa nitentis,
Vulgus odoratum, & camporum gratia, Flores,
Hæc melior primas Aurora vocabat in auras,
Multicolore comâ, & peplo variante, superbos.

Au-

Digitized by Google

Antè alios, Te, nativo, Roſa, veſtiit Oſtro;
Non rigido in ſolio, ſpinâque ſatellite cinctam;
Et cupidis manibus tela inſidioſa moventem;
Sed tenero herbarum in gremio, famulantis amicos
Ad Zephyri flatus, & ſibila grata, cubantem.
Ergo age, Sydeream ſurgens venerare Parentem;
Purpureis blandita oculis: & vos quoque gratam
Pompam inclinantes, materna ad lumina, flores,
Mollia, dum veſtri veniunt ad carmina, Partus,
Surgite, nataleſque inter pubeſcite cantus.
Jam domitas Ponti frænarat carcere lymphas,
Et malè creſcentes denſâ vallarat arenâ
Diva Parens undas: Tellus, cùm libera frontem
Protulit arentem, & rigidis ſqualentia ſaxis
Arva, ſuperfuſo nigrantia pulvere, venas.
Quamquam ſic hæret; vixque eſt via lubrica voci;
Sic tamen ore gemens, & guttura hiantia ſolvit.
O' Genitrix, Genitrix (namque hoc iterabile nomen)
Eſt Proli, miſeræ Proli! Semper ne rigentes
Cautibus horrendis hærebunt oſſibus artus:
Et ſine honore genas, ſine lumine lumina condam?
Da fronti decus ò nitidum; da fuſile flammis
Noſtra per ora jubar; minio depinge rubenti;
Pinge genas radiis, pulchrâ ſine cyclade crines;
Et miſerata, ſinus viridanti contege peplo.
Aſpice me; Tellus tua ſupplicat, illa, beatam,
Cui quondam invidit Stellarum Patria Sortem;
Cum calcata tuis lambet veſtigia plantis;
Et rubefacta ſacro florebit ſanguinis amne.
Dixit; & ad voces murmur junxiſſet amarum
Lacryma: quas fundat, ſed non habet arida guttas.
Audiit orantis, Genitrix, tamen aurea queſtus;
Et vultu radians, quo nubila nigra flagellat,
Tranquillatque diem; dedit omnia læta gementi.
Ilicet auratos concuſſit Diva capillos:
Riſit; & effuſâ radiantum luce comarum,
Telluriſque ſinum validis ſplendoribus affiat.
Concipit illa faces, Zephyroque adjuta marito,
Florida ſurgentis ſtupet ad miracula Prolis;
Nec ſobolem putat eſſe ſuam; ſed divite nimbo,
Roratas credit Divæ de crine favillas.
Prima coruſcarunt albenti Lilia vultu,
Virginei Flores, & munera prima Parentis
Virginis. Hos mirata ſequens Roſa, mæſta, rubore
Ora verecundo pinxit; puduitque ſuperbam

Non

Non æquare ſuo candentia Lilia vultu,
Lilia Virgineo ſemper placitura pudori.
Cætera conſurgit, nullo diſcrimine, Florum
Turba minor; longoque intexit syrmate Terram:
Pallor amat Violâ in molli gemmare; rubeſcit
Flos Hiacinthe tuus; tuus & Narciſſe rubeſcit
Sanguineis foliis; animat quæ nempè cruore
Altrix Terra ſuo: naſcenti lutea calthæ
Forma placet; ſua cuique placet ſpectabilis oris
Gratia: quiſque ſuo radians ſe lumine jactat.
Sed quamvis halat flagrantem protinus auram;
Non omnes ditavit odor: nam gratia vobis
Quanta deeſt, vario Tulipæ ſplendore micantes,
Peoniæ? Heu quantâ caruerunt germina merce!
Vos ò Veris opes, Zephyro ductore, volantes
Afflatis; flammaſque procul ſpiratis odoras.
Medica candiculo rutilantia germina collo,
Æmulaque intacto vos ò Gelſimina ſente,
Quæ nunc felici Catalaunia ceſpite nutrit,
Vos gemino triſtes mulcetis fulgure ſenſus.
Intereà lætis herbeſcere gramina campis:
Plurimaque incœpit ſylveſcere montibus Arbos:
Spectat Terra hilaris, votoque potita, ſuperbit.

Cum recitaſſem, At carmen hoc tuum, Partheniè inquit, Ceva, minimè ſchediaſticum apparet; ſed planè cultum, & expolitum; contra quàm tu ipſe modò ajebas. Quamquam revoco me: quid enim ex iſto tuo ingenio ad muſas nato prodire unquam poſſit, quod non ſit apprimè nitidum? Nempè, inquam ego, prædixi, tuâ mihi præſentiâ Muſas eſſe conciliatas: ut ut eſt tamen, tu boni conſulis amici, & Poëtæ loquacitatem. Et ille; imò verò iniſti à me ſolidam, & grandem gratiam, quod me à Vulcani foro redeuntem, continuò induxeris in hortos Muſarum.

Hortos, quos ver perpetuum, quos aura Favoni
Semper alit, ſemper cæleſti nectare paſcit.

Libenter enim apud te, Parthenie, Fracaſtorii verſus uſurpo, quem ſcio Poëtam à te plurimi fieri. Et meritò quidem inquam, nam in eo & Carminis majeſtas quædam fuit mirâ cum ſuavitate conjuncta, & præterea ingenium variis excultum diſciplinis ad omne literarium argumentum alacre, ac promptum: quo etiam nomine te ſæpè mirari ſoleo doctiſſime Ceva, & frequenter in ore habeo. Intereà dum ſic ſermonem traheremus, intervenit qui rogaret, quàm mox juberemus apponi menſam? Cui

ego

Digitized by Google

ego : siquidem à Coquo nihil est moræ, præsto sumus: quin optimum factu censeo, si corpora tempestivè curemus : ità enim otiosè licebit à meridie ad subjectum lacum descendere. Nempè, inquit Cæva, dicis Amanum (nam id opinor illi nomen esse). Propemodùm, inquam, atque ut arbitror, viæ nos minimè pœnitebit. Tum ille: mihi quidem, qui nunc primùm hùc venerim, nihil est, quod displiceat: displiceat autem? Imò, quod non miram afferat oblectationem: quocumque oculos converto, satiari non queo; neque jam miror Parthenie, te tàm valdè hoc loco delectari, eodemque libentissimè solere uti; abundat enim, ut video, iis rebus omnibus, quæ ad quietem animi, delectationemque quæruntur. Et ego: est ut dicis, Cæva; nec deripere mihi videor, qui, cum licet plures dies Neapoli abesse duro anni tempore, amænitatem hanc sequor: licet autem ferè bis in anno, recurrentibus scilicet feriis, tùm stativis, quæ στοφάνια subsequuntur, tùm conceptivis, quæ præcedunt cineralia. Hîc Cæva intelligo, inquit, quam tu rem agas: nam verno tempore placet Herculanum, æstate verò, & autumno repetis Surrentinum tuum: atque isto modò sat commodè divisæ temporibus, locisque tibi sunt apricationes. Tùm ego, non negaverim; dicis enim quod res est. Verùm alia quoque subest causa, quamobrem solâ hyeme placeant hæc loca: nam reliquis anni partibus noxia sunt valetudini, atque mortifera. Ubi primùm aër incaluerit, hûc si divertas vel ad unum, aut alterum diem, actum est ilicet, periisti. Ain' verò? inquit Cæva: ajo, inquam, seriò; atque utinam hoc frequens non comprobasset experientia infelici multorum fato. Mira narras, inquit ille, atque, hoc sis vide; ut nihil est ab omni parte beatum! Nam quis crederet, locis amæniissimis abesse tamen salubritatem? Atque adeò in Arâ (1) Volupiæ collocatum esse (2) Angeroniæ simulacrum? Proh rerum nostrarum conditionem! ut verè dictum, quod vulgo est tritum, ubi mel, ibi fel! sed quæso te, Parthenie, potes nè dicere, quo id vitio fiat, Cœli nè, an terræ ipsius? aut undè? Tùm ego; possum, inquam, neque tibi ejus rei causas ignotas esse puto; cum tu non in physicis minus, quàm aut in mathematicis valeas, aut in poësi. Verùm his de rebus à prandio quæremus commodiùs, si videtur: Annuit ille; atque ità sermonem abrupimus: nam Coquus ipse tum ad nos gradiens: omne paratum est jam inquit; neque vobis ulla mora est intus; ubi lubet, ire licet accubitum.

(1) Voluptatis Dea, quæ sacellum habebat Romæ, circà navalia, non procul à portâ Romanulâ, Varrone teste, lib. 4. de ling. lat.

(2) Hujus Numinis simulacro sacra à Romanis instituta sunt cum anginæ morbo Civitas vexaretur: ab Angore tollendo sic dicta.

Digitized by Google

CAPUT VII.

Mira quædam de Cryptâ canis ad Anianum explicantur.

INclinato in pomeridianum tempus jam die; ubi & ipse, & suavissimus Cæva è somnulo excitati in Hypæthram convenimus; adfuit puer cum sedeculis, & Fannius cum Telescopio, quò per id tempus Cœlo liberiore objectos Colles discriminatim, & commodiùs perlustraremus. Cùm apage sis, inquit Cæva mi Fanni; nolim hîc frustrà genialem diem transigamus sine brevi aliquâ exercitatione, & motu. Quin Annianum versus egrædimur? Ego (tùm Fannius) hunc tibi morem gererem lubentissimè, nisi binæ ad vesperam literæ, & multijuges, & plenæ festinationis mihi essent Neapolim ad Amicos mittendæ: sed ambulatiuncula Parthenio nostro (ut conjicio) jucunda quidem; tecum verò accidet jucundissima. Ità, inquam ipse; mirum enim quantum & erudita cum amicissimo viro confabulatio animum reficit, & ad bonam valitudinem confert lenis, ac temperatus corporis motus, non concitatus ille, ac præceps, quo tolutim Fannius solet incedere; nempè (hîc ille) non testudineo, ut Parthenius, gradu incedo. At remoto joco, assumptisque, qui ad manus erant, bacillo, ac petaso, vale, diximus, Fanni; apricatumque lento gradu perreximus. Dum verò nos collis Anniano imminens excepisset, in Annianum descendere constitueramus: ubi Cæva, siste, inquit; juvat hîc paulisper confidere; nunquam enim posthàc me simili amænitate fruiturum spero. Hinc colles, hinc lacus, hinc mare, hinc Nesis mirâ quâdam voluptate animum perfundunt, oculosque delectant. Quid ni? ajo, consideramus, ut lubet; conjectisque oculis in adversam Cryptam, quam vocant Canis, quindecim circiter passus à subjecto lacu distantem, contigit in antemeridianum sermonem rursus incidere. Et Cæva, jam indè, inquit, à puero mira quidem certè de hâc cryptâ audivi; nam si ea canis aut sponte, aut vi compulsus ingrediatur, continuò obstupescit, obtunditur, tremit totus, sensu, ac viribus destituitur, animamque agit miserrimè: quòd si diutiùs ibidem detineatur, disperit penitùs, atque interimitur: At verò, si dum occœpit intercludi spiritus, in lacum proximum fit conjectus, revocatis sensim viribus, revivisit. Hocine quæso, compertum tibi satis Parthenie, atque undè, qua-

E collibus, Anniano imminentibus amænissimus prospectus.

Digitized by Google

quâve id ratione fieri autumas? Plura enim & jactitantur in vulgus, quæ vix ſedent animo; & in ore Philoſophantium verſantur plura inaniis oppleta, atque araneis, quæ rem futili verborum farragine involvunt magis, quàm explicant. Dic ſodes enucleatè, & candidè, ut ſoles, hâc ſuper re quid ſentias, Tu mihi Ædipus, tu mihi Apollo. Vide ſis, tùm ego, ut palparis blandulè, at iſtuc mihi perplacet. Ad rem igitur, rudis licet Hermes, accedo. Ut autem ſuo, id quod res eſt, ordine proſequamur, primò cryptæ originem, & quæ in eâ facta ſint mirabilia potiſſimùm experimenta; tùm quæ afferantur ab aliis effectrices mirabilium cauſæ; eam poſtremò, in quâ ſum ſententiam, præ-cæteris, ut puto, veriorem, tribus bolis expediam. Ad radicem objecti collis, ut vides, oſtiolum illud cæmentitium exiguæ caveæ adytum facit, in cujus extremâ parte lethalis ſpiritus ex humo ſurgit; modò uliginoſus, ac denſus, modò ſubtilis, ac tenuis, communique aëri perſimilis; quandoque violentus adeò, ut virgam, baculum, manumque ipſam reluctantem repellat; quandoque etiam placidus adeò, ac lenis, ut nè folium quidem per pauxillùm dimoveat. Teter hic porrò noxiæ Mephitis vapor parum ſe admodum tollit de terrâ, ac recidit illicò, quaſi vel nativo pondere deorſum feratur, vel obice præpeditus alìò ſibi quærat excurſum; indèque per cryptæ oſtium in apertam plantiem recta profluit, ac denique . . . . *tenues vaneſcit in auras*.

Crypte vapor geographicè deſcribitur

Mirum profectò, hîc Cæva, neque id in Leucogeis montibus, neque in ipſo Vulcani Foro obſervatum aliàs memini: jis enim in locis, ut ut ad ſingulos fermè paſſus halitus erumpat ſpiſſior; ſurſum tamen, ut protuditur, molitur viam; nec deorſum, inſtar aquæ refluentis ex alto, reprimi ſponte ſuâ mihi unquam eſt viſus. Sed perge ſis amabo, facilè hæc negotio veſtigatum iri per otium deinceps reor. Ita ſanè, tùm ego; alia nunc, & majora perſequamur, dum lubet. Udo maximè Cœlo, ubi præſertim flat Auſter, circa Cryptæ parietem, ac ſupra ſolum vapor ille concreſcit; itàque exudare undique guttatim conſpicitur, ut caveam circùm totam inficiat mador quidam, auſtero, ut ſcribunt nonnulli, ſapore, ac ſubviroſo; colore autem, ut ego ſæpiùs adverti, albido; ad ſulphureum non nihil accedente. Ad hæc ille: quæ malum! fuit amentia iſta, Parthenie, ut ſuccum hujuſcemodi quis delibaret; Ego pol attingere ne minimo quidem auſim digitulo. At, inquam, periculum in Brutis factum eſt primùm, eâdemque ratione ad cætera, quæ mox innuero, cogno-

Udo Cœlo, ac flante Auſtro cryptæ halitus concreſcunt.

scenda ventum est. Id verò adhuc non liquet, quo tempore, quo Authore, fatale Antrum excisum; Neque à Romanis loci, rerumque peritissimis, quorum hîc & plena majestatis, vel in ipsis ruderibus extant passim vestigia, & præclarissima nobis de hoc cœlo, de situ, de Balneis, aquis, ignibus, ædificiis, cæterisque rebus relicta sunt monumenta, mentionem de eo factam usquam inveni. At at, inquit, Cœva; meministi Parthenie, Cajum Plinium, ubi de miraculis Terrarum scribit, nescio quas in agro Puteolano Charontæas scrobes commemorare; putasne hoc illi Antrum, eo id temporis nomine insignitum? Id enim verò tùm ipse, nec affirmem, nec pernegem; aliæ quippè, & quàmplurimæ in Puteolano tractu Scrobes teterrimum exhalant spiritum, ut vulgò usurpare illud non dubitem *Acherontis ostium in nostro est agro*. Plinii sanè verba in mente veniunt; si quid fortè excidit, revocato me, ac suggerito. *Ignium*, ait, *tot locis emicantium perpetua tot sæculis incendia: spiritus lethales alibi, aut scrobibus emissi, aut ipso loci situ mortiferi, alibi volucribus tantùm, ut Soracte, vicino Urbi tractu: alibi, præter hominem, cæteris animantibus: nonnunquam & homini, ut in Sinuessano agro, & Puteolano: Spiracula vocant, alii Charoneas Scrobes mortiferum spiritum exhalantes*. Papæ! inquit Cæva, ut rerum tenacissimâ polles memoriâ! Quin, inquam, ut senis defloccati jam exolescit. Sed ad propositum redeamus; quid certi satis, amabo te, ex recitatis verbis eruas pro re nostrâ, nisi veluti per nebulam, ac divinando! cùm vel de ipso Aniano lacu Veteres illi nihil ad nos, quod sciam, monumenti tranmiserunt. Quo autem adducti argumento putarunt nonnulli hîc olim Luculli Piscinam fuisse, satis planè non video. At pace, inquit, tuâ, hoc loco Cæva, si te identidem interturbo, amicissimum Caput; Paucis ab hinc annis, cùm in Musæo versarer, venit ad manus libellus, nescio quis, Auctoris nomen non suppetit, ubi de *Thermis angularibus* jejuna admodùm mentio: id tunc in animum induxi meum, ut crederem, eas esse Angulares Thermas; quæ ad Anianum erant: Collimavine? Ita enim verò, tùm ego: nam Magni Gregorii ævo salubres oppidò Aniani aquas curandis corporibus perutiles contigisse compertum est: Eâque itidem tempestate Thermarum Angularium nomine nuncupatas ex ipsius Gregorii Epistolâ apertissimè constat; ut & postea, Nortmannis *Anglanim Lacum*, barbaro idiomate vocitatum etiam tenemus; Antiquiores tamen neque de hoc Lacu, neque de Cryptâ, quæ proximè lacum est, verbum planè

ullum

ullum fecere; quod mihi certo, ni fallor, est argumento; aut hæc priscis illis non cognita, id quod verisimile minùs apparet; aut quod verius censeo, sub ea tempora & frequenti Terrarum motu, & præsentissimâ abditorum ignium vi convulsis maximè, atque corrosis montium visceribus alias, aliasque erupisse pestes ex improviso; quare hinc visum subindè antiquos colles subsidere; hinc novos consurgere: hinc egurgitari Lacus, hinc absorberi. Neque id mirum; dextrorsum quæso, intende oculos; ambustum hoc montis latus, horridum adeò, inculumque, consitum olim Vinetis, arboribusque convestitum adolescens egomet vidi, rerum mortalium conditionem miserimam! Ut dilabuntur in dies! Sed quorsum hæc? Nempè ut tandem conficias, ita mortiferum hujus Cryptæ halitum, ut & alia Naturæ mira permulta, quorum frustrà hîc pervetusta quærimus initia, non multis antè sæculis per novos meatus ex intimo Terræ sinu, subterraneis maximè ignibus sensim provehentibus existere potuisse. Satin' id tibi quadrat mi Cæva? Et ille: plusquàm satis; perge porrò: quàm multa enim te dicturum promisisti, quæ valdè vereor, ut hodiè ad umbilicum perducas. *Paulatim*, tùm ego, *non stotim decernitur*; ut est apud Plutarchum.

Si quæ superant discutienda in aliud tempus commodiùs rejiciuntor. At age jam, & quæ vis est, & quanta atri vaporis è noxiâ Cryptâ erumpentis pressiùs vestigemus. Canis, ex quo Cryptæ factum est vulgò nomen, hiatus pestiferi vim infensissimam suo persæpè quidem periculo, at non unus expertus est. Anseres etiam, Fulicæ, Anates, Ranæ, Oviculæ, aliaque pecudum, & Animantium genera, quædam tardiusculè, citiùs quædam eodem halitu extincta sunt. (1) Deridiculum sanè illud, quod de fatuo quodam homine, ibidem exanimato narratur. Hic ensse, & hastâ munitus, quasi cum hoste congressurus accessit; cumque cominùs latebras, ubi hostis occuleretur, tentaret, seseque ad pugnam jactabundus instrueret, inimicitias expertus occultas, & capitales, miserabiliter jacuit. Nempè cum hujusmodi hoste, inquit Cæva, (2) Parthorum more pugnandum. Verùm quandoque, tùm ipse, alii in columnes evasere; at ille, nolim mehercule id meo comprobatum periculo, cum me cæteroqui non lateat, Asinum, Caroli VIII. jussu in stygiam hanc Scrobem immissum, statim periisse. An quæso hîc ego, mi Cæva, audisti de Fannio, familiarem nostrum, meticulosum cumprimis hominem, apud Asellos Siciliæ Scopulos, sub Asellorum signo natum, Asinino fato vexari? Sed plura ille per jocum,

Halitum è Cryptâ erumpentium vis exponitur.

[1] Festiva de quodam Fatuo Historiola.

[2] Populus ferox in Asiâ majori circa Persas, qui fugientareu, & sagittâ strenuè dimicabat.

Digitized by Google

cum, redeamus ad rem. Extractis inde Animantibus, aut semianimis, aut prorsus exanimatis animadvertunt nonnulli, aliis spumare os, aliis turgere: fides verò sit penes ipsos; id enim mihi diligentissimè pervidenti deprehendisse contigit nunquam. Unum illud ex Nazario, viro medicæ artis peritissimo, cum essem Neapoli scisscitatus rescivi: Demortuæ in hac Cryptâ Catellæ, statimque dissectæ sese viscera penitùs omnia rimatum, præter contractas paululùm pulmonis fibras, aliud nihil in cæteris comperisse; prætereà vidisse quondam se aiebat, immissas in Mephitim funales faces; candentesque carbones, illicò extinctos esse; pyrium verò pulverem illicò accensum. Hæc, aliaque permulta enarratis simillima perquirendæ potissimùm causæ ansam jam præbent. Ades dum igitur Cæva; Et ille: Antè, inquit, quàm ulteriùs philosophando progrediamur, eum mihi, quæso te, scrupulum evellito, qui jamdiù me pungit: Nullane revocandi virium ratio, nisi quæ de caveâ semiviva evaserint Animantia, in Aniani aquas mergantur? Cui ego: Adeò ne fungus sies, ut isthæc facilè glutias? Satis ad rem fuerit, si in apertum aërem emiseris; satiùs tamen, si vel effossæ recens telluri os Animantis admoveris; vel quâ lubet ablueris aquâ; quoniam verò proximæ Antrum stagnant aquæ; hinc perfacilè est jis uti; quapropter cecinit Quinisius noster.

Immersas quoque fert vicinæ fama paludi,
Et motum, & vitam tacitâ reparâre sub undâ.

Interea loci, advesperascit jam Cæva: institutum sermonem domi absolvemus; facessamus hinc properè; gravedinoso enim Seni nocet aër serotinus. Ille, ultrò cedamus, inquit, & gradus etiam grandiamus, dum libet. Permagni quippè interest mea, te benè valere jucundissimum & mihi, & Musis Caput.

Vir in Galenicâ scholâ doctissimus, & anatomicus insignis,

Alia nonnulla experimenta, & quidem mira,

Non una, ut vulgus censet, viriè revocandi ratio, proxima cryptæ aqua,

CAPUT VIII.

Institutus de Cryptâ Canis sermo absolvitur.

A' Brevi cœnulâ, quam scitè adornaverat Puer; statim ad institutum de Cryptâ Canis sermonem revocavit me Cæva, & ipse presto sum inquam, ut lubet, remque totam paucis expediam. Equidem, quòad necem attinet animantium, in eâ lethali sorobe, illud puto constantissimè asseverandum, vi scilicet, atque impetu densati halitus continenter extrusi, aëris reciprocatione sublatâ, vitalem spiritum intercludi, miseraque animantia, sic denique

præ-

præfocari. Quâ id ratione contingat, & quibus comprobem argumentis, planè, dilucidèque proponam. Si quid eſt, quòd ſatis non probes, aut non adamuſſim libratum noveris; tuum erit, mi Cæva, redarguere aſſerentem, rationumque momenta omnia rectâ lance perpendere. Nempè, hîc Cæva: Delphinum natare doceam? Perge ſis quæſo, & quam nactus es ſpartam tene. Cui ego, obſequar libentiſſimè. Et primò illud liquet, ut reor, cunctis animantibus, plus, minuſve opus eſſe aëris, ut Spiritum ducant, atque hâc, quâ fruimur aurâ veſcantur (prætereo hîc plantas, arbores, poma; ac flores, quibus, ut progignantur, ut creſcant, ut foveantur, ſpirabilis aër perneceſſarius oppidò eſt) neque enim aut vitalis ſuccus, aut ſanguis per membra dirigi, ac permoveri; neque aut viventium corporum fibræ, aut ex fibris nervi compacti, agitari, ſentire, ſuaque obire munia queant; quin tenuiſſimæ aëris particulæ aſſiduo per exiles corporum canaliculos fluxu, ac reſluxu inſinuent ſeſe, diſcurrant, permeent, ac mutuo ſurſum prorſum trudantur. Atque id cauſæ fuit, cur è priſcis ſapientibus illud permulti affirmare, teſte Tullio, non dubitarunt, quod aër nobiſcum videat, nobiſque audeat, ſonet, loquatur; & quidquid vita, quidquid ſenſus exercent muneris, aër conficiat. Hinc facili, ni fallor, negocio fiet, ut quâ cumque tandem de causâ circumfuſus aër ſive rareſcat admodùm, ſive denſetur, animantibus maximè officiat; at ſi diù, vel tenuior laxetur, vel offundatur craſſior, ſpiritum penitùs prohibeat, atque intercludat. Jam verò ad rem noſtram. Spiſſi adeò, ac violenti (ut nuper experientiâ compertum diximus) è Cryptâ illâ halitus propelluntur plerumque, ut iniecti Canis, per os præſertim, ac nares, ſtatim immiſſi, craſſiora ſecum protrudendo Corpuſcula, è nitro, ſulphure, alumine, illicò aditus occupent, obſtruant meatus, ac ſpiramenta illa, per quæ, ut modò innuebam, liquidi aëris tenuiores particulæ affluere, atque ad perciendum ſanguinem, fovendamque vitam provehi deberent. Ex quo primùm animæ defectio; tùm præceps virium lapſus; tùm denique exiſtit mors. Neque id mirum, quòd pecudum aliæ citiùs, tardius ibidem aliæ exanimentur; nam nec omnes pari aëris aſpiratione indigent, ac ſuſtinentur, nec ore, ac roſtro ſunt æquè omnes in terram prono: nec denique eâdem ſemper violentiâ, & copiâ teter halitus ſurſùm erumpit. Illud jam ſupereſt paucis enucleandum, quâ ſcilicet ratione, quâ vi vapor ille exigatur, & quo tandem manet ex fonte num venenatâ, ac peſtiferâ, ſeu materiâ infectus,

Multiformis, ac mira aëris natura.

Cur pecudum aliæ citius, tardius aliæ exanimantur ratio perquàm optima redditur.

fectus, seu qualitate ultrò citròque in Cryptæ angustiis versetur; an serpat latiùs, ut complures gravissimæ, eodem tractu, Mephites? Ades dum, quæso mi Cæva, res est in vado. Censuit Pontanus noster, mephites hujuscemodi ex imis terræ visceribus per apertas rimas, violento telluris motu, olim exclusas; ait enim.

Pontani hâc in re sententia refellitur.

Spiramenta Soli quondam tremor ille recluſit;
Exhalat vis unde nocens per viſcera terræ
Conflictata diù, tetroque infecta veneno.

Quòd sanè etsi multoties acciderit, ut pestes plurimæ hoc pacto eruperint, qualis illa præsertim Romæ, Marco Cornelio, & Lucio Papirio Crasso CC, atque aliàs aliæ, ut narrant Villanus, Nauclerus, & Baronius præ cæteris; non id tamen asseverandum putem, ut eâdem planè de causâ, eâdemque prorsus ratione, terræ hiatus omnis, ac Mephitis extiterit. Nostrâ hâc ætate, & in proximo Vulcani Foro, ad Vesuvii radices quàm multæ sulphureæ exhalationes, halitusque pestiferi, nullo terram concutiente motu expirarunt. Quid ergo hîc aliam quæramus causam, ubi ipsa satis se prodit? Circùm, latèque, à fronte, à tergo, à lateribus tot patent subterraneorum ignium spiracula, ut Phlegræos hîc agros jure positos Prisci autumarint. Nihil itaquè apparet facilius factu, quàm ut igneâ vi provehente inclusa pestis emergat; quemadmodum fontes, & fluvii è terræ latebris, montiumque culminibus exiliunt perenni venâ; quod à me alibi, non infeliciter demonstratum memini. Ut igitur per spissos terræ meatus, veluti per multiplices siphuncolos emicant aquæ; sic & aluminosæ sulphureæ, bituminatæ, & metallicæ etiam particulæ, immodicâ subterranei caloris vi, excitatæ, excoctæ, atque commixtæ, quasi ferventis ollæ fumus, vibrantur sursum: eòque exturbantur violentiùs, quò propior, ac præsentior est ignis. Hinc porrò illud est consectarium, lethalem non ideò esse mephitim hanc, quòd venenatos halitus mittat; siquidem nihil tale unquam in jis brutis perspectum, quæ indidem vel semimortua, vel extincta penitùs Cryptæ custos retraxit; altera quippè, animâ mox receptâ, firmis, ut anteà viribus saltitare; ludere, oblatrare cæperunt: altera, ut statim, ut post pauxillum temporis dissecta sint; nulla tamen veneni nota, nullum simile in extis vitium compertum est; quin potiùs eam, quæ Ranarum hepati subest, vesiculam, compresso aëre turgidam non semel inventam esse, retulit ad me Nazarius, qui hæc omnia diligentissimè scrutatus est. Id quod multùm profectò, ni falsus animi sim, firmat, quod sentio. Quid tu interim Cæva?

Nonnulli Mephites citrà telluris violentiam exoriæ.

Mephitum fons & origo aperitur.

va? Satin' quadrat; quæ hactenus cursim, ac temerè in rem congessi? Planè tùm ille, apud me non probabilia modò, sed probata omnia; atque, ut mecum ipse cogitaram, explicita. Unus tamen, qui per te evellatur, adhùc pungit me scrupulus: quid nimirum causæ sit, cur hujus Cryptæ halitus, ut bellè hactenus indicasti, vicinarum mephitum vaporibus simillimi tanto sint detrimento; nulli verò qui proximè, ac præsertim è Vulcani foro emittuntur? Hanc mihi è mente dubitationem nunc velim amoveas; mox enim nulla me ancipiti hâc in re dubitatione distractum lubentissimè profitebor. Istùc ibam tum ego; atque ecce tibi clarior luce ipsâ meridianâ hujusce discriminis ratio. Quippè consideranti manifestum est; in mephitibus cæteris, & præcipuè in Phlegræo foro ab aperto aëre ventisque jactari vapores; hinc verò fieri quis non videat, ut vis omnis, omnisque impetus, quem ad obstruendos meatus corporis simul acquirerent, pessum omninò eat? Quandoquidem exhalationibus dissipatis respirationi consentaneus aër nullo negotio captetur. Quamvis etiam, ut verum aperiam, ubi ab ingenti voragine illa vaporum pestis densior erumpit, proximum animal, & paulatim concidere, & deindè mori, experientia magistrâ, certum nobis est; id præsertim temporis, cùm vel nulla, vel debilis spirat aura. Quid? nonne ad ipsum apertè in Aniani aquis accidere in diem videmus? Hîc eædem exhalationes, ex quibus passim æstuat lacus, elevant sese; quia tamen in æthere dissipantur, nihil incommodi Scaphâ undas scindentibus afferunt. Hic Fannius, admotâ propiùs mensulam sellâ: hæc, inquit, omnia pro comperto habeo; at meam & ipse, dum lubet, symbolam affero. Cui statim ego, & Cæva: afferto, & ut soles, basilicè; ne unus sedeas ad cœnam a symbolus.(1) A' Plinio(tum ille, nescio quem in Hirpinis Ansancti ad Mephitis Ædem, lacum, quem qui intravere, subitò emoriuntùr, memoratum legi; de qno etiam Maro: quem lubens recolo

Est locus Italiæ in medio sub montibus altis
Nobilis, & famâ multis memoratus in oris:
Ansancti valles; densis, hinc frondibus atrum
Urget utrinque latus nemoris, medioque fragosus
Dat sonitum saxis, & torto vortice torrens.
Hîc specus horrendum, & sævi spiracula Ditis
Monstrantur, ruptoque ingens Acheronte vorago
Pestiferas aperit fauces, queis condita Erinnys
Invisum Numen, terras, Cœlumque levabat.

Eâdem nè, qua hactenus ratione de hoc Ansancti lacu differendum putemus? Ita enim verò tùm ego: illam

(1) Mephitis, Dea habita est apud antiquos, cujus Templum, & ad Cremonam, & hic, & alibi fuisse liquidò constat, Sunt, qui Deum conjunctum Leucothoæ fuisse fabulantur: sunt qui Iunonem ipsam esse existimant. Certè Deæ esse gravissimi odoris veteres autumarunt.

quippè in Hirpinis celebratam satis Mephitim nostræ huic ad canis cryptam novi persimilem. Quamvis ea latiùs fortassè olim, ac vehementiùs cùm ab aquis, tùm ab ipsâ ripæ crepidine sursum erumperet. Livet cæterùm à tristi halitu ad passus XI. ut legisse me memini, exiguæ lacunæ aqua, tamque graviter olent emissi vapores, ut virosum sulphuris fœtorem reddant, ubi id cum Gagate, Asphalto, alioque id genus bitumine mistum excoquitur. At at, hîc Fannius: in mentem venit lectitasse me olim, haustas non semel ex eo lacu aquas, perfrigidas oppidò inventas esse. Quî ergo fiat, ut igneâ vi, quemadmodum in cryptâ canis, eructentur noxii halitus; aqua verò ad minimùm non tepescat? Ad rem sanè rogas mi Fanni, statim reposui; verùm in promptu est causa. Hinc minus, illinc plus distet oportet incluſus ignis, quo agente, salsæ fossilium particulæ per telluris rimulas evehuntur ad imum lacum; undè hàc illàc violenter extrusæ aquas proturbant, atque ebullire mirum in modum compellunt. Hoc loco Cæva: rem acu tetigisti Parthenie: nam simile quid refert Chircherius noster de putridis quibusdam aquis in Hetruriæ villâ, propè montem Politianum, ubi, cum plus æstuare videntur plus frigent. Idem, & mihi in Perusino campo: idem in Viterbiensis agri fontibus, retroactos per menses contigit periclitari. Neque id mirum profectò: Idem enim, ut benè innuisti; ex nitro, sulphure, alisque fossilibus acuti sales, qui æstum creant, creant & frigus: Nonne id tibi certum? Et ipse, certum satis, exploratumque. Interea loci sic Fannius: Hinc fortassis illud erit Parthenie, quòd vehementissimo spiritu concitato, halitus illi lacustres aquas ad sex, & amplius palmorum altitudinem tollant, aëremque pestiferum latissimè circùm diffundant; quo certè, ni caveant, ac longiùs abstineant; homines præfocantur. Ità sanè, hîc ego: quinimò bruta animantia, Aves potissimùm, ubi super lacunam fortè evolant, eodem halitu exanimantur; undè Averna nobis, & Græcis Ἄορνα dicta sunt loca hujusmodi; quòd nempè avibus adversantur: Id quod perbellè, ut de proximo Averni Lacu, ità & de Ansancto cecinit Jovianus:

Spirat ad Ansancti vallem specus, hinc procùl, & grex
Et pastor divertit iter, procùl evolat ales,
Incidat in sævam pennis nè lapsa Mephitim;
Et cadat infelix subitâ exanimata ruinâ.

Hæc habui, quæ temerè in rem hanc dissererem. Cæterùm, si quæ altiùs repetenda occurrerint, aliàs fortassè discutiemus. Jam nunc, quoniam caput identidem inclinare occœpit Fannius, cubitum concedamus, HYE-

HYEMUM PUTEOLANARUM

LIBER II.

CAPUT PRIMUM.

Amici hospites excepti: sermo varius de novâ operum editione: tum Mæcenatis perhonorifica mentio facta.

REcurrebant anniversariæ Natalis Christi feriæ, quo tempore silent Scholæ, atque intermisso studiorum labore, licèt esse otiosis. Per eos igitur dies cum essem in Puteolano, venerant ad me Lævinus, & Cotta, qui tamen profecti Neapoli cum primâ luce, Puteolosque multo antè meridiem advecti, monumenta quædam, atque antiquæ majestatis vestigia priùs circumlustraverant, quàm ad me diverterent: nam eo consilio matutini discesserant, ut esset otium visendi ea loca, quæ, ruderibus adhùc spirantibus dominæ quondam Urbis ingenium, testantur veteres Romanorum delicias, & sumptus. Nec verò metus erat illis, ne fortè me imparatum opprimerent, adventuque nec opinato amicum torquerent: ipsi enim non asymboli accedebant; imò quid boni secum portabant! Quare bis gratum fuit, quòd sic venissent. Eos ego perhumaniter complexus introduxi domum;

Digitized by Google

atque ut erant lassi de viâ, jussi pauxillùm acquiescere; dum se curarent. Intereà sermo varius, & multus vicissatim, ut fit; qui dum alius ex alio seritur, tandem eò est perductus, ut ex me Lævinus quæreret de novâ meorum operum editione, quam parabam; quo loci res esset? an jam in manibus? an traherem? audisse enim se non semel, eruditos totâ Europâ viros hoc expectare, moramque adeò non patienter ferre: cui cum ego respondissem, primo quoque tempore manum operi me admoturum, postea quàm puteolanas hyemes, quibus identidem subsecivas dabam horas, absoluissem; Excepit Cotta: Næ tu, Parthenie, ni me fallo, minimum eo in opere laboraveris. Qui sic istuc ais? inquam ego. Et ille: cum habeo rationem temporum, puto celeriter opus perductum iri ad umbilicum: quoniam enim perbreves hyeme sunt dies, prolixa esse non possunt quæcumque iis diebus dicta, vel facta narrantur. Ad hæc Lævinus, jocari nunc, ut sæpè aliàs, Cottæ huic placet; quin homini succensere nolo; quandoquidem, ut anni tempus est, minimè aliena videtur isthæc τυχρολογία: Sed si me rogas, Parthenie, velim postremam hanc anni eruditi partem esse cæteris ampliorem: nam ut Aristophani Archilochi Jambus, sic mihi tua scripta longissima quæque optima videntur. Tu modò cæptum opus ne abiicias, sed quàm potes ocyssimè confice: satis te magnam initurum ab amicis gratiam; imò à Doctis quotquot sunt viris: atque hoc non opinione solum dico, sed interfui sæpè sermonibus; noli enim putare quicquam à me nunc tuis auribus dari: loquor ἀφελῶς quæ sentio. Sub hæc ego: Non me fugit Lævine, tui candor animi: quare ut fidem facias, non pugnaveris. Quod autem me hortaris, currentem tu quidem; sed ætatem respice, quam habeo sanè in metu: Equidem adnitar pro viribus; at vereor, ut possim. Sin autem: lampadem hanc aliis tradam. Quid enim? Quemadmodum olim in palestrâ defatigatus cursu tradebat integro facem: ita gravis ego jam annis, ac delassatus partes meas quasi successione in alios abs me transferam: neque tu, puto Lævine, deeris amico, neque iste etiam Cotta, qui mihi succenturiati, ubi sit opus, alter ambove, reliqua suppleatis. Cum hæc dixissem, statim Cotta, bona verba, inquit: nam quid tu isthuc ais? atque ut cum Homero tuo loquar, πῶϊόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων; absit omen: Superi te nobis, Parthenie, quàm diutissimè conservabunt: hoc illos ego, hoc amici orant omnes: imò proprios ipse tecum annos contribuere, vellem libentissimè, si liceret.

Parthenii nova operum editio, omnium votis expectata.

Tùm

Tùm ego : de istâ in me tuâ humanitate, vel pietate potiùs, valdè amo te, mi Cotta, gratiamque porrò habeo, quam debeo, maximam : Verùm homo cum sim, atque id jam ætatis, humanos, qui tàm multi sunt, casus animo subinde volvere honestum puto : si nihil aliud, certè longam inchoare spem à naturâ ipsa vetor : tùm vires penè exhaustæ missionem petere honestam jure quodam suo videntur. At vos Lævine, & Cotta, quibus integer ævi est sanguis, & ingenii satis, & bonarum artium cognitio plurima, vos, inquam, decet nunc jam illud cum laude spatium decurrere, cujus ego calcem à me non longè video abesse : quò quidem me proficiscentem, retrahi, aut revocari, vel si sit integrum, mihi credite, recusem. Equidem cum cogito, præteritique temporis memoriam repeto, vixisse videor naturæ satis; & si ita vultis, non nihil etiam gloriæ : certè vitam traducere ità sum conatus, ut nec me vixisse in descessu pœniteret; nec frustrà me natum Posteritas, præsertim literata, existimaret. Nam dabitis hanc, puto, veniam, ut de me ipso aliquid more senum glorier. Tùm Cotta : hoc tibi quidem, Parthenie, licet, nobis ultrò assentientibus : quamquam vel te tacente, loquuntur libri, quibus tantam es gloriam consecutus, quantam haud scio, an alius optare ausus esset. Quare quod postremo loco dixisti, habes in eo nos (ut etiam pro Lævino pollicear) minimè repugnantes. Superiora verò illa probare non possumus. Quid enim? nos ut tibi succedamus in opere aliquo perficiendo? at vide, obsecro, quos, & cui subroges : neque est, quod ætatem devexam excuses : nosti enim scitum illud; leonis senectam præstantiorem esse hinnulorum juventa. Perge igitur, & promissas jamdiù hyemes expedi : nam audio illas non modo expectari, verum etiam efflagitari, præsertim à Germaniâ. Sub hæc Lævinus; me respectans, inquit, æquissima est Cottæ oratio; cui mea quoque ἐγκελεύσματα volens addiderim : ad nos autem quod attinet; erit perhonorificum, si tuis nos aliquando sermonibus intexere voles, ac loquentes introducere tanquam Eclogarios. Sed quoniam incidimus in Germaniam, sine, quæso Parthenie, me hic sermone aliorsùm digredi : erit autem, ut ait Thucydides, ἐκβολὴ λόγου non inutilis : Nam venit in mentem percontari de tuo Mœcenate; quamdudum factum sit, cum ab eo literas accepisti, aut quid perscribat; audivi enim cum sæpè aliàs, tùm ex Fannio paucis ab hinc an diebus? an hebdomadis? Virum hunc præclarissimum ita mirum in modum tuis libris oblectari; ut eos elabi de manibus ferè

Parthenii opera summis totius Europæ plausibus excepta.

Maximè in deliciis sunt Antonio Rambaldo Mœcenati meritissimo.

ferè nunquam ſinat : tùm favere tibi plurimum ; atque epiſtolas ad te ſcriptitare, pleniſſimas amoris, ac benevolentiæ ſignificationibus. Tùm ego : veriſſima tu quidem, inquam, audiſti Lævine; Verùm quota pars hæc eſt ejus in me meritorum? noli putare quemquam eſſe hominem, cui plus debeam : atque utinam par pari poſſem aliquando, reſpondere. Sed hoc benè, quod ſummi viri laudis in partem ducunt, beneficium apud eos collocare, à quibus vicem rependi nunquam poſſe cognoſcant. Nempè hic ille eſt, ſubjecit Cotta, cui tu Naumachica tua προσφωνεῖς. Et ego : is ipſe : acciditque percommodè, ut poſtremus hic Muſæ noſtræ partus, quem Proculum dixeris, quòd Patre jam ſene, & ætate procul prægreſſo natus eſt, in hujus Principis tutelam traderetur : ab eo enim, quam à me fruſtrà ſperaret, vitæ diuturnitatem habebit : quin aut ego fallor, aut certè licet cum Marone noſtro affirmare, nec Muſis, nec Phœbo gratior ulla eſt, quam

Quæ ſibi Rambaldi præſcripſit Pagina Nomen.

Hic Lævinus, factum benè, inquit : gaudeo, tibique etiam gratulor, Parthenie, quod Mæcenatem ejuſmodi nactus ſis, ut ne Maroni quidem ipſi debeas invidere ſuum. Quamquam, ut arbitror, nec Rambaldus Maronem invideat Mæcenati. At ego : parciùs iſta lævine, inquam: Tu enim, quod mihi tantum tribuis, quantum ego nec agnoſco, nec poſtulo, facis fortaſsè amicè; ſed non rectè judicas de Marone, ſi quemquam illi comparandum putas: verùm iſta valeant, mecum certè præclarè agitur, quòd qualis qualis, tamen Mæcenati meo non diſpliceo : qui præterea non dedignatur ſibi mea omnia inſcribi, quæcumque hactenus ſeu prosâ, ſeu versâ oratione dictavi; atque animadvertis credo, quanta fiat opellis noſtris acceſſio dignitatis, ac famæ, quod in ejus nomine appareant. Non diſſentio, inquit Lævinus : nam quis non ſibi maximè glorioſum putet, fautorem habere ſummum Virum? At quem Virum! inquam ego : mitto nunc nobilitatis, doctrinæ virtutiſque commendationem, quibus omnibus ità præcellit, ut Germaniæ ſuæ magnum ſit ornamentum, atque hujus ætatis noſtræ decus eximium : non enim deerit occaſio, cum iſta vobis explicatiùs eloquar. Facies verò, inquit Cotta, rem utique gratiſſimam. Sed quæſo te, dum hoc illi tuum de inſcriptione conſilium ſignificasti, quo is animo accepit? Rogas? inquam : quo magnificentiſſimus quiſque, idemque amantiſſimus; imò literis me perhonorificis urgere nunquam deſtitit. Equidem, excepit Cotta, cum intelligam te tanti ab eo fieri, non miror tanto ipſum ope-

Quamplurimæ ab ultimâ Germaniâ litteræ, amoris plenæ Parthenio datæ,

Naumachia, poſtremus Parthenis Muſæ partus in grati animi ſignificationem Rambaldo dicata.

Digitized by Google

opere à te coli : quod enim sic fers in oculis, mutuum facis. At eriam illud mihi facilè persuaserim, Mecænatem tuum satis intelligere, suum in tuis libris nomen non interiturum nunquam : & certè Lucanus.

Vivet, & à nullo tenebris damnabitur ævo.
Nam sacer, & magnus Vatum labor, omnia Fato
Eripit, & populis donat mortalibus ævum.

Tum ego : rectè tu quidem ex Lucano refers. Verùm ut à Lucano tuo ne discedam :

Non hoc Partheniis fas est promittere Musis.

Si quid tamen apud posteros famæ consequentur libelli nostri, quamquàm quid est, quod meritò, ac jure sperent? Verùm si quid : certè mihi gratum eâ de causâ maximè fuerit, quòd mecum unà Rambaldi nomen legatur. Est quidem illi gloriæ tantum, quantum, & avita Majorum nobilitas, & sua ipsius virtus propè singularis valent efferre ; sed quoniam accessionem ex me fieri non nullam famæ sibi posse arbitratur, equidem non committam, ut meum hac in re desideretur officium : Nam præter quàm quod illi gratificor, præterea efficio, ut ingratus ne videar ; Quin lucro appono, quòd pro ejus in me benevolentiâ non vulgari, liceat mihi gratiam referre aliquam isto munere levidensi ; nolite enim existimare, me sic esse illi devinctum, ut possim aliquando dissolvere : profectò vir humanissimus obligatiorem me sibi reddidit, quàm ut meum nomen ex ejus Diario possim unquam expungere. Ad hæc subjecit Lævinus : Virum tu narras, Parthenie, omnium benevolentiâ dignissimum. Imò & admiratione inquam, & obsequiis ; Vos verò, quamvis magna jam vestra de eo est opinio : pluris hominem feceritis, mihi credite, si quas ad me scribit humanissimè literas legeritis. Quin igitur, inquit Cotta, exhibes modò, si sunt ad manus ? Ego verò inquam, non gravatè : Sed hæc in postmeridianum tempus, si videtur, reiiciamus : nunc, ut videtis, alia curare oportet. Assensit uterque : cumque ità condicere placuisset, omnes unâ surreximus è loco, quo sedebamus.

Breve sed splendidum Rambaldi Mecænatis encomium.

CAPUT II.

Intermissus de Mecænate sermo resumptus à meridie : atque ejus Epistola recitata.

ALtera vix hora processerat à prandio, cum hospites ad me adeunt, promissi fidem reposcentes. At vos, inquam,

quam, ut video, exactores estis minimè negligentes: mihi quidem non molesti; neque aliis credo; verùm quin assidui sitis, atque acres, non dubitaverim: Profectò si quis quid pollicitus fuerit, aut debeat, flagitatores adstatis usque antè ostium. Nos verò, inquit Lævinus, rogatum te venimus, non flagitatum: Quòd si hoc ipsum subitum est nimis, mihi planè succensere non debes, verùm Cottæ huic, in quo culpa residet omnis. Nam ego quidem me sustinebam, ne ad te priùs ipse venirem, quàm à te accerserer: iste verò teneri non potuit, quin continuò advolaret. Tùm Cotta, bonam, inquit, orationem, Lævine, incæptas: illud præterea sapienter, quòd culpam, si qua est, omnem à te amoves, in me rejicis; quasi verò non tu etiam fueris particeps Consiliarius. Meministin' imperatum à te mihi, dum in cubicula discessimus meridiatum, ut ne sinerem te diutiùs conquiescere; sed uti post horam dimidiatam adveniens abrumperem somnum? Et ille, meminì: at non ego author fui, ut continuò ad Parthenium, nullâ morâ interpositâ, veniremus. Quid ais? an & hoc imperatum? Cotta verò: bona verba, inquit, quasi tu modò dicas, te coactu, atque efflagitatu meo venisse; credo, veritus ne pallium scinderem, si recusares: at tu, siquidem videbatur importunum, non ires. Dum ego subridens, πάνσαισθε inquam ἱρίζοντες πρὸς ἀλλήλους, tantum enim abest ut vos ego nunc adveniisse molestè feram; etiam ultrò expectabam: ite enim hâc mecum intrò in coquinam, ubi jussus Puer sorbitiones apparare, tùm arabicam, tùm mexicanam; ut sit optio, utram uter malit assumere. Nam ea, quorum gratiâ me conveniistis, posteriùs vîdebimus, nunc, si placet, hoc agamus. Benè vocas, inquit Cotta; tùm gratia est, eamus ergo, quando ita jubes, atque hauriamus quàmocyssimè; animus est jam in Epistolis. Imò verò, inquam, placidè, atque otiosè; nosti enim, ut potiones ejusmodi ne bibere quidem liceat, verùm absorbere; nam quæ nimis calent, amburunt guttur, ni sorbillando sumantur. Post hæc, cum omnia prestò esse Puer indicaret; agite jam, inquam ego, movete manus, en Puer ministravit: & quoniam non omnia sapiunt omnibus, utram tu Lævine mavis potionem, ex Arabiâ, an è Mexico? Et ille: altera quidem jucundior, sed altera gratior mihi est, quia salubriorem experior: quare cum Arabicâ potiùs facta mihi res erit. Benè habet, inquit Cotta: potio est optima, sed non mei stomachi; præopto Mexicanam. Tùm ego, res convenit bellissimè: unusquisque vivit stomacho suo. Proindè vasculum tu

tibi

Digitized by Google

tibi, Lævine, sumito ansatum illud : alterum tu Cotta ; spumans, & coronatum. Interea dum sorbillarent, papæ, inquit Cotta, ne ipsi quidem Mexicani, aut Hispalenses, puto, commodiùs propinaverint, Quin & Oscyphia ipsa, quàm Lævia ! quàm prætiosa ! Certè nec vili de pulvere nata sunt, nec nostri gloria Cœli. Cui ego : satis urbanè tu quidem Cotta ; sed rectè autumas de vasculis ; nam è Japoniâ terrâ est usque illud filicatum, binisq; munitum ansis : hoc verò, quod in manibus tute habes, est è Sinicâ regione. Tùm Lævinus ; ne tu, Parthenie, præcioſus emptor es ; ejusmodi enim fictilia in pretio esse apud nostrates audio. Sunt, inquam Lævine ; at mihi ne minimo quidem fuerunt sumptui ; dono enim accepi ab amico ; ne tu nunc putes me quidquam contra leges sumptuarias admisisse : nec verò sum ex eorum numero, quibus nihil adlubescit, nisi quod elegans, quod exquisitum est, atque abhorrens ab usu quotidiano, genus planè hominum fastidiosum. Nam scin' cur ista tanti vulgo fiant ? nempè quia rara sunt apud nos : Etiam, Cotta subjecit : verissimè enim χυδαίῳ *versu omnibus in ore est, quod rarum carum : vilescit quotidianum*. Verissimè, inquam, facit namque fastidium copia, & nescio quomodo frigidius amamus semper ea, quibus ubi libeat, potiri fas est. Imò quod mirere magis, vasa de nostrate luto ficta tantidem sunt apud Indos, imò fortasse pluris etiam, quàm quanti sua ipsorum à nobis fiunt. Legi ego epistolam Goâ missam à quodam è nostris, qui profectus Neapoli habebat iter ad Sinas : in eâ significabat is, optare se, ut cùm primùm commodè fieri posset, sibi aliquid è nostris fictilibus mitteretur Goam : addebatque permagno ibi æstimari, præsertim ea, quæ tàm affrabè picturata è celeberrima (1) Gruis (2) siglinâ procedunt : nostis puto, aut de hoc Vascularo inaudistis aliquando. Cui non notus ? respondit Lævinus, Sed nos pe regrè Goam usque profecti, vèrior ut in tempore domum redeamus. Nihil facilius, tum ego ; neque enim pedibus iter hujuscemodi facimus, sed mente ; atqui, ut optimè Pelignus Poëta

Illas per immensas spatiatur libera terras,
In Cœlum celeri pervenit illa viâ.

Dùm ad me Cotta : eò igitur, unde sumus digressi, revertamur ; ac Mecænatis tui literas, ut convenerat, videamus. Ego verò : memorem mones Cotta ; non enim ejus rei me cæpit oblivio : atque unas non multo ab hinc tempore ad me datas mecum habeo ; illas perleges ; nam reliquas Neapoli servo : quid enim hùc perferrem ? post hæc epistò-

(1) Fr. Ciscus Gruis, Vascularius insignis totâque Italiâ celebris.

(2) Figlinas primus invenit Choræbus Atheniensis.

Digitized by Google

epistolam de sinu profero, & Cottæ in manus trado: Ille verò cupidè arreptam sic voce clarâ cæpit recitare.

Rambaldus Parthenio Sal.

Mirabar sanè. Parthenie suavissime, quid esset, quamobrem tamdiù nullæ mihi à te redderentur epistolæ. Nam ego, cum anteà respondens tuis unam, atque alteram scripsissem; postremò tertiam dederam ab hinc menses ferè tres, Et quamquam certi nihil habebam quod putarem; tamen fateor, me illa cura solicitabat; nec desinabam (ut fit in amore) ea, quæ minimè vellem, cogitare. Sed tandem hanc ex animo curam amovit Epistola tua jucundissima prid. Nonas quintil. ad me data: Ex eâ enim intellexi, superiores meas intercidisse, minimeque in tuas venisse manus. Quod quidem, quamquàm molestè fero, tamen patiar: quidvis enim potiùs, quàm ut aut minus bellè valeat Parthenius, aut mei curam abiecisse videatur. Tu verò de tuis literis noli fatum simile vereri; quas enim scriptas à te mihi significas ad hanc diem, eas ad me omnes, quamquam serius aliquanto, tamen perveniisse scito. Sed jam literarum inter nos commercium posthàc spero fore certius, ac facilius, cum ego me Viennam Austriæ receperim, ubi assiduus ferè commorabor. Quare jam literas à te frequentiùs expecto. Interea Opus, quod, ut puto, jam est in manibus; persequere, obsecro: vix enim dicam, quanto ejus tenear desiderio; de eo igitur tantum, quantum me amas, velim cogites.

Hic Lævinus anagnosten interpellans; amabo te inquit, Parthenie, quid istuc est operis, quo de agitur in Epistolâ? Quodque tantoperè commendari tibi audio? num editio tuorum operum? Cui ego: non longè abis; imò id ipsum est: at vide, quæso, quàm humaniter, quàm officiosè? Tùm ille: tibi ego quidem invidere, pro meâ in te veterè observantiâ, minimè debeo; potius gratulor ex animo; Et ego: quin, inquam, si reliquas ejus ad me literas videris, miraberis planè, cùm illius eximiam quandam, & admirabilem voluntatem, & singularem erga me amorem prospexeris; atque utinam, quemadmodum mutua literarum officia impedire non potest locorum intercapedo; ità ne quotidianam quidem consuetudinem impedire posset! Tùm ille: posterius istuc dicis Parthenie, quàm credo tibi: Sed pergamus, quod reliquum est, epistolæ pellegere: agedum Cotta, recita modo. Cotta verò, qui totam oculis epistolam percurrerat interea, dum ego, & Lævinus interloquebamur: Altera, inquit, jam pagella procedit, quæ certè animos perturbabit; nam, ut video, tristes affert

nunc

Digitized by Google

nuncios. Tùm lævimus: hem! Quid triſtes nuncios? An non rectè eſt Mæcenati? Jam enim ipſe, Parthenie, ſic hominem diligo, vix ut tibi concedam: nam quis non diligat ſummâ cum dignitate conjunctam humanitatem tantam, quantam tu modo commemoraſti? Cui ego, & meritò, inquam, ille tibi in amore eſt, & tuam iſtam tu benevolentiam pulchrè locas: Verùm ad epiſtolam, ſi placet, redeamus. Ibi Cotta lectionem perſequens ità perrexit.

Ego interim, mi Parthenie, graviſſimo in luctu ſum, ac dolore premor tanto, quantum obitus dulciſſimi filii Parenti amantiſſimo poteſt afferre. Scito enim nono Kalend. Sextil, alterâ poſt meridiem horâ filiolum mihi ereptum eſſe Rambaldum nomine; nihil illo mihi erat in humanis charius; quare nihil jam triſtius eſt ejus erepti recordatione. Obiit Pirnitzii Moraviæ, oppido ditioni meæ ſubjecto: vix menſes decem in vivis fuerat, cùm præmaturo fato ſublatus eſt. Heu! floſculus tener in ipſo exortu ſucciſus. Sed parco pluribus, ne doloris vulnus recrudeſcat. Cum illo quidem præclarè actum eſt, qui ne cognitis quidem vitæ miſeriis, evolavit ad ſuperos. Mihi verò, qui eum ferebem in oculis, quid animi eſſe cenſes? Ignoſces igitur dolori meo; & quæ levare luctum poſſunt, pro tuâ in me benevolentiâ, non gravaberis adhibere, adhibebis autem, ſi curaveris, ut ejus nomen in tuis libris diù ſuperſtes vivat: honorem illi, tu quondam, dum viveret, verſibus elegantiſſimis magnum tribuiſti; eidem nunc rapto inferias afferre, ac ſepulcrum decorare ne pigeat: hoc enim officio ſimul afferes mihi levationem ægritudinis; cujus, mihi crede, erit hæc ſumma levatio; ne dicam, una. Ego, ut inter lacrymas potui, verſiculos feci nonnullos, inſcribendos videlicet ſepulcro; quaſi teſtes amoris, doloriſque mei: eosdem hîc adſcribere, tecumque communicare viſum eſt; Æreâ igitur Arculâ condendo corpuſcolo deſtinatâ, hoc habet ἐπιτάφιον

In terris Rambaldus eram. Mortalia denis
Menſibus: æternùm Cœleſtia regna tenebo:
Vosque Pater, Materque, dolor, queis pectora torquet
Intempeſtivi diſceſſus, parcite veſtris
Fletibus. Omnipotens dederat, meque abſtulit idem.

Urnulæ verò plumbeæ, ubi viſcera ſeorsùm conſervantur, inſcriptionem appoſui ſequentem.

Collatæ ſpes magna domus, pulcherrimus olim
Rambaldus, natus vix erat; occubuit.
Viſcera cujus adhùc hæc arcula plumbea ſervat;

Digitized by Google

Cuprea corpus habet tumba; Animamque Deus.

Placuit ista sic ad te familiariter perscribere; non quod ea tanti faciam, ut tuo digna conspectu judicem; verùm, ut Musam tuam ad hoc lugubre genus carminum excitent; modestèque admoneant. Quid plura: tibi sunt omnia commendata, quæ commendatione, pro tuâ in nos benevolentiâ, non indigent. Vale. Viennæ pridie Nonas Sextilis 1714.

Epistolæ recitatione absolutâ, vix dicam, Lævinus inquit, quantoperè doleam casum ejusmodi; non tuâ solum Parthenie; sed, etiam Mæcenatis tui gratiâ: quis enim non doleat, Virum felicitatibus omnibus maximè dignum sic afflictari morte filioli tàm acerbâ? Quod si tuum in præsenti animum ex meo licet conjicere, non dubito, quin eo tu nuncio graviter percussus indolueris. cui ego: rectè inquam, conjicis: neque enim aliter id ferre debui, ac si ad me pertineret. Cotta vero: Ecquid, inquit, eo tempore tua Musa Parthenie? An non & ipsa lugubri aliquo carmine conquesta est? Cui ego: Quid tu musicam in luctu requiris? an ignoras, turbari lacrymis Hippocrenem? equidem sensi uno tempore, Castaliam arescere Urnam; atque aliam ubere manantem fletu aperiri. Et cum animum planè accupasset dolor, vix tandem se se in hæc effudit verba, quibus Parentem mæstissimum, quasi præsentem intuerer, æquè mæstus ego, sic alloquebar.

Non ego te, Rambalde, tuo nimis asper amori,
Dum dolor in cursu est, funera flere vetem.
Sed potius mea, si fas est, suspiria jungam,
Et gemitus addam tristis & ipse meos.
Te dolor ad lacrymas inopino in funere cogit;
Heu! tuus ad lacrymas me quoque cogit amor.

Verùm hæc hactenus: nolim enim vobis in morâ esse; nam domum reditionis hora videtur appetere: nec puto diutiùs differendum; præsertim quòd à nubeculis quibusdam metuo vespertinum imbrem. At Lævinus, ab imbre quidem, inquit, non admodùm timeo; brevis est via; neque enim cogitamus Neapolim ante biduum; sed hic in proximâ Villâ commorabimur; quin fortasse die crastinâ rursum te videbimus, si non est grave: imò, inquam, feceritis rem oppidò gratam: quare conductum esto, expectabo igitur: sed nolo Cottam venire asymbolum: Nam quid afferam, subjecit Cotta? Et ego: novi te Musis carissimum caput: Rambalduli nostri funus carmine aliquo celebrabis. Ille verò; me ne jubes gestum facere coram Roscio? Dictum est, inquam; Atque hæc cum dixissem,

&

Digitized by Google

& Cottâ recepiſſet, quoniam tempus jam erat abeundi, valere plurimum juſſi, abſceſſerunt.

CAPUT III.

In amicorum reditu, perridiculo narratur hiſtoriola: mox pro immaturo Rambalduli obitu recitatur Elegia; Dedita demum occaſione, de vetuſtiſſimâ Collaltinæ Familiæ origine, in poſt meridianum tempus diſquiritur.

A' primâ vix luce adfuit Puer, ac me monuit foris jamdiù oſtium pultare Lævinium, & Cottam: ad quem ipſe, næ tu trifurcifer ſomniaſti. Ut ad primum diluculum Lævinius venerit, cui domi ne octo quidem ſufficiant nocturnæ quietis horæ? Et ille: vigilavi nimiùm, ac vigilo; hiſce auribus audivi, & cornicis ſtrepitum, & prælaltas voces, quibus te nominatim inclamitare nondum deſiſtunt. Tùm ego, clavem tene, ac laternulam, ſtatimque ad januam aperiendam procurrito. Heus tu, gradus grandito, malum hominis fruſtulum, audiſtin? Et ille: ne te audiam ultrà objurgantem, talaria induam. Ubi verò proceſſit puer, è Muſæo ipſe pedem extuli, cerâque accensâ ſpirulâ, ponè ad oſtium perrexi. In inferiori autem contignatione obvios Amicos rogo, quid quæſo vos ad me ſummo manè? Et ſtatim Cotta, ingenio æquè alacri, ac linguâ: ſummo, inquit, mane hùc pervolavimus Parthenie, ut diutiùs apud te hodie ſimus, tuâque commodiùs conſuetudine fruamur jucundiſſimâ. Cui ego: vehementer timeo, ne me officioſis offuciis imponatis; longèque alia lateat cauſa: An incommodum fortè obtigit cubiculum? An parum apta culcitra, lodices, ſtragula? Et ille: divinat Amor, ut video: purum, putum eſt ipſum, quod jam dixti Parthenie: Culcitrulæ quibus utimur, infarctæ caprinâ lanâ; & quod caput eſt, ab Hecubæ uſque temporibus, ut reor, carminari jam deſita, fulcris ipſis lectariis accidunt duriores. At minimum id incommodi, ſi cum cæteris componatur; unde ſum, & labore plurimo, & permoleſtâ vigiliâ ſolidam noctem vexatus. Hîc ego: Quid majori, inquam, incommodi ſomniculoſo acceſſerit, quàm inſomnem penitùs noctem traducere? Tunc ipſe: ne me, amabo, ludos facias; rem certè miſeram, cum reſcieris, miſereſcat te mei. Et ego: ne me diutiùs teneto, rem omnem aperi. Hoc loco Cotta: Quamvis recens adhùc refricare vulnus diſpliceat, ut tibi tamen ami-

amiciſſimo morem geram, ingrediamur Muſæum; atque Iliadem malorum tantam de me actutum audies. Ubi ad Muſæi menſulam conſedimus, hoc ille ordine aggreſſus eſt narrationem. Ut hinc heri diſceſſi, Elegiacum Carmen, quod concinnandum mihi jam demandaras, omnem, ut par erat, mentis cogitationem ſedulò occupavit, ac nihil de viâ, præter unum illud, animo obverſabatur meo; tanti erat apud me rei gravitatem, magnitudinem, ac ſplendorem aſſequi, ut animo concidiſſem, niſi animos feciſſet idem, qui deterrebat; atque eomagis angebar, quòd ſeveriſſimum Parthenii mei judicium illud penſare carmen, atque æſtimare deberet, Erigebar tamen, quòd ad ipſius Judicis limam venire, & caſtigari tandem, cum fœnore oporteret. Sed cogitanti mihi eo loci multiplex occurrit texendi carminis ratio; nec quàm urgerem potiſſimùm ſatis animo conſtituebam. Eam tandem ſelegi, quæ opportuna omnium maximè viſa eſt. Atque ubi domum redii, illicò in Muſæum me contuli; itàque fluxit ad arbitrium vena, ut celerrimè lugubre opus ad umbilicum perduxerim; neque aliud deſideretur, ſi ut ultimam operi manum imponam. Nil novi narraſti hactenus, hic ego; jamdiù perſpectum mihi ingenium tuum, nedum egregium in cæteris, verum & in ſubitis caſibus ſingulare. Et ille: ſuperbirem profectò, niſi mihi abs te, quem amicum novi, æquè ac Poetam laudis tantum accederet. Sed jam redeo ad inſtitutum. Abſoluto vix carmine, me Lævinus plus ſolito cunctantem ſubiratus accerſivit ad cœnam: monuitque ſemel, atque iterum aſſos jam barbatulos mullos, phialas nivatas, præſterga, parata omnia; unum me ad menſam deſiderari; cum ſtatim aſſurrexi, rectàque in Triclinium diſceſſi: ubi inter cœnandum bis tibi propinavimus tuique mentio facta eſt jucundiſſima, cum præſertim mullos ſcitè quidem coctos; at non tuâ coqui probatiſſimi operâ, neque in Surrentinos illos, quos per Idus Septembres appoſuiſti ſapidiſſimos comederemus. Continuò deindè à cœnâ, actis, ut moris eſt noſtri, Supremo Numini gratiis, in cubiculum quiſque ſuum conceſſimus. Hic ubi ſertum precarium Deiparæ ſemel percurri animumque ipſe de more excuſſi, lectum curavi; at ubi culcitram revolvi, ex improviſo ex ejusdem tenui foramine murem adverti perquàm citiſſimè erumpentem. Murem, ait, penè exanimatus Lævinus; & ſtatim à metu non concidiſti? Admiror Cotta animum tuum; in eo me diſcrimine, mentem, animum, vires penitùs omnes repentè deperditurum fuiſſe ingenuè fateor. Tùm ille: te Lævine timidiſſimum probè ſcio, cui vel mu-

Digitized by Google

muſcæ umbra terrorem incutiat. Quem cæteroqui animum tibi facias, ne murem, ne dum pavidum, ſed vel fugientem extimeas? Eo tùm ipſe commotus ſpectaculo ridere ſolus, & cachinnari, atque id tùm maximè, cùm expertus ſum culcitram montano lapide nihilo molliorem. Res ipſa deridicula quidem effecit, ut Fedri carmina mecum ipſe repeterem.

Mons parturiebat, gemitus immanes ciens;
Eratque in terris maxima expectatio:
At ille murem peperit

Tùm ego laudo Cotta memoriam tuam, quæ ad rem fabellam neque lepidiorem, neque aptiorem poterat revocare. Perge porrò. Et ille: ubi riſum ridere deſitum eſt, cum primùm linteum adducerem, ad manum ſenſi trepidare, neſcio quid, atque elabi; quare lucernâ admotâ, & foramine paulò plus diſciſſo, atque explicato, offendi, rem certè mihi hactenus inauditam, in muſcolorum nidum probè confertum. Intereà loci Lævinus, An in culcitris etiam mures nidificent? Scire quantum id refert mea. Efficiam ad veſperam ut accuratiſſimè lectus undequaque meus excutiatur; neque id poſthàc prætermittendum curabo. Quid interim tibi conſilii ſuſceptum eſt? Quid? inquit ille: extractos compreſſi, ſummâque alacritate linteis, ſtraguliſque conſtratis, quaſi ab hoſte victor, ac defatigatus à pugnâ in lectulum me conjeci. At poſt aliquantulum temporis, vitato, ut ajunt, cinere in prunas inciđi. Heu me! hîc Lævinus, ſuberat profectò adhùc Muſculorum mater, atque irato dente catulorum ſuorum ulta eſt necem. Cui Cotta: Id certè minus grave contigiſſet mihi: da quæſo aures. Vix cubitum non ſine labore, ut audiſti, conceſſeram, diùque hàc, illàc volutus, ſoporem denique captavi placidiſſimum, quem vel levis crepitus ſtatim abrupit. Vix experrectus, miſerabilem vocem, non procul à cubiculi oſtio accepi, quæ graviorem in ipſo noctis ſilentio, metum incuſſit, ut propè obriguerit ſanguis. Hìc Lævinus, genu ad terram proſtrato, grates inquit, ſuperis, quòd altus adeo me ſomnus oppreſſit, ut ne leviſſimum quidem culicis volatum ſubſenſerim. Cui ego: Te quidem certè non ſomno, ſed graviſſimo putem id temporis lethargo preſſum; at antiquum tu iſtuc obtines; ut enim manè excideris, nec nolulæ ſonitus, nec vox dodonæo ære clamoſior ſatis eſt unquàm; verùm ſemel, atque iterum excutiaris, & vapules quandoque neceſſe eſt. Sed in viam Cotta redeamus; rei quippè exitus fuerit, opinor, multò funeſtiſſimus. Et ille telam redorſus: Primæ, ait, voci, undè

ſum

sum penè confectus, respondit altera gravior quidem, at æquè luctuosa; mutuoque gemitu, atque ejulatu contremui totus, atque cohorrui. Fatigabam interim Superos votis, ac precibus, ut opem ferrent; ratus subinde infernos Lemures totâ turmatim domo vagari, ac miserè lamentari: ut infestas larvas abigerem, lustrali aquâ, & salutari Crucis Signo statim me munii: tùm revocato, quàm potui maximè spiritu; novi inquam, qui hùc adventastis tartarei Manes: divinâ, quâ polleo auctoritate, vos hinc facessere jubeo, adjuroque; nostram ne ulterius quietem interturbetis: ab hisce tectis confestim evadite, iterumque in Tartara ite præcipites. Ad præsentissimas hasce Mystæ voces, quid factum putetis? Rabidum primò fremitum exaudiri; tùm inito veluti inter se se certamine, legionum instar urgeri, premi, calcari; mox rursum prorsum discurrere, morderi invicem, ac lacerari; deinde pausare aliquantisper; post pauxillum denique temporis cum in malam crucem jam abiisse larvas putarem, à fugâ, à voce, ab impetu serò deprehendi importunissimas belluas fugiendo, atque ejulando binas fuisse improbas Feles, quæ inanem adeò mihi incussere terrorem. O'lepidissimum sanè exitum! exclamavit Lævinus. Ah, ah, vah, mihi fermè ilia disrumpi præ nimio risu, jam sentio; Tragædiam, quæ in comædiam exiret festivam adeò, atque insperatam audivi nunquam. Tùm hæc ad me, oro te, obtestorque Parthenie, ut hanc etiam Fabellam in postremâ Anni eruditi Parte narratam velis, quam ubi, ut soles, candidè, ornatèque exposueris, vel Heraclitus cachinnetur oportet. Argumentum hìc ego, ad rem opportunius inveniri nusquam gentium possit, & si Cotta patiatur, exequar lubentissimè. Quinimò, reposuit Cotta, Lævini postulationibus non meæ solum accedant, sed omnia Posteritatis omnis officia, per me velim præmaturè, jam nunc tibi persoluta. Hic ego: do manus, meamque, quoad possum, fidem obstringo. Dic sodes interim, an metu solutus somnum, præ lætitiâ, iterum ceperis? Atque ille; vapor omnis illicò è cerebro evanuit, & quamvis horsum, istorsum verterem latus, ne tantillum quidem soporis aliàs obrepsit. Spe igitur omni sublatâ, igniario, quod ad manus erat, excusso, ubi ignem fomes concepit, reste sulphureâ inflammatâ lycnum accendi, assumptoque horario circulo, decimam noctis horam propè imminere perspexi. Eo statim loci surgens è cubili, & talari tunicâ indutus, antequam Lævinum è lectulo excitarem duas fermè horas consumpsi, in Elegis perpoliendis ad unguem, quibus exactè lima-

matis, & meliori notâ reſcriptis ut faveas ; fore confido, ſuum quippè cuique pulchrum : num penes te, aliquo habeantur in numero, qui delicatiſſimi judicii es, non nihil dubito. Quo in numero, tùm ego, tuæ apud me ſint Muſæ, liquere tibi ſatis jam liquet, Hanc jure tuo tibi vendicas laudem, paucos admodùm maturâ ætate id aſſequi, quod adoleſcens adhùc jam tenes. Verùm age, & voluptatem, quam mihi ex elegantiſſimis Elegis partum iri confido, in aliud, quæſo, tempus reiiciamus; nullâque interpoſitâ morâ, meo in lectulo perpauxillùm quieſce; tuque interim Lævine, Tito Ennio duce, perge inviſum è Romanis ruderibus veſtigium aliquod : tecum tamen habeto ad temporis dimenſionem horariam thecam, quæ in forulis eſt apud menſulam. Et ille : quid me graves hoc onere? Indicat ſatis mihi horas ſtomachus, moræ impatiens; ne ambigas, me ad menſam defiderari non patiar. Jam verò, ubi alter cubitum, alter deambulatum conceſſit, confeſtim in Culinam me contuli, & puerum adortus in utramque aurem altè indormientem : Heus tu, Fabiole, exclamavi. Hoſpites domi habemus, & ſtertis adhùc? mera ignavia, aſſurge ocyùs, ignem ſuccendito; aquam in lebete reponito; mox enim ut prandium adornandum jubeam, preſtò ero. Tùm, alvo exoneratâ, ſtatim redii; jamque à puero excitato igne, ades dum, inquam, Fabiole, aures vacivas dato, fac quantociùs, quod juſſero. Atque ille : ut ſoleo, diligenter, & properè faxim omnia. Tùm ego; Tace argutule, mihique attendito : Ex Turdis, quos ad me, heri ſub veſperam, miſit Puteolis Cajus Cotta familiaris meus, duodeviginti grandiuſculos, ac præpingues ſeligito; eoſque probè depilatos abſciſis tamen roſtris, ac pedibus, veru infigito, interpoſitis, ut par eſt, laureis foliis : duodecim alios, qui ſuperant, cum Merulis quaternis, pari diligentiâ deplumato : roſtra, pedeſque ſuccidito; ubi verò frigidâ benè dilueris, Ollulâ hermeticè clauſos in præfurnio reponito, atque ad prunas modicè applicato. At vide ſis, ne juſculum prædulce ſapiat; quin palatum potiùs, ſubaſpero titillet ſucco. Ni truncus ſis, hoc embammatis genus callere te peroptimè oportet, quod multoties ex me magiſtro didiceris. Pultem vero adorna, & braſſicam capitatam, quam ſcitè anteà purgatam, ubi bubula ſit benè cocta, ad manum habeas, ut ſamnitico cum petaſone, lucanicâque minutatim conciſâ, ſtato tempore decoquas, mox raduſâ caſeariâ bubulum, ac parmenſem atterito, unde paſtillos largè inſpergas Audiſtin' Maſtigia? At ille : ſat benè : verùm quid amplius? Cui ego : Iſtud ſit

affatim. Uhi! tùm Fabiolus, apparatu tàm sobrio amicos per tibi caros excipias? Adde, si lubet crustula poliphylla, quæ tuâ ipse manu graphicè, ut soles, infarcias; ea quippè ex te, ut probatissima avidè expectant. Hìc ego: pro crustulis, novum apud Insubres usitatum Epulum, quod amicis per gratum accidat, scitè conficiam. At qui, inquit Fabiolus, tandiù hoc me edulii genus celasti? Cui ego: Ex accuratissimâ, quam postulat, operâ, illud noveris, Scitule, quàm longè curam omnem, tuamque coqui artem exuperat; nempè cujuslibet non est Chorintum appellere. Sed puer ne plura. Age expedi te aliquando; nam ubi horis Canonicis fecerim satis, hùc ad te statim rediero. Diurno igitur persoluto jam penso, extemplò culinam repeto; & heus tu, inquam Fabiole, da operam sis, ut calleas ad quæstum tuum. Vide novum Cupediarum genus, quo instruam pacto. Illud porrò, si hospitibus probatum fuerit, omnis demum in te unum recidat laus: & ille: benè est, in rem totus incumbam oculissimus homo. Tùm ego, arcâ referata, ex gallinaceis ovis, novem seligo recentissima, terna in singulos; sejunctoque singillatim albumine, Vitellos in satis mundam Scutellam, ingero; Cultrique acie perbenè diverberatos, ac liquescentes, prælbi Sacchari exquisitissimi sesquiuncia inspergo: mox è græco cado meri suavissimi selibram infundo; iterumque omnia versata probè, atque commista super tripodem colloco, ac lentè admoto igne paulatim decoquo; manum tamen abstineo nunquam, quin lævi spatulâ eousque agitem, atque permisceam, dum foculo sensim calente, mellitus liquor mellis instar concrescat. Hic statim, remotum à tripode, de scutellâ in lancem invergo, quam operculatam, superius tantummodò prunis contego, donec pauxillatim solidatus veluti in gluten, delicatam crustam inducat. Id autem cavendum maximè ne, vel nimio operculum igne obruatur, vel modico penitus destituatur. Hoc loco Fabiolus: omnia adamussim teneo tàm benè, ut rogitanti respondere valeam de Tripode, & jam nunc manum operi admovere non dubitem. Unum tamen remoratur potissimùm, quòd infractâ adeò sit opus patientiâ, tantusque durandus sit labor. Tùm ego: quid? num habeas sub pallio manus? operosa quidem res est, & quàm quæ maximè perdifficilis. Opera in eo est tota, ut ne leviſſimè quidem ebulliat; secùs corrumpitur, omnemque operam perdis. Dum hæc agerentur, ecce tibi Lævinus, anhelo ore, & sudore benè madidus, si tardius, inquit, quàm par est, me domum retuli, ne mihi, sed Ennio Tito vertatur culpæ.

Sapidissimum apud Insubres edulium, vulgò Zabajone.

Modus, quo novum cupediarum genus instruitur præ oculis ponitur.

Cavendum id maximè, ne leviter quidem ebulliat: secus omnis opera deperditur.

Ille

Ille me, credideris? ad Dianæ Ædem usque perduxit. Cui ego: Quinimò citissimè rediisti, poteras, & Veneris Ædem invisere, indè non procul dissitam, quam posuit Cæsar magnificentissimè in litore peramæno, de quo Martialis.

Litus beatæ Veneris aureum.

Et ille: satis me monuit Titus Ennius; illùc etiam ut pergerem; at diù immoratus in perquirendis undequaque prioris Fani vestigiis, valdè metuebam, ne, meâ de causâ, prandium corrumperetur; atque adeo posterioris invisendi consilium omne in aliud tempus consultiùs rejeci, reditumque, quàm potui celerrimè, maturavi. Tùm ego: Quid tibi visum de pervetustâ Ædis structurâ? Idem, reposuit, quod de Rhodio Colosso memorat Plinius, *adhuc jacens miraculo est*. Dubitastin', hîc ego, an illud effet Fanum ipsum Dianæ, in quod perbellè Propertius.

Et quid te mediis cessantem Cynthia Baiis,
Quæ jacet herculeis semita litoribus?

Atque hic Lævinus, ipsissimum illud putavi; neque ulla in contrarium suborta est suspicio: ac præter Titi testimonium, cujus apud me auctoritas plurimùm valet, perspicuo sunt mihi argumento Canes, & Cervi, pluribus hinc inde saxis affabrè insculpti, quos cæca veterum superstitio suæ Sylvarum Deæ sacraverat. Tùm ipse erudite tu quidem, ut soles; at quæso te, vidistin' ibi lapidibus etiam insculptos cum Canibus, & Cervis Mullos? Ita sanè, tunc ille; quid autem Mulli sibi vellent potissimùm, non satis adhùc animadverti, atque illud ex te sciscitari jam constitueram. Adeò dum, hic ego: Mullos prisci, venatores jure dixere; quòd, ut Venatici solent Canes, Marinos Lepores agitant, atq; insectantur, hinc factum proinde, ut Venatrici Deæ Venatores etiam Mulli meritò dicarentur. At perge sis; sudorem, ne frigefiat, ocyùs abstergito, mundamq; induito, quæ ad manus est, subuculam. Vix recepit se ille in cubiculum, cum Puerum rogavi, num essent in promptu omnia? Et ille: actutum pastillos in lances ingeram. Move inquam, te citiùs, Cinnamomum in mortario ad minutissimum usque pollinem conterito, quo novum epulum affatim spargas. Mensam subinde instruito, pocula, cultellos, fuscinulas, hypocraterem, explicato torali super mensam mantili, statim reponito: mox pro secundis mensis Quasillum cum Apianis, & corniculatis uvis, cum quaternis præcoquis, & totidem volemis pyris è penu afferto: at vide, ne Culinæ ostium apertum maneat; quàm enim versuta, quàm gulo-

Huic Numini Templum Romæ ab eodem dicatū, Appianus testatur additque Plinius, eundem Thoracem etiam ex Margaritis Britannicis contextum Veneri Genitrici factasse.

sa sit Felis, jam probè nosti. Novi tùm ille, malo meo; heri quippè, oculis vix aliò conversis bilibrem illam, quam tibi basilicè adornaveram, soleam surripuit. Intercà loci, tùm ego: ubi instructa omnia, & mensam Leucojo candido, ac luteo conspersoris. admoneto. Hinc rectà in cubiculum pedem intuli, ut Cottam è somnulo excitarem: Cùm autem experrectum inveni: num quid incommodi meus lectulus attulisset, rogavi? Et ille: quin commodi plurimùm attulit: jam inde enim, ubi cubitum veni, nunquam, ne levissimo quidem intervallo, interruptus est sopor. Eodem ne semper fato miser Cotta vexetur? Non hîc certè, tùm ego, tanta Murium frequentia; nam & muscipulis oppleta est domus, & factum est, ut vides, in foribus ostiolum Feli. At quota nùnc hora, quæso, hîc ait Cotta? Data est, tùm ipse, jam modò decima octava; solidas quinque horas dormisti, quòd fiet benè. Pergamus jam; ecce adest Puer, monetque, prandiolum præfestinè adornatum. O' factum egregiè! tùm Cotta: è toro ad mensam? Cui statim Fabiolus: Priscis erat in toro mensa, ut de Parthenio audivi: Euge, hîc Cotta, Euge Fabiole. Cui ego: Tace argutule; nostris ne te sermonibus intermisceas. Et ille: Nihil jam mutire audeo. I, præ, tunc ipse, & siquidem præsto sunt omnia, Lævinum ad mensam voca. Statim subindè Trulleum, & guttum cape; tu in manus aquam infundito; linteum, quo extergantur, porrigam ipse. Lotis jam manibus, admotisque ad mensam sedeculis, Deum priùs uno omnes ore ritè apprecati, consedimus; at ego tertius ab hospitibus, ut decebat. Initium prandio factum à Turdis, quos modicè jurulentos, vapore lento Puer incoxerat. Vix degustavit Lævinus, cùm, hocce, inquit, Parthenie ferculo delicatius nullum, nullum suavius à te instructum aliàs certo certius affirmo. Et Cotta: addita, ni fallor, sunt etiam vuluæ Suillæ frusta minuta, veterum mensarum delicie. Sapidiores ne Turdi an vulva, an jusculum palato jucundius accidat, dignoscere planè nequeo; perquàm jucunda omnia, ac sapidissima. Quid mirum? Tùm ipse; cum sint Aves hujusmodi inter primas, à saporis bonitate, meritò collocatæ. Qua de re illud jure cecinit Veuusinus.

Cum sit obeso
Nil melius Turdo, nil vulvâ pulchrius amplâ.

At quis hic Myrti odor? Lævinus inquit. Cui Cotta: fortassis Cistula, quâ Turdi ad Parthenium delati, odoratissimâ, ut fieri solet, Myrto, infrà, supràque obvoluta odorem tenellis Avibus impertiit suum. Hîc Lævinus:

Ita-

Itane verò Parthenie ? Cui tùm ego : Minimè profectò gnetium ; utque id , quod res erat in aperto fieret ; Turdi ventriculum , tenui fuscinulâ , mediumque dissecui ; ubi verò binas inde myrteas baccas , recentes adhùc cultelli acie excepi , & commostravi . Papæ ! statim uterque . Sed Cotta : pòl ait , pluris faxim Turdos deinceps , qui tùm odore , tùm succo & capiti prosunt , & stomacho . Hæc inter accessit Puer cum duplici ad manus lance : alteram assi , qui reliqui fuerant Turdi , alteram onerabant pastilli Tùm ego : Quis te jussit , Puer , hæc adeò festinanter apponere ? Vin' . barde , ut frigescant ? Atque ille : Acceleravit Lævinus , cuius videram nuper patinam vacuam , & politam perbenè . Hîc ego : caperatâ fronte , atque ad severitatem compositâ : Tressis homuncio , quamdiù tàm domesticum usum , & consuetudinem nobiscum obtines ? Facesse hinc ocyùs : secundario pane , & aquâ in posterum observantiorem te fecero ; victitabis volupè parsimoniâ , & duritiâ , stipes , caudex , Asine . Iram , quæso , hîc Cotta , si me , & Lævinum amas , deponito , Parthenie , delicium nostrum . Condonetur Fabiolo jocus . Veniam , tùm Lævinus meretur puer propter assatos basilicè quidem Turdos , pastillosque scitè satis conditos . Ad quod , tùm ego , istiusmodi audacia Asylum tutius confugeret ? Cui se comendaret meliùs Lævine , quàm tibi , & Cottæ ? age sis afferto cum Elixâ bubula oleraceam pultem . Nondùm verò Cotta gustaverat ; & jam , inquit , diù brassicam expectabam , Parthenie , quâ me scis maximè delectari ; eâ præsertim , quam ipse tot gulæ scitamentis egregiè adornas . Intereà loci Lævinus : heus tu , ait Fabiole scyphum porrige , infunde merum . Et ille : rufumne , an album ? Cui Lævinus : placet mihi album Nolanum , hinc Puer sinistrâ hypocraterem cum scypho , dexterâ phialam nivatam tenens , ad summa labra implevit Calicem . Hîc assurgens Lævinus , hunc , inquit , Cotta cyathum plenis faucibus felicitati , gloriæ , atque amplitudini magni Rambaldi lubens propino . Atque ille , nullâ interpositâ morâ , cedo , inquit , plenum albo vesuviano grandiusculum calicem : Inde aperto capite hoc tibi poculum Mæcenas ampliſſime Parthenii nostri , comes Rambalde ; coronatumque uno spiritu exhausit . Tùm ego , actis de officio gratiis , Puerum jussi , rufum stabiense , quod meo magis stomacho quadrat , in craterem infundere ; atque ad amicos conversus : tanto Principi , quis potissimum , nisi Parthenius jure propinet ? eique nestoreos annos , & masculam prolem , tanto dignam parente , à bonis Superis apprecetur ? Hic ,

ut

ut aliquod præberem lætitiæ ſpecimen, cryſtallinum craterem altè conjeci. Omnes ad punctum temporis vociferari, applaudere, exultare; ſed præ cæteris Cotta, qui tua, inquit, juſtiſſima vota, Parthenie, exaudiant Superi, tuaque interſiet venturos liberos, ac Nepotes feſtis Genethliacis excipere. Cui ego: Ubi per ætatem, penè confectam licuerit, argumentum tenuiſſimæ Muſæ gratius nullum obvenerit. Hoc loco Fabiolum rogavi, an quid repoſitum in culinâ haberet, ſuâ dignum operâ? Et ille: habeo novum edulii genus, quod, ſi lubet, apponam; vereor tamen ne, quam hùcuſque laudem paravi, poſtremò corrumpam. At ego: Adeon'delicatulus fuas? Advola, atque hùc novum Epulum, cum pomorum quaſillo feſtinanter afferto. Perrexit ille, & patinam, & ciſtulam ſimul attulit. Ut primoribus labris deguſtarunt: hoc certè, inquiunt, non ex tuâ officinâ, cupediarum genus prodiit Fabiole. Quibus ille: An vos lateat, quo ego, Magiſtro edoceor? Tenemus, inquiunt: Verùm quis profeciſſe te adeò, ſuadeat ſibi? Rei ſuavitas, atque excellentia opificem arguit multò peritiorem. Rurſum ille: vultis ne adornandi Epuli modum ad unguem penitùs referam? Id referre, tùm ipſi, ut tibi Auctoris nomen vindices, nihil refert omninò. Rem profectò delicatiſſimam! Exclamavit Lævinus, dulcem adeò non elaborarunt ſaporem, aut perſicæ unquam dapes, aut ſiculæ. Caſu ne factum, tùm Cotta, ut poſtremò ſuaviſſimas haſce menſæ delicias apponeres an conſilio dixerim? Hanc moram, qualis qualis fuerit, boni conſulo, ne unum quidem bolum mihi ereptum ſinam. Age nunc Fabiole, infunde rufum; inde Lævinum intuens; hoc te, inquam, poculo invito. & ferculi hujus tàm bono Auctori lætus propino. Inurbanus ne ſim, repoſuit ſtatim Lævinus: heus Puer albo Nolano pateram impleto properè, & coronato; cui Puer: timeo ne effluat; & ille hanc mihi ſpartam relinquito; tùm ad Cottam converſus. Hunc Parthenii ſoſpitati, cyathum exicco: Parthenii, inquam, qui feſtivis adeò epulis, & tam lauto nos excepit convivio. Cui ego Lautum nihil, nihil feſtivum; Quid enim hâc menſâ frugalius? quid parcius? Tuum eſt, coqui tàm probati, Fabiole, invitationibus reſpondere. Vix hæc, cum ille; aſſumpto confeſtim Calice, ac benè pleno, quæ meæ erant partes implevit. Remotis interim menſis, quoniam animus in eo erat, ut elegos audirem, Jam nunc, inquam Cotta opportunum videtur, lugubre carmen, quod caſtigaſti ad limam, commodùm recitare; Illud mihi, & Lævino, ut pro ipſo ſpondeam, bellariis omnibus accidet gratius,

Digitized by Google

tius. Hoc loco Cotta: ut vobis morem geram; recitabo; date aures perhumaniter, ut soletis.

Prò immaturo Rambalduli obitu:

ELEGIA

Sic mihi te Supérûm, sic me tibi Numina servent
Parthenie, & lætus vivat uterque diù;
Tu ne putas tantum nostras audere Camænas;
Auribus ut sperent carmina digna tuis?
Attamen hoc benè, quod tristes adhibere querelas;
Mœstaque Rambaldi funera flere jubes:
Scilicet incomptam deceant lugubria Musam;
Nullaque inornatæ res magis apta lyræ est:
Flebimus, & gemitu luctantia verba premente;
Quamlibet angusto tramite vena fluet:
Flebimus: ipsa suum pariter vulgare dolorem
Atque viam lacrymis pandere Musa volet;
Nam neque te solum tangunt hæc funera; tangunt
Me quoque; nec luctu corda carere sinunt.
Quis, rogo, non doleat, subiti ceu turbinis æstu
Succisam primo in Vere fuisse Rosam?
Sydus & eoâ visum modò luce sub ortum,
Antè horam radios occuluisse suos?
Hæc tua sors, Rambalde Puer, quem præcoce fato
Antè expectatum jam premit Urna diem.
At non hoc olim de te sperare jubebant
Maxima Natali gaudia sumpta tuo:
Non ætas, non forma, tui non gratia vultus:
Quique erat in tenero plurimus ore decor.
Tè nascente, diem gemmâ meliore notavit
Protinùs auspicio lætus uterque Parens;
Atq; ait: hîc feræ requies optata senectæ,
Et vivet nostræ spes benè firma Domûs.
Hei mihi sed ventis & verba, & vota dedere;
Invidit tantis Mors inopina bonis.
Occidis heu! Rambalde; tibi nec profuit ætas;
Nec clarum antiquâ nobilitate Genus.
Occidis ostendisque tuo Mortalia Casu
Quàm; nimis incerto stent bona cuncta gradu:
Antè diem raperis, tenerâ decerptus in herbâ
Flosculus, heu patrii nuper amoris Amor!
Patris amor quondam, qui nunc sua fræna dolori
Laxat,

Digitized by Google

Laxat, & assiduo proluit imbre sinum.
At tibi, quæ nostro gaudes, Libithina, dolore
Magnum Rambaldi funera crimen erunt.
Nullaque crudelem te post non arguet ætas,
Et peraget populi judicis ore ream:
Te meus antè alios fato percussus acerbo
Parthenius justis arguet usque notis:
Neu tibi sic placeas, nostrâ lætata querelâ,
Arbitrio multum detrahet ille tuo:
Quidquid Rambaldi poterit supersesse sepulti,
Servandum Famæ, te renuente, dabit.
Quòd si languenti Puero licuisset adesse.
Aonîâ Vates arte tulisset opem:
Dulce melos fugientem animam vetuisset abire,
Aut Lachesis durum sustinuisset opus:
Quod licet, & fas est, Luctum curasq; Parentum
Leniet: officii pars erit ista sui.
Quandoquidem extincto reddet per carmina vitam
In quam nil fatum juris habere queat.
Quamquàm ille, ut meliore sui jam parte superstes
Vivat, Apollineæ non eget artis ope:
Ipse etenim Cœli superas evectus in oras
Aspectu fruitur liberiore Dei:
Inde orbem procul, & subjectas despicit arces,
Quas miserâ nubes plurima nocte premit,
Mortalesque vices, humanaq; gaudia ridet,
Et strepitum, & fluxas, quas habet orbis, opes:
Interdumque suos altâ de sede Parentes
Respicit; & lacrymæ cur mihi dantur? ait.
Me gemit amissum, nec opino funere ademptum
Hinc Pater, hinc multo victa dolore Parens;
Gratus amor, grata est pietas: sed parcite luctu,
Atq; pio tristes imbre rigare genas.
Si qua fides, Cœlo fruimur, Numenque beato
Lumine divinas cernimus inter opes.
Ne lacrymas igitur, gemitus ne fundite: Non est
Mors ea, quæ Cœlum pandit & astra mihi.

Ut recitavit, temperare mihi non potui, quin ruerem in amplexus, tantus fuit, Elegorum nitor, suavitas, atque mundities: tanta affectuum proprietas, ut in eo veteres stylo adamusim expresserit, in hoc Parentis animum, ac mores induerit, neque ab hâc meâ sententiâ Lævinus latum unquem discessit. Verùm, Adolescens, ingenuis moribus, Corta, demissè adeò de se, ac de suis sentiebat, ut ad tàm splendidas utriusque Laudes, manibus Cœlum se tetigisse puta-

Digitized by Google

putaverit: Tum ille, si quid, ait, Parthenie; apud te valeo gratiâ, enixè rogo, imò rogamus, ut etiam pro Lævino spondeam, ne velis, quam de Collaltinæ Familiæ origine cognoscendâ expectationem totiès excitasti, diutiùs distinere. Cui ego: faciam libentissimè; tùm quòd meruisti Musis tuis lautissimis; tùm etiam, quòd hanc potissimùm debeo Mecænati meo meritissimo officii partem. Atque hæc ut dicta, meridiatum in cubile quisque suum concessimus.

CAPUT IV.

Collaltinæ Familiæ Originem, quam à prandio promiseram, repeto.

Vix meridiationis horâ transactâ, ecce tibi Cotta, & Lævinus, qui ad meum Musæum considentes: Fidem, inquiunt, dedisti Parthenie, solve debitum, ut nomen tuum ex rationum libro eradamus. Quibus tum ego: Coactores vos estis nimiùm festinantes. Quin etiam, tum ipsi, & nimiùm importuni; aliquâ tamen excusatione digni, quòd inflammata cupiditas impatiens est moræ. Bellè quidem tum ego: at finite saltem, ut mexicanam potionem anteâ quàm citissimè adornem, quâ compressis epularum exhalationibus, roboratum cerebrum dicenti commodiùs adest. Et illi: Si quid preces possunt, etiam atque etiam rogamus, ne moram hanc ulteriùs innectas; Pueroque onus istuc commendes; ne vèl minimum temporis frustulum excidat sine lucro. Quibus ego: ne inurbanus videar, hunc morem vobis geram. Quare accito Puero, acceptoque ex arculâ cocolatæ cylindro, odorato ambare affatim perfuso; perge, inquam, in focum Puer, & terna hinc nobis, ut scitè soles, pocilla instruito. Vide sis, ne vel cotylam aqua exuperet, vel parcâ nimium manu infundas; ubi sufferver, statim versato, ne diffluat. Audistin? Et ille: teneo, inquit, diùque, jam, te magistro, manum à ferula subduxi. Vix Puer discessit, cum amicos intuens: agite igitur, inquam, animumque advertite, ordior jam, ut jubetis, narrationem. Atque illi: perpurgatas tibi aures, attentumque animum commodamus. Edisseram, tum ego, rem penitùs omnem ab ovo. Gens Collaltina remotam adeò obtinet originis suæ vetustatem, ut instar Nili, caput ortumque suum malit Postgenitorum admirationi esse, quàm oculis patere. Amplissimum hoc quidem nobilitatis argumentum! Quid enim

illustrius, quàm aviti sanguinis primordia tam longè esse petita, ut diuturna temporum series hominum memoriam vicerit, ac monumenta? Quàm dictum elegantèr ab eruditissimo Viro, (1) in hoc, quo de agimus, Collaltianum Genus: ex Familiis, eas oppidò, omnium votis censeri maximas, quæ nesciunt se fuisse parvas. Atque hinc fit, ni fallor, ut conquirendo, statuendoque Familiæ hujus exordio, non una omnium mens sit, ac sententia; quamvis eam, ex Regio fonte promanasse, consentiant omnes, inficietur nemo. Hîc statim Cotta: magna prædicas tu quidem Parthenie: at quibus fundamentis summum istuc gloriæ fastigium innitatur, abs te scire aveo; cujus ingenium novi usque adeò nudæ, apertæque veritati devinctum, ut vèl minimam assentationis labeculam oderis semper cane pejus & angue. Cui ego: isthùc contendebam: amicas tu interim aures dato; ità nec tibi, nec Lævino ingratum sermonem fore confido. Adsumus tum illi; teque dicentem auribus sequemur, & animo. Atque audite, tum ego; remque (dum vacat, dum lubet) altiùs ordior hoc modo. Ex tot cordatis Authoribus, (2) qui luculentissimis de Collaltinorum Genere Commentariis Antiquitatis fastos locupletarunt, cùm primum hujusce Familiæ caput pervestigarent, in quatuor & viginti, quod sciam, abiere sententias (3); quamplurimi. Ut paucis innuam illustriores, inter eos numerantur nonnulli, quorum illud animo insedit; ut vèl antè Christi Reparatoris adventum ejus initia quærenda sint, & potissimùm ex pervetustâ (4) Aniciorum stirpe ducenda; unde veluti ex Arbore, (5) Ramus de Comitibus nuncupatus amplissimè progerminavit. Eâ ducti conjecturâ, ac ratione, quod, antequam Collalti Arx magnificè excitaretur, ejus ditionis Reguli hoc uno Comitum agnomine appellarentur; iidemque omninò colores, ac notæ Gentilitium utrique Familiæ Insigne mutuo jure componerent. Sunt, (6) qui ex Merovingorum Regum Sanguine effluxisse firmiter asseverant. Nec desunt, qui ad clarissimum illum Tervisii Comitem referant Genus; illum, inquam, qui per (7) Divum Prosdocimum, Petri Apostolorum Principis discipulum, anno à restaurata salute quinquagesimo, fuit sacro fonte lustratus, quod planè docent, cum exindè per aliquot sæcula pleno jure, atque inconcusso (8) Tervisianum Comitatum Collaltini Proceres obtinuerint. Ea porrò sententia arrisit aliis, ut annis, antè conditam Romam nongentis Collaltinæ Familiæ origo (9) à Gherardo Montorii Domino fluxerit; qui de Trojanæ stirpis Rege Dardano in Italiam ap-

(1) Petrus Labbè S. J. Elog. lib. 6. pag. 270.

(2) Henricus Abbas Histor. Collaltiana.

(3) Anonym. Chronica apud Betussium in Additione ad Boccac. de Fam. illust. Edit. 1. cap. 35.

(4) Anonym. apud Bonifacium Histor. Tervisiana lib. 2. pag. 8.

[5] Baron. in Mart. Rom. 31. Mai.

[6] Jacob Zabarella Morovea Patavii 1660. Typ. Pauli Trambotti.

[7] Andreas de Redusiis de Quero, Chronicon de Rebus Marchiæ Tervisanæ.

(8) Joseph Betussius, Ed. 2. fol 185

(9) Octavianus Tursius Carmina pag. 57.

Digitized by Google

ppulſus Euganeæ Dux, & Comes eſt renunciatus.

Hoc loco Cotta: Papæ! inquit, in quàm varias, & quàm illuſtres ſententias ſplendidus Collaltæ Gentis decor eruditorum mentes diſtraxit? Mecœnati tuo clariſſimo, Parthenie, gratulerne magis, an tibi? Equidem utrique ex animo. Age vero, quid tu, inter tot Authorum diſſidia? quò potiſſimum inclines, quid ſentias, aperias oro, obteſtorque; id quippe, & mihi, & Lævino accidet jucundiſſimum. Cui ego: faciam illicò. At mexicanæ potionis odor, qui hùc uſque è culinâ latè diffunditur, aliquantiſper admonet ſuperſedendum: Cum hæc dicerem, ecce tibi Fabiolus, qui lævâ cupream ollulam, dexterâ buxeum dentatum turbinem tenens; ne potio, inquit, vel tantillùm diſſluat è labris, hìc conſultiùs verſanda videtur, atque infundenda. Cui ego: laudo conſilium. Affer hùc igitur ex Armariolo cyathos ternos, ſingulos ſuis pateris imponito; tùm validè ad ſpumam diverberato; & parcè, & paulatim infunde. Vide, ut oſcyphia ſint bullis ſupra labrum turgentia. Id contendam tum ille; tantâque artis ſolertiâ, ut hanc mihi demandaſſe provinciam, te non pœniteat. Poſt pauxillum verò, ubi cumulata prætulit vaſcula, intuere, inquit Parthenie, an ex voto, an altiùs unquam tumentia contigerint? Cui ego: Euge Fabiole, expectationem viciſti. Age jam, & da Cottæ Sinenſe illud capacius: Japonicum, atque anſatum Lævino: breviuſculum mihi, è Gruis officinâ graphicè elaboratum. Ut primoribus labris deguſtarunt: inſuetam primùm odoris fragrantiam mirari; mox feſtivis vocibus celebrare, extollere, atque ut alteram Jovis ambroſiam à Jove ipſo delapſam deprædicare; ad me tandem converſi: beati nos, inquiunt Parthenie, poculo uſque adeò ſuavi, ut nec Fannius ipſe venditare poſſit ſuavius. Quibus ego ſubridens; rectè exiſtimatis; quî enim fiat, ut melius jactitet, ſi iſtuc ipſiſſimum Fannii eſt? Is quippè; ut capitis dolori, quo identidèm excrucior, tempeſtivè occurreret, libras viginti Neapoli ad me attulit, ſingulari, qua pollet, benevolentiâ. O' factum optume! hìc ſtatim Cotta; quoniam, ſi laudabilius nihil, quàm beneficia apud Amicos collocare; quis Fannio commendabilior, qui eodem munuſculo, dum Parthenii ſoſpitati conſuluit, Amicum optimum, & Muſas ipſas ſibi amiciſſimè devinxit. Ita enim verò, tùm Lævinus; quamobrem, ſtatim ac domum rediero, nec laudibus parcam: nec ſinam, quin illi ex animo gratiæ agantur quàmplurimæ. Cui tum ego: Si id feceris, nihil planè gratius te mihi præſtitu-

Digitized by Google

rum scias. Interea loci, ubi ab exiccatis oscyphiis; modica de more intercapedo facta est; eja, inquiunt, suavitate omni suavius caput, Parthenie, intermissum sermonem, persequamur, dum lubet; tuamque in eo sententiam deprome. Quibus ego: istuc omni ope, atque operâ contendam; eòque lubentiùs, quòd jucundissimâ potione roboratum caput, animusque vegetior factus, munus suum obire valent alacriùs. Atque, ut indè exordiar, quò postrema inclinavit sententia, illud animo combibendum, quod quamplures primi subsellii Scriptores in hanc rem literis demandarunt. Tum statim illi: manum admove, hic stamus. Et ego: (1) Apud Josephum Betussium, acri ingenio virum, & in genealogiis præcipuè, contexendis solertissimum, de Collaltorum origine, id memini me perlegisse; quod antequam Ænæas, sive ut aliis placet, Ascanius Albam positurus, Italiam advenerit, fuit è Trojanâ progenie Rex Dardanus; cui nupserit Sabina quædam Ricasanis, Regis Armeniorum filia. Atque ab hoc primùm Dardano Patavium conditum est; quod à Generis nobilitate Euganiam dixit; undè finitimi etiam montes, Collesque universi (quam appellationem servant adhûc) Euganei appellati. Hoc loco Lævinus, patiare quæso, inquit, ut te paucis distineam. Et ego: imò gratum facies. Tum ille: diù, inquit, penes Plinium, ac Ptolemeum jam legi, Patavium, longè clarissimam Venetorum ditionis, atque Imperii Urbem à Trojano Antenore, regio planè sumptu, conditum fuisse. Qui verò conditorem Dardanum statuat, legi neminem. Cui ego; hùc te venturum jam suspicabar; ab eo tamen vado eduxerit te facili negotio laudatus Author: dum aures faciles præbeas. Atque hic ille: perge porrò. Cum ego: Urbs illa, seu diruta, seu externorum impetu labefactata, Antenori, qui ea loca accesserat, sedem dedit; cui restitutæ, & latiùs extructæ, factum est postea Patavii nomen. Tenes jam nunc, & quidem non obscurè, antiquissimam Urbem, Euganeam primò, mutatis indè temporibus, Patavium nuncupatam. Neque illud levi est argumento, quod ex vetustissimo eruitur Antenoris ipsius sepulcro; in quo hæc, quam vix legas (adeò corrosa est) Inscriptio extat.

Inclytus Antenor, patriam vox nixa quietem,
Transtulit hùc Henetos, Dardanidûmque fugas;
Expulit Euganeos, Patavinam condidit Urbem:
Quem tenet hîc humili marmore cæsa Domus.

Assentior, tum Lævinus, & gaudeo, te Ducè, ab hac salebrâ emersisse. Sed ne moram festinanti faciam, nar-

(1) Joseph Betussius epist. ad Comitem Collaltinum de Collalto in fine operis de Fœminis illustribus, pag. 215.

Digitized by Google

narrationis filum, quæso resume. Parebo lubens, tum ipse. Euganea igitur Portis quatuor, veluti Arcibus, munita erat; quarum alia orientem, alia occidentem, meridiem alia, postrema septentrionem spectabat. Atque hæc princeps, & nobilissima Urbis Porta, marmoreum supernè viridi colore simulacrum ostentabat, triformem vultu Puellam referens; ex quo Tervisii, ut putant, nomen enatum; atque hujus Arcis Ducem Gherardum Montorii Comitem Dardanus jussit, à quo Comite Collaltina Familia rectâ traxisse originem perhibetur; ejusque germanus frater, sub idem fermè tempus, Vicentiæ Comes renunciatus. Hæc ex Betussio. Præclara quidem, tum illis, & mirum quantum, inquiunt, bono in lumine suam Author sententiam collocat! Verùm quid tu de hoc placito ingenuè sentias, ut planum nobis facias, enixè obsecramus. Hùc ibam, tum ego: animum igitur, aureſque erigite. Et primò: Euganeam, antiquissimam Urbem à Rege Dardano excitatam, & Mœnibus fuisse, & Arcibus communitam, nemo fuerit, ut arbitror, qui negaverit; nisi fortè veritati obfirmato animo audeat adversari. Ità enimvero, hîc statim Cotta; id quippè manifestum est satis. Et ego: extitisse insuper in Portæ principis elatiore loco è viridi exculptam marmore Puellæ statuam vultu triformi, unde Tervisiana Civitas sibi nomen ascivit, ire inficias non ausim: quamvis enim id probè teneam; nervos scilicet, atque artus esse sapientiæ, non temerè credere; at Authori probatissimo, & cum primis erudito, fidem non habere, stultissimum; secus humana fides de medio tollatur, necesse est; quo quid absurdius? Ajo enimverò, hîc Lævinus: istuc dem facile; at hinc quid conficias? Illud, tum ego ipsum ipsissumum, quod ad narrationis coronidem asseveravit Betussius, à Gherardo nimirum, Montorii Comite, atque Euganiæ Duce clarissimam Collalti stirpem auspicatò deductam. Verùm hoc, tùm illi, cùm cardo sit controversiæ, ad eum stabiliendum, tutum non satis unius, quamquam ingenui viri, testimonium censemus; nisi alia in præsidium adduxeris veterum monumenta. Quibus ego: currentem incitatis? hanc mihi vos præbere ansam, gaudeo in sinu. Non pauca ad manus sunt, quæ quidem non ad chaos spectant, & ad saturnia, ut ajunt, tempora. Mitto, seriem hujusmodi perillustrem à Betussio apud insignem(1) chronographum attentissimè conquisitam, ac perlustratam; illud unum ex Gentilitiis insignibus Collaltæ Domus, quò hanc magis magisque sententiam firmem, proferre in medium, non abs

(1) Anonymi pervetustum æquè, atq; integerrimæ fidei Chronicon,

abs re etiæ, ut puto; imò hòc ad rem aptiùs, quod antiquiſſima illa ſint, quæ producam, Collaltinæ gentis inſignia. Beaſti me, hoc loco Cotta, me beaſti, Parthenie: nullum profectò expediendæ rei congruentius argumentum inveneris; uno enim eruditorum conſenſu id rem conficiet, omneſque tricas abrumpet, ſed ne me, quæſo, longiùs diſtineas, pergito. Atque hìc ego: (1) In Regii ſtemmatis faſtigio venuſtiſſima ſedet puella triplici quidem ſed liberali facie, colore habituque ſubviridi, cui dexteram Civitas, ſiniſtram manum prælatus galeæ criſtatus apex ornat, oneratque: ad latus porrò nitentem ex argento clypeum vides, cui galea ipſa incumbit, galeæque gyrum aurea ritu antiquo corolla ambit perbellè. Hi denique ad pedes graphicè inſcripti verſus.

(1) Perantiquum Proſapiæ ſtemma elegantèr deſcribitur.

Regia Collaltæ ſunt hæc inſignia Gentis:
Aſpice, quàm vario Stemma decore micat!
En riget argento Clypeus, riget Ære: probatur
Pervetus hinc Gentis robur, & inde Fides.
Hæc Galea emeritis oſtentat ferrea Criſtis,
Collaltum Imperio conſenuiſſe Decus.
Terna uni ſunt Ora? Tulit Terviſia Tellus,
Collaltos Dominos, quæ docet eſſe ſuos.
Sic triplici Virgo conſurgit martia vultu,
Uſque viret cui Spes, ut viret uſque color.
Dextera fert Urbem, quam plurima ſæcula norunt
Hos olim Comites, Hos habuiſſe Patres.
Læva tenet Galeam, decus, & tutamen in Armis;
Aureus & Galeam ritè coronat apex.
Quamvis Regna ruant, Famam non proruit ætas,
Æmula ſed priſci temporis illa viget;
Hæc commendat Avos, Famamque Nepotibus auget;
Quos virtute canit Regibus eſſe pares.

Ut recitavi: Euge Parthenie, inquit Lævinus, magnum ſanè momentum huic attulit ſententiæ antiquiſſimum ſtemma; quod nitido, argutoque epigrammate non innuitur modo, ſed mirificè etiam oculis ſubiicitur. Quamobrem, utut nulla extarent alia Hiſtoriæ monumenta; unum hoc ad extorquendam fidem ſatis eſſet, & pluſquam ſatis. Haud falleris, tum ego; res enim prudentibus, & cordatis viris, eſt planè exploratiſſima. Verum, accipite, amabo vos, quod rem in apertiori loco reponit aptiſſimè. Ad Sileris ripas, qui Terviſium alluit, pontum jam olim eſt, & extaret utinàm adhùc, pulcherrimæ Virginis ſimulacrum è viridanti marmore exculptum, Exhibebat cinęticuli loco comis Puella Gentilitium Collal-

torum

Digitized by Google

torum Stemma, eo Lemmate, quod in fluminis nomen cadebat perbellè; Silerim enim *à Silendo* dictum volunt: ejusquippè amnis aquæ tranquillæ adeò, ac silentes labuntur, ut vix exaudiri sonitus queat. Lemma autem illud erat: *Silet hoc, loquiturque silendo*. Hæc porrò omnia, ut peregrinis viatoribus fierent planiora, altero hoc non invenusto Epigrammate ad statuæ basim descripta.

Hæc quid signa notant, triplici vultuque Puella?
Urbs, Clypeum, & tacito quid docet unda gradu?
Quid color hìc? pingui quid subdita jugera glebâ;
Et Cereri, & Baccho quid juga sacra volunt?
Terna docet Facies, quod sit Tervisia Tellus:
Urbs Urbem hanc simili nomine digna probat.
Collalti clypeus Genium tegit; inde viresci:
Hujus opes dextra hæc imperiumque monet.
En Sileris Flumen (silet hoc, loquiturque silendo)
Allambit Domini stemmata clara sui.
Quod Tervisinam dum præterlabitur Urbem:
Quid sileat novit, quidque loquatur, habet:

Vix finieram; cum statim illi ne te amplius, vexes, Parthenie. Tenemus quippè versiculis tàm sonoris rem totam ordine expositam; eique lubenti animo, assentimur. Quid enim ad persuadendum, silentio isto eloquentius, quo & mulcetur simul animus, & erigitur, & eruditur? Sed quoniam, non una de præclarissima Collaltorum origine (ut nuper tute innuisti) pervagatur opinio, dic sodes, post confirmatam egregiè Betussii sententiam: quæ tua tandem mens sit, quodque hâc super re volvas judicium? Nulli nempè magis fidendum esse, quàm tuo, atque ex aliis, atque ex nobis ipsi non semel, ubi præsertim in erudito versemur pulvere, didicimus. Bona verba! tum ego. Sed ne ulterior nectatur mora, dicam lubenter, quod sentio. Vereor tamen, ne tempus non suppetat. Et illi: de hoc inquiunt, timorem excute; si absolvi hodie narratio nequit, quod super fuerit, crastinâ expedies. Bene est, tùm ego: adestote igitur; remque ordior hoc modo. Etsi tàm multa, & varia sint, quæ de pervetustâ hujus Familiæ origine perhibentur, ut eam definire difficile admodum accidat; (1) ex clarissimo tamen, Regioque Longobardorum sanguine ducendam esse; id mihi non verosimillimum modò, sed tàm certum est, quàm quod certissimum. Huic siquidem sententiæ non unus, aut alter, probatæ fidei Author subscribit; sed quod mirum oppido est, (præter Tabulas, & publica hac de re (2) monumenta) unanimis scriptorum consensus adstipulatur. Unum profero

(1) Joannes Jacobus de Ischia, scena de Tragici amori lib. 4. pag. 257.

(2) Illud in primis Donationis Instrumentum, sub ann. 991. quod à Sansovino refertur pag. 2.

fero disertum, (1) atque huic sententiæ fautorem acerrimum, illustrissimum virum, Henricum Abbatem à Collalto, qui in celeberrimâ Historiâ Collaltinâ, singulari studio, summâ eruditione, ac feliciſſimo ingenio ad literariæ Reipublicæ commune bonum elucubrata, universa propemodùm, quæ de Collaltorum genere quatrincenti, & amplius primæ notæ Authores, Latini, Itali, Germani, Galli, atque hiſpani in lucem dedere, congesta in unum, ad liditum veritatis lapidem, solertissimè revocavit. Qua verò tempestate potentissima illa Longobardorum Natio ab ultimâ usque Saxoniâ, infestis signis Italiam invaserit, tenetis credo. Scio equidem, hic statim Cotta, Alboinum à Narsete invitatum, relicto Danubio, Gepidisque, Saxonibus, & Bulgaris in Societatem assumptis, cum ducentis Barbarorum millibus, sub annum à Partu Virginis DLVIII. in eam Italiæ partem irrupisse, quæ Hetruscos inter, & Alpes jacet; ibique Regni rudimenta constituisse. Cui tum ego: eruditè tu quidem Cotta; sed cedo nunc, amabo te, ullum ne in præclarissimâ hac stirpe antiquitatis documentum illustrius, quàm turbò posse, citra omnem fucum, per duodena continentèr sæcula, aviti sanguinis splendorem, ne minimâ quidem defectionis nubeculâ ostentare? Et ille: nullum profectò: istuc enim temporis spatium adeò diuturnum dixerim, ut perdifficile sit, unum, aut alterum tam certæ, tam diutinæ, tam exploratæ nobilitatis Genus, intermissâ nunquam Principum Serie, percensere. Sed age sis; tum ego, & pressiori argumento novum aliquid Collaltino Generi singularis commendationis accedat; idque eò lubentiùs apponam, quòd placere tibi, & Lævino nullus dubitem. Ita, inquit Cotta, atque istuc abs te, ut pro Lævino etiam spondeam, avidissimè expectamus. (2) Quibus tum ego: Quàm insignes, quàm clari nominis per totum orbem Familiæ Comitum, & Principum de Hahenzollera, & Sigmaring, Burgraviorum Norimbergæ, Marchionum Brandedurgensium S. R. I. Electorum, & illustrium Borussiæ Regum, habitæ sint semper, & habeantur, latere vos haud arbitror. Ita enim verò, tum illi. Verùm quid inde ad rem? Plurimùm sanè, inquam: accipite. Amplissimas hujusmodi, quas suo quamque nomine, distinctas volui, ab Collaltinâ unâ, ut à fonte fluxisse, constantèr affirmare non dubito. Papæ! hîc illi: Mira, inquiunt, & nobis hactenus inaudita narras Parthenie. Mira quidem, tum ego; (3) at publicis, privatisque literis, ac monumentis usqueadeò perspecta, atque explorata, ut æquus

rerum

(1) Marcus Barbarus Cronica delle Famiglie Venete Verbo Collalto. Franciscus à Casono Genealogia Comitū Tervisii, atque Collalti. Nicolaus Mauscus Tract. de Tervisinis Gentibus. Idem Historia di Treviso lib. 1. pag. 30. Francis. Sansovinus origine delle case illustri d'Italia pag. 2.

(2) Henricus Collaltus specimē collaltinæ Histor. pag. 1.

(3) Jacobus Zabarella in morosch lib. 1. fol. 10

rerum æstimator addubitare non possit. Mitto, ne longus sim, antiquissimum in Domibus hisce Gentilitium Insigne iisdem omninò notis, coloribusque distinctum. Mitto non contemnendam, ex ipso Agnomine, conjecturam; *Hohenzollern* enim germanico, idem sonat, atque italico sermone, *Collalto*. Mitto denique supremas Testamentorum tabulas; quibus si fortè, (quod boni superi avertant) Collaltina Familia deficeret, Hohenzolleranæ substitutiones sanciuntur. Hæc, inquam, omnia lubens omitto; cum satis abundèque sit locupletissimum pro re nostra Serenissimi Georgii Wilielmi, Electoris Brandeburgici testimonium. Is de pervetustâ Familiæ suæ origine differens, eam a Petro I. Collalti Comite, Rambaldi III. Tervisii Comitis Filio, sub annum MCXI. Hohenzollerano Genearchâ deducendam esse apertissimè asseveravit; idque (ut ipsissimis ejusdem Electoris serenissimi utar verbis) *ex communi Authorum consensu; quidquid* (1) *nonnulli nimium credùli Historici, omni prorsus fundamento destituti, seu hæsitanter* (2) *scripserint aliud chimæricum Petro cognomen imponentes; cum pro Collalto*, (3) *Oscitanter, & præposterè Columnio sint interpretati, candidæ explanationi parum, aut nihil admodùm affixi*. Hæc ille, cui potissimùm, nisi qui vel fide mala, cæcutire velit, vel invident â cæcus non videat sanæ mentis homo fidem omnem adhibeat necesse est. Quo illi loco: Euge, inquiunt, Parthenie, quòd rem tàm miram mirâ eruditione confeceris; & quam vereba mur Collaltinæ Genti invidiam creari, testimonio tàm luculento citissimè absterseris. Quibus tùm ego: hoc, inquam, metu angi vos, ac torqueri jam suspicabar. At non is ego sum (scitis jam) qui ut amicum præconiis cohonestem, aliis injurius inimicos parem. Præterquam, quod ad Collaltini Generis gloriam nil opus hac laude, nec fucatis aliis, & commentitiis ad nominis claritatem commendationibus. Longè majora opinione omnium decora, atque ornamenta habet illa, undè niteat etiam illustriùs. Exilit ad hanc vocem Lævinus; & quid, inquit, rei est, quod enumeratis hactenus accedere utcumque ad cumulum queat? Quid? Cui statim ego: Regiæ nempè sanguinis propinquitates, cognationes, affinitates, mutua demum, atque solennia cum summis Regibus, atque Imperatoribus conjugia. Ita ne vero? Tum Lævinus, & Cotta. Ita prorsus: tum ego. Qua in re (quoniam inclinari ad vesperam dies videtur non est, quòd testimoniis pluribus immorer colligendis; unum, aut alterum perpaucis asseram. Comitem in primis Jacobum Zabarellam, probatis-

(1) Galeatius Gualdus Priorat. Trattato delle notitie dell'Imperio lib. 1. cap. 21. pag 61.

(2) Reinerus Reineccius origines stirpis Brandenburgicæ.

(3) Antonius Teissier les Vies des Electeurs de Brandebourg.

Moroves pag. 96. & 97.
Henricus de Collalto Histor. collaltiana.
Dominic Francisc Calin Tabula Genealogica.
Idem Theatr. Genealog.

simæ fidei (1) Authorem: hujus quæso vos *Meroveam*, cum ad manus erit, evoluite; ubi summâ eruditione illud ostendit, Collaltinam scilicet Gentem cum quovis Christiano Principe, quem regia majestas, & augustum diadema commendet, sanguinis communione conjunctam. Consulite porrò Dominicum Franciscum Calin, Sereniſſimi Bavariæ Electoris Bibliothecarium, historicum ætatis suæ solertissimum, cujus duo extant Opuscula hac super re, ex quibus unum modò si vobis Titulum recitem, indè non operosum erit colligere, quò evecta sit amplitudinis Collaltina Familia. Uni, quem Leopoldo I. Impèratori dicavit, Libello hic inscriptus est *titulus*: *Tabula Genealogica, in qua Stemmatographico ordine demonstratur, qualiter omnes Imperatorres, Reges, Archiduces Austriæ à tempore Alberti I. Romanorum Cæsaris ex vetustissimo Comitum Collaltorum Sanguine per contracta Matrimonia promanarunt.* Alteri vero amplior hic. *Theatrum Genealogicum, in quo Stemmatographico ordine repræsentatur, qualiter Illustrissimus, & Excellentissimus Dominus, Dominus Antonius Franciscus Sacri Romani Imperii Comes de Collalto, & Sancto Salvatore, &c. Hæreditarius Dominus in Pirnitz, Rudoltz, Fhadowitz, &c. Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliarius, & Camerarius, necnon supremus inclyti. Moraviæ Marchionatus Judex, &c. Ex Augusto Rodulphi I. Romanorum Imperatoris, ac Comitis Hamspurgici sanguine, cum omnes moderni Europæ Reges, & Reginæ, per contracta matrimonia felicissimè promanavit.* Ad hæc illi præ nimiâ voluptate gestientes, satis est, inquiunt; Quis Parthenie manus non det? Plana enim hîc omnia, & adeò explicata, ut nil Ædipo opus sit. Quid proindè mirum, tum ego: si quæ sunt summæ Nobilitatis ornamenta: publici nimirum honoris, auctoritatis, ditionis, atque Imperii ampliſſima munera, hæc omnia, in omne tempus, unâ hac in familiâ collecta esse videatis? Et quoniam nulli non pervia, satis ubique gentium cognita, ac pervagata, cursim indicasse sufficiet. Cui non dictus tot Titulorum cumulus per seriem temporum splendidè auctus? Ecquem lateant Provinciarum penè innumeræ Præfecturæ: innumera aurei Velleris, aureæque clavis insignia: innumeræ ad summos Hierarchas, ad Galliarum, Hispaniarum, Angliæque Reges honorificentissimæ legationes? Atque hic, ut fit in messibus, manipulatim colligite tot intimos Familiares peritissimos in Politicis, in Militaribus, Cæsarum Consiliarios: tot Militum Tribunos, Equitum Magistros, Consilii bellici

lici Præsides? Tot commissi Cæsarei executores, tot Generales Vicarios, tot denique fortissimos exercituum Imperatores. Et quò ulterius, amabo vos, aspiret hominum gloria, ubi tàm præclarè, tàm supra invidiam, & Pace, & Bello Sagum exornavit, & Togam? Non dum hæc acervatim collegeram, cùm Lævinus, & Cotta, conversis alter in alterum Oculis: ò locupletissimum, exclamant, gloriæ, ac dignitatis compendium! Hanc, statim ego, tantisper quæso admirationem comprimite; donec, quod reliquum est, amplissima Collaltinæ Gentis dominia, ut promiseram, paucis innuero. Vix igitur ducto spiritu, sic orationis filum resumpsi. Certum, compertumque illud est, quod retroactis temporibus, præter Tervisii Comitatum, complures etiam Dynastias, oppida, Castella, Servos, Villas, Regiones in Italiæ, Germaniæque Regnis: præsertim vero Alpes inter Taurisanas, & Adriaticum Fretum Collaltini tenuerint; maximumque florentissimæ Regionis tractum, Vitrorum Insulam Venetiis, Vallem Euganeam in Tiriolensi Regione, Ditiones etiam in Austriâ, & permultos alibi clarissimos Dominatus, quos recensere infinitum propè fuerit. Verùm hâc tempestate (quod Familiæ amplitudinem commendat maximè) plurimas in Tarvisianâ Marchiâ obtinent Toparchias, Jurisdictiones, Vectigalia, & plura, & maxima, ut ajunt Feuda; quibus id (1) prorsus insolens, ac singulare, *ut jura penè omnia Regiæ dignitatis accedant*. Ad hæc splendidissimæ in Germaniâ ditiones, præsertim in perantiquo Moraviæ Marchionatu. Præstantissimæ in Boemiæ, conjunctarumque Provinciarum Comitiis, atque Inferioris Austriæ Senatu prærogativæ, ac privilegia. Cæsarei demum (ne cætera percensendo fiam prolixior) Ybbsensis ad Danubium Telonii hypothecaria possessio opulentissima. Ubi hæc de Collaltinæ Gentis Dominatu, atque Imperio summatim libaveram, statim illi, exultantem lætitiam cum diutiùs comprimendo non essent, de sellis assurgere, involare, in amplexus ruere, atque exclamare: Macte hac eruditionis copiâ, & pompâ, Musarum delicium Parthenie, qua immensam gloriæ segetem, ut uno veluti obtutu demiraremur, per compendiariam duxisti. Jure igitur optimo Mecænati tuo gratulamur, cujus à sanguine, à titulis, à ditionibus avitum decus, & cumulatissimus splendor, te differente, nobis mirificè inclaruerunt: Gratulamur & tibi, quòd talem nactus es Mecænatem, qualem sibi contigisse, Venusinus meritò gloriatur, Atavis nempè editum Regibus, & vatis Præsidium, & dulce Decus. At unum,

(1) Cardinalis Franciscus Zabarella consilior. libro. Parisius consil. lib. 2 Anonymus Juris interpres, legale, & Historiale consultum.

hoc loco Cotta, illud abs te, inquit, ſuaviſſimum caput, ad rei totius coronidem, quàm poſſum impenſiſſimè efflagito; quod & Lævino in votis eſſe cognoſco; ne quæſo, quos in tantâ familiâ effloruiſſe certo certiùs crediderim, viros egregios, Heroas & plurimos & clariſſimos, tàm ingratò premas ſilentio; eorum enim, & gloriæ hæreditatem, & perilluſtrium factorum imitationem ad Mecænatem tuum pertinere exploratiſſimum omninò eſt. Cui tum ego: Serò nimiùm mones. Utinam & plus ſuppeteret temporis, quàm flagranti animo non ſatis modò facerem votis, verum etiam quàm longiſſimè exuperarem. Rem tamen totam paucis teneto. Collaltinam Familiam, Trojanum Equum jure meritò dixeris; undè quot Viri, Heroes totidem prodierunt, quibus id propoſitum, atque perfectum, non ut Trojam, immiſſis noctu facibus, inflammarent; ſed ut Italiam, Europam, omnemque Orbem, effuſis undique maximarum virtutum luminibus, illuſtrarent. Pleni illuſtrium geſtorum Annales; plenæ ad ſatietatem Hiſtoriæ; neque diem in Faſtis ullum inveneris, quem, vel Collaltini Heroïs, vel, quod mirum magis, Heroidis Collaltinæ aut grande nomen, aut factum illuſtrius inſigni notâ non diſtinguat ac decoret. Quid? quod, ſi nulla veterum extarent ſcripta, aut monumenta, una loqueretur pro cunctis ampliſſima illa Pinacotheca, qua nihil pictius, ornatius nihil. Unis illa illuſtrium Collaltinæ Familiæ Virorum Imaginibus, longo ordine, ingentique multitudine confertim inſtructa eſt, atque illuſtrata. In eâ omnes ad unam Heroum Icones inſtar miraculi, omnia ad unum nomina inſtar triumphi ſunt. Hàc, Lævinus, quâ data, inquit, porta, ingredior: Et quoniam inſignes tot Heroum Tabulas cernere non datur, quæſo te, Parthenie, ut Viros hoſce, & mihi, & Cottæ eodem, quo viſuntur ordine in laudata Pinacothecâ, per temporum ſeries diſpoſitæ, vivis coloribus, eloquenti facundiæ tuæ penicillo depingas affabrè, ut ſoles. Cui ſtatim ego: magnum opus, ingentem lapidem tu me, Lævine, movere vis; Enitar tamen; tum, quòd Mecænati optimo pergratum fore confido, tum etiam quòd tibi. At promiſſum iſtuc hac lege habeto, ne in craſtinum aſymbolus veneris. Quid afferam? tum ille. Quid? ſtatim ego; perpolitum, quæ tua erit ſymbola, epigramma conficies, quo Collaltinæ Familiæ celſitudinem, & claritatem dilucido, ut ſoles, ſtylo commendes. Illud eſto argumenti loco propoſitum ſchæma, quo, largus Fons ac pellucidus ſummo de Collis vertice erumpens perenniter, exhibetur; eo

cum

Digitized by Google

cum lemmate ad imam Fontis urnam : *Colle qui ſurgit ab Alto*. Mox, ſi roges, ſi lubet, inciſum annuli gemmâ ſchæma ipſum, ut eſt, commonſtravero. Contributum etiam velit Cotta laborem ſuum; ut dulciſſimæ utriuſque Muſæ, inito veluti fœdere, Rambaldo meo adlaborent. Hoc loco, aperto uterque capite : In tanti Viri, tantæque Familiæ commendationem quid valeant exiles, atque inconcinnæ Poetarum pedeſtrium Muſæ? conabimur tamen aliquid, & ſi quid fuerit peccatum, tu caſtigaſſis Parthenie. Atque hæc ut dicta, extabeſcente jam die, ne ſerotinæ nocerent auræ, perſolutis urbanitatis officiis, properè abjerunt.

CAPUT V.

Promiſſa Heroum Collaltinorum Series, interjectis identidem eorumdem Imaginibus, explicatur.

SEdebam benè mane ad lucubratorium lectulum; utque in Amicorum reditu non imparatus opprimerer: modò illuſtrium Collaltinæ Familiæ Heroum nomina : modò ſelectiora ſingulorum facinora : modò tandem certiorem temporum ſeriem animo repetebam. Ea porrò omnia accuratiùs expoſiturus, ac promptiùs, ſingula rerum capita tumultuariis in tabulis, ut memoriam juvarem, curſim, raptimque inſcribebam. Qua in re eram uſque adeò defixus, ut nec Lævinum, & Cottam clamitantes de viâ, nec domi oſtium pulſantes omninò exaudirem. Adaperto interim per Fabiolum oſtio; auditoque, me cum Muſis agere, Muſæum repentè ingreſſi, meumque ſilentium demirati, quandiù te, inquiunt, excutiemus? Quàndiù te nobis inſolens hic mentis exceſſus furabitur? Tanton'apud te in pretio ſint Muſæ tuæ, ut præ illis cures neminem? Quibus ego : hanc mihi, quæſo, veniam date, quod tantâ animi intentione ſuſcepto oneri, ſpartæque adornandæ navabam operam; ut nec clamitantium voces de viâ; neque pultantium ſtrepitum domi exceperim. Id verò, ne ſtatim Poëtæ vertatis vitio velim, quòd poëtico abreptus œſtro, moram hanc fecerim; ſed, ſummæ, effuſæque voluptati, qua totam Collaltinæ Gentis amplitudinem in brevi hoc Elenco, veluti in ſpeculo, contemplabar. Utcumque ſuat, hîc ſtatim Lævinus, manum aliquando de tabulâ : & quoniam innubis cœli facies, tepidus aër, & dies tàm amænus, quàm qui maximè, ſurge, amabo te, ac pedem domo efferamus; Laxandus iden-

identidem, ne tensus diù frangatur arcus. In apricum; apertumque collem, animi gratiâ pergamus; ubi, postquam respiratum fuerit aliquantisper de suavissimo Cœlo, cum otiosis esse, nobis non liceat: ego demandatum mihi abs te exequar munus: tu, quæ perhumaniter spopondisti, ad constitutam diem dependas. Cui ego: optimè tu quidem mones, Lævine: eamus, quò lubet; at manete paulisper, donec de prandio Puerum admoneam; & mea, & vestra interierit si minus basilicè, at saltem mediocri frugalitate adornari. Tùm Cotta: Quolibet prandio jucundiorem nobis esse consuetudinem tuam Parthenie, probè jam tenes: curam hanc deponito: Hic statim qui de proximâ pænu, omnia audierat Fabiolus, procedens, ite, inquit: Parnassum vobis, mihi culinam relinquite, utris res accidat meliùs, pro me palatum Judicem volo. Hoc loco omnes: jocatus es perbellè eruditule, undè hæc tu, qui stipes merus? & ille, scitis jam unde; ex eo nempè, qui me Asinum volare docuit. Ad hæc subridentes mihi gratulari Lævinus, & Cotta; mox indutis calceis, sumptoque ad manus bacillo ac petaso, eò iter direximus, undè altâ veluti è speculâ Anianus lacus, & jucundior crateris pars propiùs spectatur. Facili ad collem clivo perreximus; quo, hyeme recurrente, cum nihil sit apricanti opportunius, voluptuosius nihil, ad id nnicè factum à Naturâ merito dixeris. Hùc ut perventum, ò beatas, inquam, charitum sedes! Viden Cotta, ut Ver amæniſſimum, invitâ Aquilonis hiberni rabie in hoc solo, tot, tamque variis undique floſculis convestito explicat se se? Ad rosetum hoc suaviſſimum, amabo vos, consideamus. Indè Lævinum respectans: agesis, inquam, & quod cudisti carmen, limatum perbellè, ut puto, proferto in medium. Limatum? Tum ille: imò rude, impolitum, ac plenum properatæ festinationis. At qualecumque illud sit, recitare non abnuo: atque illicò de scripto cantitavit.

Collis, amor Dryadum, salve: salvete recessus,
Unde fluit largo flumine lympha loquax.
Ut salit! Ut crescit, *Colle* hic, *Qui surgis ab Alto*
Fons sacer, & notâ tendis in astra viâ!
Grande Olli auspicium, processus grandior: auctas
Auget aquas; alveo major & ipse suo est.
Cernitis? Hæc vera est Collaltæ stirpis imago;
Quæ dum celsa tenet, celsius urget iter.
Atque hoc una potis nomen sibi sumere; Quòd ni
Ipsa sibi præeat, nulla præire queat.

Ut

Ut recitavit: Macte, ſtatim ego, hac ſtyli venuſtate, atque elegantiâ Lævine. Ipſiſſimum hoc epigramma, quod tu rude, ac lævidenſe munus arbitraris exemplo meliori reſcriptum optimo Mecænati meo per proximum tabellarium mittam citiſſimè: illi enim, utpotè in literis cum primis exercitato, Muſiſque amiciſſimo pergratum fore crediderim. Bona quidem verba, hic Levinus, queis meritò ſuperbirem, ni memor, & compos mei probè noſſem, quàm ſit mihi curta ſupellex; quod verò rem probes, quod laudes, amicè facis. Cui tum ego: Tua iſthæc Lævine, quam in paucis reperio, egregii animi moderatio, atque ſibi conſtans ubique ingenii indoles placet. Sic enim ſunt inter homines plerique, ut de iis etiam laudem, & plauſum mereri ſe putent, ob quæ ſint potiſſimùm exibilandi; quod ſi quando aliquid effutiant, agant, conſcribant, quod minimum ſapiat boni, continuò ſibi plaudunt, ſe venditant, ipſumque cœli verticem digitis contrectaſſe ſe, & videri volunt, & haberi. Sed quæſo, tum Cotta: quid ad rem noſtram cynicorum iſthæc querela? Illa quidem vera eſſe, atque explorata omnia ſatis tenemus; at, pace dixerim tuâ Parthenie, neque hujus loci ſunt, neque temporis. Ad oſtii, ut ajunt, limen aliquando veniamus; & promiſſam Collaltinorum Heroum ſeriem, & quæ maximè audire aveo eorundem geſta præclariora, enucleatè, ut ſoles, ediſſere. Cui tùm ego: memorem mones, Cotta: quî enim fieri poteſt, ut ejus rei oblivione capiar, quæ ſumma negotii eſt? Id autem me, ut latinè loquar, pungit vehementèr, quod Flori nitidus ſermo, ac ſtylus brevior, materiæ tractandæ idoneus, mihi deſit omninò. Et illi: curam iſtam, inquiunt, prorſus exuito. Tuus utrique ſtylus, ac ſermo non ceruſâ imbutus; non calamiſtro diſcretus; ſed nativâ lautitie, ſed ſua ſimplicitate venuſtior, aures, atque animum miro modo demulcet. Idcircò, ut fidem tuam liberes, noſque à longioris expectationis tædio vindices, enixè rogamus. Quibus tum ipſe: faciam libentiſſimè, & quod vobis, idem & mihi fuerit pergratum. Amicas igitur commodate aures: jam ordior telam.

Et principem ſibi locum jure merito poſtulat Raymbaldus, primum, & antiquiſſimum Collaltinæ familiæ decus. (1) Is enim omnibus militiæ artibus egregiè inſtructus, & Grimoaldi, Italiæ Regis exercitus Imperator fortiſſimus, conſilio, virtute, auctoritate: diſciplinam, arma, imperium reſtituit, excoluit, amplificavit. Adelbergam Ariberti Inſubriæ Regis filiam habuit uxorem. Hinc ſecundas obtinet

(1) Joan Jacob de Iſchia Hiſtor. de Longobardi lib. 5. pag. 205. & pag 229.

net Raymbaldi Germanus frater Gosbertus (1) natu minor, militari tamen prudentiâ, animi magnitudine, & felicitate par fratri, immortalem nominis gloriam adeptus, (2) Cenciam ex augustissimâ Aniciorum Gente, duxit uxorem; toti tandem Insubriæ à Pertarito Longobardorum Rege (quod meruit) Præfectus est. Quid tùm Tervisii Comitem, ac Ducem Gerardum (3) recenseam? Sui ævi Principem præclarissimum, Pietatis columen, & singularis in Deum Religionis exemplar, paucis quidem, sed dignè satis commendavit Ughellius. Hoc loco Cotta, qui nonnihil in Ughellio versatus erat; Lætor, inquit, Parthenie, Gerardum hunc, quem Deo Opt. Max. per omnia deditum laudatus Auctor appellat, Collaltinis hujusce Familiæ Fastis ascribi. Is enim si benè memini, propè Tervisium, magnis sumptibus, regali munificentiâ amplissimam cum insigni cœnobio Basilicam non erexit modo, sed splendidè etiam ornatam profusa bonorum largitione ditavit. Cui ego: eruditè, tu quidem Cotta, ut soles. At hæc levia sunt, si cum cæteris, hæreditariæ veluti Pietatis monumentis locupletissimis conferantur. (4) Nicolosium hac super re consulebam hoc mane in suo Herculę sęculo, locumque inveni subiectæ materiæ aptissimè accomodatum, quem ut legi, ne excideret memoriâ in parvâ schædulâ, ipsissimum transcriptum volui. Hæc eductam è marsupio schædulam Lævino, ut erat, recitandam tradidi. Et ille: hæc, inquit, ex Nicolosio: *Beneficia Abbatiæ, quarum sola Narvisiensis, præter alias facultates, trigința sex Ecclesiis ferè omnibus Parochialibus in Agro Tervisiano est donata.* Atqui, interpellat hic me Lævinus; quid est Parthenie, cur interjecta hæc linea sententiæ continuationem abrumpit? Nempe, tum ego: quæ sequuntur ex Zabarella, (5) alias decerpta memineram, & quoniam ad idem faciebant, adjeci. Jam perge sis, & ille, *Xenodochia, Fana, vel splendidè excitata, vel elegantiùs restituta, amplissimaque prædiorum accessione ditata: quin & pervetustæ, recentesque cœnobiorum pro Cassinensibus, Cisterciensibus, Carthusianis, Franciscanis, Carmelitis, Minimis, aliisque nobiles pariter ac divites Fundationes, quàm fuerit Familia hæc erga Religionem benefica, erga pauperes profusa, satis superque testantur.* Vix recitavit, cum statim ego: Quàm bellè igitur (6) Henricus Abbas de Collalto postquam alia retulisset christianæ munificentiæ testimonia, *usque adeo*, subjecit, *hujus Prosapiæ Majoribus nil fuit antiquiùs, quàm annosi Generis Propaginem Pietatis alimento enutrire.* (7) *Pietas Collaltianam Fami-*

(1) Idem lib. 4. pag. 157.

(2) Idem lib. 5. pag. 189.

(3) Ferdinand. Ughellus Ital. Sac. tom. 5. edit. 2. col. 491

(4) Joan. Bapt. Nicolosius lib. 1.

(5) Jacobus Zabarella Morovea lib. 4. pag. 63.

(6) Henric. Abbas Istor. Genealogica.

(7) Idem loc. cit. & in Collaltæ Gentis com-

Familiam in magnitudinem, quâ viguit, vigetque auspicatò perduxit. At redeamus, quæso vos, ad institutum: nam extra lineam transilire res benè longa non patitur. Atque hîc dolendum ne magis, quòd temporum injuriâ intermissa hæc fuerit aliquando Heroum series; an lætandum, quòd sub annum trigesimum supra noncentesimum, per Comitem Raymbaldum (1) redauspicata feliciùs, ad hæc usque tempora, consecutione perenni continenter pervenerit? Is namque, in hoc syllabo Primus, eâ fuit & omnigenæ literaturæ præstantiâ, & bellicæ laudis dignitate conspicuus, ut inter Armorum strepitus, in utroque par sibi, secundus nemini, & avitum Familiæ decus, & domesticam rem non restituerit modò, verùm etiam rectè factis tum Genti suæ splendorem, tum domesticæ Rei (2) Lovadinam in Marchiâ Tarvisianâ ditionem, Italiæ Regibus Berengario II. & Adelberto I. gratiam rependentibus, auxerit. Ad hæc: Quis, inquit, Cotta: longè faustiora deinceps sibi incrementa non spondeat, ubi à selectissimo Heroe redintegrata Collaltinorum series, auspicatissimum sumpsit exordium? Et ego: putasti tu quidem, quod res est, Cotta. Nam tanta fuit (3) Raymbaldi II. Comitis, & Tervisiani Principis gloria, quantam vix Posteritas credat: cui splendidissima principum virtutum corona, unanimi Historicorum consensu *Magni* cognomentum fecit. Et jure Magnum dixerint, quem tres Romanorum Imperatores, Othones (4) duo, nimirum II. & III. & (5) Conradus I. ob multa, & maxima, quæ vir clarissimus cùm domi, tùm belli gessit facinora. Ditionibus, Vectigalibus, Privilegiis, Regionibus singulari, ac penè regiâ prærogativâ donarunt. At illud, me judice, longè commendabilius, non quòd (6) Othonis III. animum, tantâ familiaritate, ac necessitudine sibi devinxerit, ut Romam iturus Otho, ibique à Gregorio V. P. M. coronandus, fidissimum unum sui itineris (7) comitem, & triumphi voluerit; sed quòd tot inter abblandientis Fortunæ lenocinia suum ipse Animum usque adeò integerrimæ vitæ, & singularis sanctimoniæ studiis omnibus excoluerit, ut magnificè quidem, at non ὑπερβολικῶς Henricus Abbas de Collalto, usurpaverit: *quot documenta* (8) *Viris, vel percensentur, vel attinguntur, tot hujus Herois extant monimenta Pietatis*. Atque illud etiam tantæ pietatis gloriæ accessit ad cumulum, quòd Gislam, (9) seu Gyselam, Paulucii Patavinæ Reipublicæ Consulis meritissimi, nisi mavis (10) Berengarii II. Regis Italiæ, filiam, non majestate solum, sed parem regiâ virtute, duxit uxorem.

[1] Documentum apud Muratorium nell' antichità estensi, & Italiane part. 1. cap. 16. pag. 152.

(2) Berengarius, & Adelbertus Italiæ Reges. Diploma datum Papiæ anno 959. In Archivio Collalti Comitum.

(3) Documentum in Archivio Monialium S. Zachariæ Venetiis anno 1010.

(4) Diploma datum anno 980. in Arch. Coll. Com. Diploma datum 982. in eodem Archivio.

(5) Diploma anno 1038. in Archiv. Coll. Com.

(6) Anonymus. Elogia Comitum Tervisii, atque Collalti.

[7] Documentum apud Muratorium in cit. op. pag. 188

[8] Antonius Scotus in additionibus ad Italiam Sacram Ughelli, tom. 5. Dominicus Bozzonus il silentio di S. Zaccaria snodato, pag. 59.

[9] Liber cui titulus: memoria antiquissima domus Baziolæ de Paduâ usque ad hunc annum 1450.

(10) Marcus Antonius Nicolettus Patriarcato d'Aquilea, pag. 26. A-

postolus Zenus, lettera Discorsiva pag. 5.

Digitized by Google

Quod profectò conjugium tàm bonis avibus initum, tàm beatâ prole Superi fœcundarunt, ut in discrimen meritò vocari possit, utrum Parentis utriusque hæreditariâ Pietate, an suâ ipsi magis Filii inclaruerint. Natu enim maximus Raymbaldus III. luculentissimum piæ munificentiæ, inter cætera, specimen præbuit; quòd celebrem Divi Eustachii Abbatiam, (1) propè Narvisiæ Castrum fundavit, eamque Romano Pontifici addictam præclarissimæ Casinensium Familiæ ex asse tradidit. Istuc autem virtutis cumulatissimæ Patrimonium Filio, & Hæredi Raymbaldo IV. reliquit; is tamen acceptum non servavit modò, sed auxit; quippè (ut Henrici, sæpiùs laudati ipsissimis utar verbis) *quippè*, inquit, *quam Genitor Narvisiensem Abbatiam fundaverat, quatuor Ecclesiis, sexaginta & octo Mansis, uno emporio, Raymbaldus, ejusque Vxor* (2) *Mathilda, Burghundi Marchionis Filia, unicâ vice donarunt*. Dignus proindè vir, quo (3) Henricus IV. Germaniæ Rex chariorem sibi haberet neminem; ejusque egregia merita donis amplissimis, regioque Diplomate testaretur, quo in Toparchias, oppida, Castra, aliaque intra Italicum Regnum jura firmissima, præsertim in Tervisiano, Patavino, Cenetensi, & Vicentino stabilivit imperium. Quod quidem amoris, ac benevolentiæ pignus Ensedisio I. Tervisii Comiti, & Guidoni II. ejus Germano fratri, certissimum esse voluit (4) Henricus V. Germaniæ Rex, & IV. hujus nominis Imperator Augustus. Quid enim Augusti animum non devinciret, oculos non perstringeret, Collaltinæ Familiæ geminus Amor, Italici, ac Germanici Orbis geminum Sydus? Quid porrò de Joannis, & Alberti Comitum Munificentiâ copiosiùs eloquar? Eam quidem paucis, sed satis tamen deprædicant utriusque demandata Posteris monimenta: Illius profectò, quæ in (5) Cenotaphio apud Tervisii Templum affabrè extructum lectitantur ad basim.

Qui prædia multa reliquit.
Has quoque Canonicas, & Mœnia vasta Theatri
Isti Basilicæ.

Alterius verò, quòd, decretâ in Christianæ Religionis hostes expeditione, Hierosolymam transmissurus, quamplurima Collaltinæ Basilicæ Divi Georgii (6) bona legavit. Quo se nobiliori militiæ sacramento Albertus sanctiùs obstringeret: Cujus in posterum Fortunæ præclarissimo Sancti Joannis (7) hierosolymitani Militum Ordini dono attributæ, ipsæ etiam pro Orthodoxâ Fide militarent ad gloriam? Ad hæc statim Cotta: Diù, inquit Parthenie, læti-

(1) Bulla Alexandri II. P. an. 1062. Callisti II. anno 1123. Innoc. II. an. 1135. & Eug. III. an. 1148.

[2] Hieronym. Ruscellus, le imprese illustri lib. 2. pag. 320.

(3) Diploma Henrici IV. an. 1077. in Arch. Coll. 60.

(4) Diploma anno 1116. in Archiv. Coll. Comit.

(5) Bartholomæus Burchelatus Cõmetariorum memorabilium Historiæ Tervisinæ locuples Promptuarium lib. 1. pag. 313.

(6) Henric. Abbas Bullarium Collaltianum, ubi supremæ Tabulæ Comitis Alberti rogatæ an. 1138.

(7) Idem Auctor ibidem, ubi Encyclica epistola fratrum ordinis S. Joan. Hierosolym. an. 1450.

Digitized by Google

lætitiam ; quâ perfundor, maximam vix facitus continui : patiare, quæso te, ut exclamem aliquando præ gaudio. O suavissimam tot Heroum Collaltinorum memoriam! O admiranda tantæ Pietatis, ac Religionis exempla, quibus accendi maximè incitarique possit sera Posteritas! At perge porrò, hîc Lævinus, & plura, & majora expecto, quæ admirer altiùs, Parthenie; teque oro, Cotta, ne interturbes; ni enim fallor, permulta superant, quæ curiosiùs, & avidiùs attendamus, Quibus ego : Et tibi Cotta nonnihil fuit causæ, cur exclamares; & tu Lævine, ut res est, divinasti. Quod ad me, pergerem libentissimè; at illud vereor (adeò prolixa res est) ne vobis tædium sim allaturus. Et illi : quinimò, & rei magnitudo, & sermonis tui suavitas, si quod unqnam insurgeret, fastidium omne deterget. Tum ipse, geram hunc vobis morem. Ut Heroum series continuo quodam filo, ac ordine cohæreat, memoriæ occurrunt peropportunè, ingenti virtute, parique nominis gloriâ Viri duo, germani fratres, duo fulmina belli, & ter inclyti Tervisii Comites, (1) Manfredus I. & Schenella I. In altero enim, non solum militares artes, sed & Imperatoriæ virtutes singulari quadam gratâ elucere certatim visæ sunt. Quam obrem festivâ totius Tervisianæ urbis acclamatione publicæ (2) administrandæ Rei Præfectus Princeps, copiarumque omnium Imperator renunciatus, tot initis felicitèr præliis, totidemque feliciùs confectis, sui Ævi Ducum strenuissimus semper habitus, unâque omnium voce fuit appellatus. Et quò non eum bellica virtus evexit? Quâ gloriæ Fortunarumque accessione non cumulavit? Ab (3) Henrico VI. Germaniæ, & Romanorum Rege Tervisinum Comitatum beneficiario jure suscepit : à Friderico I. (4) Imperatore litium appellationibus, Cæsareâ auctoritate Judex constitutus. Magnum hoc sanè, sed illud majus, quòd perantiquo in privilegiis omnibus jure firmato, regium quidquid infra Tervisii ambitum comperiebatur (unum si demas Piscationis vectigal) amplissimis literis regiâ cum facultate contulerit. (5) In altero verò, ut multa paucis perstringam, quot gesta, tot gloriæ tituli : quot pugnæ, tot triumphi: quot demandatæ Provinciæ, tot ad immortalitatem gradus. Is (6) à S.R.I. institutus, & confirmatus Tervisii Comes, Comitatum illum integerrimè administravit. (7) Paci optatissimæ inter Alexandrum III. S.P. & Ænobarbum Cæsarem Venetiis initæ, cum multis Peditum copiis interfuit. E Serenissimâ Marchionum Montisferrati (8) Familiâ uxorem habuit,

[1] Gregorius Pilonus, Historia di Belluno lib. 2. pa. 77.

(2) Joannes Bonifacius Historia Trivigiana lib. 5. pag. 150.

[3] Hentici VI. Diploma an. 1191. in Arch. Coll. Co.

[4] Friderici Diploma an. 1155. in Arch. Coll. Co.

(5) Jo. Franciscus Palladius de olivis, storie della provinc. del Friuli, par. 1. lib. 5. pa. 179. e 180.

(6) Henrici VI. Diploma in Arch. Collal. Com.

(7) Fortunatus Ulmus storia della venuta a Venetia d'Alessandro III.

[8] Stemma antiquissimum Comitum Tervisii, atque Collalti, insignibus affinitatis exornatum,

ex qua plures suscepit liberos. Florentissimus natu maximus Rambaldus VI. Tervisiani comitatus, & paternæ virtutis hæres locupletissimus, Parentis consilia, atque instituta, quibus cum avitæ gloriæ consuleret incremento, tenax retinuit; quod enim cautum paternis Tabulis, ut is nempè ex fratribus demortui fratris hæreditatem adiret, qui baltheo esset militari præcinctus: omnium primus perfecit. Domi, Militiæque educatus, ita Provinciam (1) sibi concreditam comitèr, prudentèrque gessit unus, ut gloriari subditis solenne semper fuerit, sub tanto Principe se publicam nactos felicitatem. In expeditionibus, ac militari apparatu ita egregiam ubique navavit operam; ut Henrici VI. Romanorum Regis, & V. nominis ejusdem Imperatoris, publicis (2) Monumentis, ac literis rem confirmantibus, non modò benevolentiam, amorem, familiaritatem sibi omnem demeruerit; verum etiam Imperialis Vicarius in Tervisii Regione universâ, jure amplissimo, fuerit constitutus. At videte, quæso, quanta dicenti mihi succrescat seges; quanta amplioris gloriæ subeat materies; ut, licet in hac Familiâ sint omnia maxima; majus tamen, ac longè uberius admirationis argumentum occurrat. Advertite igitur animum; attento opus est. Et illi: hîc stamus, inquiunt; quidque istuc siet, avidissimis auribus expectamus. Quibus ego: atque audite. Sub annum, à Partu Virginis MCC. ex præclarissimâ hac stirpe floruit Beatus (3) Volckerius, tum doctrinâ, tum sanctimoniâ, & miraculis (4) laudatissimus. Is ex Patavii Episcopatu ab Aquilejensi Collegio, seu, ut ajunt Capitulo, postulatus, plenisque suffragiis ad Patriarchale munus electus; quo in munere per Innocentium III. P.M. (5) confirmatus, Patris amantissimi beneficentiam, religiosi Antistitis dignitatem, Principis integerrimi partes omnes absolutissimè implevit. Quare Henrico VI. & Friderico II. Imperatoribus apprimè charus: Innocentio, & Honorio III. summis Hierarchis jure merito in deliciis fuit; & Pontificis utriusque de latere Legatus (6) Venetos, Tervisinos, Patavinosque singulari prudentiâ, summâque dexteritate inter se conciliavit, atque conjunxit. Omnigenâ (7) Eruditione Vir, Divinis præsertim imbutus literis, Lateranensi Concilio interfuit, tot inter sanctissimos Patres, sanctitate non ultimus, Religionis ornamentum, Columen veritatis. Quàm porrò opima fuerit, quàm dives ejus virtutum, & prodigiorum seges, abundè satis testantur, quæ memoriæ prodita sunt certissima documenta. Illud equidem non prætermittam, quod insolens omninò

(1) Joan. Bonifacius, storia Trivigiana, Nicolaus Maur. stor. di Trevisi.

(2) Diploma datum anno 1190. alterum 1191. in Arch. Coll. Com.

(3) Anonymus Patriarchatû Aquileiensium vitæ, in Anecdotis à Muratorio erutis, to. 4. pag. 246.

(4) Joan. candidus commentr. Aquileiens Joan. Fran. Candidus, storia del Frioli part. 1. lib. 5. pag. 211.

(5) Ughellus Ital. sac. Tom. 5. Edit. 2. column. 77.

(6) Joan. Franc. Palladius de Olivis storie del Friolipart. 1. lib. 5. pagina 195.

(7) Ughellus loco laudato col. 78.

Digitized by Google

ninò, atque inauditum, de ejus Tumulo, (1) Sabellicus, oculatus teſtis, produxit. Atque hæc ſunt ipſiſſima Auctoris verba : *Illud memoriâ dignum non præteribo, quod de Volckerii Patriarchæ Tumulo, partim legimus, partim ipſi vidimus : Hic cùm ſpectatæ vir ſanctitatis fuiſſet ; factum eſt, ut poſt ejus mortem marmorea Arca, in qua ipſius corpus conditum fuerat, aliquandiù nullo adminiculo fulta, in aëre pependerit. Nos eam vidimus uno tantùm angulo humo hærentem.* Hîc ſtatim Lævinus : tàm oppidò mirum iſtuc Parthenie, ut in mirabilibus Eccleſiæ Faſtis tale quidpiam te perlegiſſe haud facilè crediderim. Non inficior : tùm ego. Quid enim mirandum magis, quàm è ſolido marmore ingentem Urnam, diù nativæ gravitatis oblitam, terras veluti faſtidientem, totâ circùm obſtupeſcente Naturâ, penſile Adſpectantium oculis, altioris ſanctimoniæ trophæum exhibuiſſe? Non abnuo tùm ille : Imò eò mihi viſum eſt mirius, quò illud rarius, atque inſolentius. Quare Mecænati tuo, quin gratuler temperare mihi non poſſum, quòd vel miracula ipſa, ſi gentilitia fuerint, inſigni ſingularitatis notâ exiſtant quodammodo illuſtriora. Ita enim verò, repoſuit Cotta; quid luculentius? At illud fortaſſis non advertiſti Lævine, quòd eo in Tumulo non geminantur modò, ſed perennant Prodigia. Perſtat adhùc nimirum Volckerii Urna uno dumtaxat angulo inhærens ſolo, cæteris novo ſemper, ac perpetuo fultis miraculo, ne ſuccumbant. Neque id ſine arcano Providentiæ conſilio factum reor. Quamobrem? hic Lævinus. Scilicet, tum ille : ut breve inibi Epitaphium hoc incidi commodè poſſet, quod olim ventoſa jactavit Græcia, ut ſuo plauderet Militi, pugnantis in morem, ſtanti etiam à cæde. Uno igitur verbo immutato, illud ſibi, & juſtiùs Volckerius vindicet.

Nemo mihi ſtatuam erigat;
Sufficit hoc Sepulcrum.

O' dictum bellè! confeſtim ego : O' copioſiſſimum laudationis λακωνισμὸν! laudo eruditionem tuam, & ingenium Cotta, quàm ad rem aptè! laudo animi tui, Lævine, erga Mecœnatem optimum, amorem ingenioſiſſimum, cujus ego nomine, & ago tibi gratias, & habeo. Verùm amabo vos, hora quota eſt? Nihil ne de reditu cogitatis? Provecta, ni fallor, jam dies, hic diutiùs immorari, ut ut mihi jucundiſſimum, ultra non patitur. Et illi, explorato anteâ horario circulo, exindè ad me converſi; iſtam, inquiunt, Parthenie curam deponito : vide ſis, ſextam, & decimam cum quadrante ægrè index attingit;

(1) Sabellicus de vetuſtate Aquileiæ lib. 3. pag. 132.

Bene

Bene est tum ego : Quoniam ita, pergamus, & narrationis filum, ab Ensedisio II. Tervisii Comite, ut ipsa Heroum series postulat, resumamus. Is profectò magni nominis Princeps Henrico VI. Romanorum Imperatori charissimus, ob egregia in Rempublicam merita, non modò gentiles Titulos, Ditiones, Jura firma retinuit; verùm aucta etiam, & exaggerata, Villam præsertim cum frequentissimo emporio, Regiumque vectigal ad Plavis fluvii transitum à tanti Cæsaris munificentiâ meritò obtinuit. (1) Constantiam Odoricam, Azonis VI. Marchionis Estensis filiam sibi matrimonio conjunxit. Nemini dos obtigit tàm opulenta, quàm huic Viro hæc Uxor: quippè quæ marito superstes domesticæ Rei administrandæ impigram adeò locavit operam, ut ingentibus Collaltinam Domum restauraverit facultatibus reique familiaris detrimenta, amplificatis undequaque fortunis, ditiori fœnore compensarit.

(1) Jacobus Zabarella, Morovea, par. 1. lib. 3. pag. 64. & 65.

Hinc natus (2) Tervisii Comes Rambaldus VII. Famæ Vir maximæ, deque Collaltinorum Familiâ optimè meritus, qui per Imperatorem Henricum VI. omni ditionis suæ jure firmato, solertissimus maternæ Æconomiæ hæres, dominii fines longè, latèque provexit: Provectos, quà industriâ, quà abblandiente Fortunâ, hæredi (3) Ensedisio III. reliquit; cujus prudentiam, infractumque animi robur, Henricus Abbas, si benè memini, paucis hisce perstrinxit. (4) *Hensedisius III. Tervisii Comes, Marchiæ Tervisianæ procellas Eccellini, & Alberici, Lombardiæ Principum tyrannide exortas, summâ prudentiâ sustinuit; omnis fortuna magnanimum vidit.* Nec silendum reor, quod, vel inter hæc difficillima tempora, religiosissimus Heros, avitæ pietatis memor ergà Cistercienscm sodalitatem Collaltianæ munificentiæ specimen singulare præbuerit. Cum (5) Flosdelisiâ Bonifacii Carrarienšis Filiâ; ex eâ nimirum Gente, quæ Patavii potita est Principatu, nuptias contraxit dignitatis, & concordiæ plenas.

[2] Henric. Abbas Istor. Collalt. & Collaltæ Gentis comment.

(3) Anonymus, Elogia Comitū Tervisii, atque Collalti.

(4) Henric. Abbas Bullarium Collaltianum par. 1.

(5) Zabarella Morov. lib. 3. pag. 66.

Atque hîc finite, quæso vos, perpauxillum respirem, donec aliquot, suo signata ordine, perantiqua Numismata in manus tradam. Ea volui in marsupio servata; tùm quò memoriam in repetendâ tàm longâ serie juvarem; tùm etiam quò vobis molestiam varietate minuerem. Eccum igitur ipsum ipsissimum, qui ab Ensedisio IV. succedit, iconicum Heroem; Lævine, hujus, nomen, insignia, & titulos animadvertito, en & alterum tibi, Cotta; hujus tu nominis dignitatem, imperia, & fasces sublegito: isthæc enim referre omnia, tua post Lævinum intere-

Digitized by Google

tererit. Hoc loco illi : summâ, inquiunt, animi voluptate hæc jussa facimus Parthenie ; eòque lubentiùs, quòd cùm tibi respirandi locus datur : tùm nobis Icones hasce contemplandi jucunditas indè suavior, quòd insperata conceditur. Interim Lævinus ; ut utramque Numismatis frontem attentiùs inspiceret, aliquantisper substitit. Tùm ad me conversus : ex notis, inquit, in extremo impressis gyro, ecce tibi, Parthenie, Nomen : Schenella IV. Tervisii Comes, & Collalti. At, quæso te, quid sibi vult appositus Collalti Titulus, quo neminem hactenus abs te insignitum accepimus ? Cui tum ego : utut certum omninò sit, pluribus jam antè sæculis Collalti Castrum à majoribus excitatum, eorumdem sub ditione fuisse ; hujus tamen Tituli antehâc Historici non meminerunt ; atque illum sibi ab Schenellâ eatenus adscitum crediderim, ut Posteritas sciret ; quia par omninò utriusque comitatus fuerit Antiquitas, par etiam Familiæ ex geminato Titulo decus fuisse. Probabilia conjectas, hic ille. Verùm, quòd in adversâ fronte insculptum affabrè intueor, id mihi perobscurum fateor ingenuè : Quid refert, amabo te, frequentissima hæc Seniorum corona ? Davus ego : te Parthenie OEdipodem postulo. Cui tum ipse : OEdipone opus in re tam perspicua ? Quem stipatum vides consessum, hic amplissimum refert Venetorum Senatum ; apud quem eo in loco Schenellæ humanitas, mens, atque indoles habita fuit : tanta in eo visa ad omnia Reipublicæ munia naturalis dexteritas ; tanta, præter avitæ Familiæ regium splendorem, belli, domique solertia, ac virtus ; ut perhonorifico omnium suffragio, ad Patricium (1) ordinem, ingenti totius Urbis plausu fuerit traductus. Ad hæc Lævinus : laudo, inquit, augustissimi Senatus prudentiam : laudo consilium. Numquam enim Patriæ melius, Reique publicæ utiliùs nunquam consultum reor, quàm tanto Principe in senatorium ordinem adlecto. Ita enim verò, tùm ego : nam summis (2) ibidem perfunctus honorum gradibus, maxima Reginæ Urbis imperia, maximâ cum laude administravit. Aliud ne oculis, aliud ne animis, Lævine, occurrit, quod roges? Nihil planè, tum ille ; nisi ut Numisma alterum proferat Cotta, ostendatque subsequentis in Serie Principis Imaginem, nomen, insignia ; Unus ne ipse manus habeat sub pallio ? Bene est, tùm ego : move te ocyùs Cotta, & Lævini animum expleto. Hic ille : quàmcitissimè, inquit, me expediam. Explicatam Iconem vide sis. (3) Grande Nomen : Rambaldus VIII. Tervisii Comes, & Col-

[1] Marcus Barbato, Cronica delle Famiglie Venete Patritie lib. 1.

[2] Idem Auctor ibidem.

(3) Bartholomæus Burchelatus, cõmentariorum memorabilium Tervisinæ Historiæ lib. 4. pag. 596.

Digitized by Google

Collalti : grandior majestas oris . Frons Martem spirat : Ex oculis , quòd mirum magis micant amor , & minæ. Magnus hîc profectò, Parthenie , & supra cæteros egregius Heros , quem & hîc triumphales lauri , coronant ; & parte in adversâ admixtæ lituis tubæ , Vexilla , tympana, & quotquot sunt gloriæ militaris insignia ornant, ac famulantur . Cui tùm ego Divinasti tu quidem Cotta : Nam vel primo ætatis flore , quædam in eo animi vis ad glorioſa quævis , ac difficillima alacris , atque expedita. Baltheo (1) militari exornatus , clarissimos inter sui ævi, Duces prudentiâ , (2) ac fortitudine excelluit. Tervisinorum Imperator (3) salutatus , non belli solùm , sed Pacis artibus : non armis modo , sed plenis etiam sapientiæ consiliis , Patriæ plurimùm profuit ; Quod si cætera non extarent virtutis in eo ampliſſimæ apud Posteros monumenta ; unus ille sufficeret ad Sarcophagum (4) Principis in Epitaphio versus inscriptus.

Excessitque viros , quem tegit ille lapis.

Jure igitur merito à Benedicto XI. P. M. Piceni Marchio (5) creatus . A' Venetâ Republicâ , cui charus imprimis , in Patriciorum Albo (6) non ipse tantùm , sed universa Collaltinorum Familia honorificentissimè adscripti. A' Friderico , Austriæ Duce (7) Romanorum Rege, inter Familiares , intimosque consiliarios cooptatus . Ab Joanne XXII. ob collata in Romanam Ecclesiam beneficia , literis (8) Avenione datis , singularis benevolentiæ , & grati animi significationibus cohonestatus . Uxores habuit duas: Constantiam (9) Jacobi de Guidottis , Silvæ Comitis filiam : & Claram (10) Caminensem , ex Cenetæ Comitibus ; suavissimam præ cæteris , quas cum summis Italiæ (12) Principibus matrimonio filias conjunxit , (12) Amabilia denique Azoni Estensi dedit uxorem , undè , veluti ex fonte Viri clarissimi , ut mittam alios , prodierunt Thaddæus , Venatarum legionum fortissimus Imperator , & Michael Cardinalis Turrianus nepos , ab insigni literaturæ laude dignissimus . Ad hæc Lævinus : Dilucidè tu quidem , ut soles , rem Parthenie exposuisti. At adhuc restat , quod curiosiùs inquiram . Quid? tum ego : Et ille : Nescio quam , inquit , in longinquo veluti positam signat Arcem Numisma. in cujus imâ parte Tabella est , ni fallor , Cæsareo munita signo . Quid hæc sibi velint , edissere , amabo te. Cui ego : Rem oppidò dignam scitu; & quam tu , cujus intererat Cotta , non advertisti ; acriori obtutu introspexit Lævinus . Date igitur aures ; paucis me expedio . (13) Arx , quam videtis , Castrum , vulgò

[1] Zabarella, Meroveа lib.3. pag. 68.

(2) Albertinus Mussatus lib. 8. pag. 64.

[3] Jo. Bonifacius Histor. Trivigiana, li.6.pag.334.

(4) Henricus Abbas Marmorea Collaltiana.

(5) Hieronym. Henningius,opus Genealogicum par. 2.to.2.pag.1491. & 92.

(6) Petrus Grandonico Dux Venet,Ducalis cum aureâ Bullâ.

(7) Friderici Diploma datum an. 1317. in Archiv. Coll.Com.

[8] Hujus Pontificis Bullæ quatuor in Archiv. Coll. Com.

(9) Zabarella par. 1.lib.3. Grad.19. pag.68.

[10] Guilielmus, & Albrigetus cortusii, Histor.de novitatibus Paduæ lib.6. cap.6. pag. 64.

[11] Jo.Battista Pigna storia de'Prencipi d'Este pag.329

(12) Jo. Battista de Burgo viaggio di cinque anni par. 3. Zabarella par. 1.lib.3.pag.69.

(13) Henric. Abbas marmora Collat.

Digitized by Google

gò Sancti Salvatoris nuncupatum, indicat, quod regio ipse sumptu à fundamentis excitavit, pulcherrimum, Zabarella teste, & deliciis omnibus (quod ipse ipsissimus ait) abundans. Quæ porrò ad imum lapidem tabella cernitur, (1) Diploma notat amplissimum, quo Henricus VII. Romanorum Imperator Augustus Collalti, & Sancti Salvatoris Castra, cum plurimis subjectis Villis, Viro præstantissimo in Nobile, Gentile, Rectum, & legale, ut ajunt, Feudum, cum mero, mistoque imperio, plenissimâ immunitate, ac liberâ omninò jurisdictione concessit. Plenis, hoc loco, buccis: Euge, ad me inquiunt, Parthenie, quàm mirâ polles memoriâ! Quibus ego: isthæc, si meministis, recens evolui. At pergamus porrò; nolo enim ab instituto deflectere. En aliud ad manus Numisma; hoc tu Cotta habeto; tibi enim Lævine aliud reservo. Interea loci, ubi Cotta avidissimis oculis sursum, deorsum effigiem totam lustravit. Ecce, inquit, tibi Nomen, Parthenie: Manfredus II. Tervisii Comes, & Collalti. Quàm bellè huic vultus ad pietatem compositus! Quàm decens in fronte, in oculis Modestiæ fulgor! At quæso te, vide, an ex his, quæ conspicio, impressis ære insignibus, id quod res est, probè conjectem? Cui ego: dic age; lubens auscultо. Et ille: perlucenti præcinctum caput coronâ: Pedum aureum sinistrâ gestatum manu, ex unâ parte cum video: ex alterâ, cum enses binos oleâ, lauro, palmis intertextos, geminâque insulâ circumvolante complexos demiror; Heroem fortissimum, contempto etiam quocumque mortis discrimine, pro Religione acriter tuendâ occubuisse facilè rear. Cui statim ego: Acu rem tetigisti tu quidem Cotta. Nam pervulgatus adeò de insigni ejus sanctimoniâ, ac literaturæ præstantiâ rumor, & Fama latium, Italiam, Europamque totam pervasit; ut, & Clemens V. P.M. in Cenetæ Episcopum, (2) ac Principem meritissimum statim adlegerit: & Ioannes XXII. post eam Provinciam decennio mirabiliter administratam, Infulis Feltrensi, (3) ac Bellunensi, isto encomionè dixerim, an Oraculo, Sanctissimus Parens præfecerit: (4) *Pastor*, inquiens, *morum gravitate conspicuus: literarum scientiâ præditus: in spiritualibus providus, & temporalibus circumspectus*. At quamobrem, veteri destituto, novum hoc Præsuli demandatum est munus? id à me fortasse scitamini. Eâ potissimùm de causâ reponet laudatus Hierarcha, *ut ob insigne Virtutis, & Familiæ Nomen Ecclesiæ jura Guecelli caminensis vitio, eo loci jam pridem læsa, ac propemodum sublata, consilio, & au-*

[1] Henrici VII. Diploma datum Ianuæ 1312.

(2) Ughellus, Italia Sacra tom. 5. edit. 2. col. 208.

[3] Idem Auctor in additione ad Bellunenses Episcopos tom. 5. edit. 2. col. 169.

(4) Joan. XXII. Bulla Populo Feltrensi, & Bellunensi missa 1320. in Arch. coll. comit.

ſteritate reſtituenda curaret. Intereà ad me Lævinus: Novi jam profectò Parthenie, quod hùc adveneris accinctus, meditatuſque: Quis enim tot, ac tanta, ſuo ordine, ac numero, & quod mirum magis, iisdem omninò verbis dixerit imparatus? Cui tum ego: mirari tu quidem deſine Lævine; facit id quippè ſingularis in Mecænatem meum amor: *meminerunt omnia amantes*, ſed redeamus illùc, undè divertimus; & quæ in laudatâ nuper provinciâ invictus Heros confecerit, quàm breviſſimè attingam. Bellunum, eâ tempeſtate pervenit, qua ſupra modum teterrima Guecelli peſtis graſſabatur. Pro Eccleſiæ libertate vindicandâ infractos Majorum animos præſetulit Feltriam Urbem adverſus Caminenſium impetum propugnavit: Codorem, fractâ perduellium pertinaciâ, in priſtinam Romani Pontificis obſervantiam recepit. Mox, dum ſacra perageret, populoſque inter ſe certantes ad pacem excitaret, aſtu (1) circumventus, Sacerdos idem ac Victima, triumphalis victor occubuit. Ad hæc Lævinus: quàm ſcitè, inquit, quæ in Numiſmate inſculpta vidimus, quadrant inſignia! Quàm decoro nexu Principis laurus cum Palmâ Præſulis copulatur! At nunc ageſis, quod ſervaſti mihi, Parthenie, cedo numiſma. Cui ego: accipe & argenteum, & mole grandius, necnon multâ elaboratum arte. Recita Herois nomen, expedi te. (Intereà continui riſum, ut potui, ne quid ſuboleret de technâ: præli enim, aut Cuſoris vitio factum, ut permixtæ, ac confuſæ nominis notæ non benè ſatis cognoſcerentur). Moraris adhuc Lævine? profer aliquando; cujum nomen; ego, & Cotta expectamus! Et ille. Numiſma quaque verſus explorans, tandem, inquit, id unum probè video Parthenie, placere tibi me ludos facere. Tùm ego, ut inceptum jocum tenerem: Quid me tibi vis imponere? Ille verò, quas recitem, inquit, nullæ hîc notæ. Nullæ? tum ego: qui unquam fiat? ſine ut videam: utque oculos admovi: ecce, inquam, Herois Nomen: Tolbertus I. Terviſii Comes, & Collalti. Nonne ità Cotta? Hic autem ſerió: cæcus ſit, non luſcioſus modò, qui id non legat: mox intempeſtivo riſu comœdiam hanc perturbavit. Ubi animadvertit Jocum Lævinus, gaudeo, inquit, hanc vobis anſam relaxandi tantillùm animi, me deceptum lepidè præbuiſſe. Verùm ad ſeria; & quoniam nomen Tolberti novum accidit omninò, novæ ab eo geſtæ res, quin amplioris etiam gloriæ acceſſionem Collaltinæ Genti fecerint, haud equidem dubito. Et divinaſti ſanè, tum ego: Vir quippè Tolbertus animi magnitudine,

(1) Joan. Bapt. Caſtrodardus Chronicon de Epiſcopis Bellunenſibus Cortuſius, Hiſtoria de novitatibus Paduæ lib. 2. cap. 20. pag. 73.

Digitized by Google

dine, (1) morum probitate, factisque egregiis jure merito inter clarissima Collaltorum lumina recensitus. Venetam Rempublicam coluit maximè; pro qua suscepit bella & plurima, & difficillima, eademque (2) victor, obstupescente Fortunâ, celeritèr, felicitèrque confecit. Fugatis (3) iterum, ac sæpiùs hostibus, munitissimas Arces in servitutem redegit. Urbibus Bellunio, Feltriâque, consilio, ac manu expugnatis, & (4) Venetæ ditioni fines amplificavit; & palmam sibi retulit immortalem. Atque hæc cursim de singulari in Patriam studio, ac pietate; quæ tot beneficiis devincta, Ducem fortissimum summis (5) honoribus cumulavit. Pauca nunc de sanctissimâ in Deum Religione, quam cum splendidâ munificentiâ conjunctam ex animo semper exercuit. Luculentissima extant apud Carthusianos (6) in Montelli nemore monumenta, quæ Tolberti conditoris optimi amplissimas impensas opes, regiamque liberalitatem deprædicant. Ad hæc Lævinus: nunc teneo, inquit, Parthenie; quid sibi velint cristata galea: districtus ensis: Laureæ complures in alterâ hac Numismatis parte, eleganter, distinctèque satis expressa. Sed restat adhùc, quod planum facias. Quid? tum ego. Et ille: Viden'? Hanc nempè Arcem cum Vicis, haud otiosè a cælatore effictam crediderim. Cui ego: isthùc ibam, Lævine: atque audi. (7) Arx ista nobile Teusopi Castrum: Tecta illa peramænam Villam, Villæque adnexa jura, & Comitatum in Valle Euganeâ commonstrant; Quæ omnia locupletissimus Princeps à Bigardo de Rongegno, ingenti auri pondere, sibi, suisque, ad avitæ ditionis incrementum, coemit. Hoc loco, cum exultans Lævinus rueret in amplexus: Apage, inquit Cotta, inofficiosa isthæc officia Lævine; quibus tu quidem narrationi filum abrumpis intempestivè. Sine aliquando, ut quod è vidulo extrahere jam videtur Parthenius, numisma tradat in manus. Cui statim ego: opportunè, ac sapienter monuisti: scis enim me, antiquis moribus hominem, qui effusa hujusmodi officia prō offuciis habeam: tu igitur præmii loco, hoc tibi sumas, Cotta, explicandum Numisma in auro cælatum pulchriùs, & mole majus; eodemque temporis punctō, dedi evolutum è carthulâ. Jam verò, dum ille quaquaversum intentis oculis acerrimè contemplatur; statim ad me Lævinus: nolim te mihi subiratum Parthenie; nosti profectò, & quæ sint Assentatoris, & quæ intimi familiaris officia; satis etiam, & abundè me nosti. Cui ego subridens: ne leviter quidem turbavit animum jocus; jam enim diù quàm simplex, quàm ingenuus sis,

(1) Galeatius Gualdus Prioratus, Scenæ degl' huomini illustri lettera R. Franciscus Sansovinus dell'origine delle Famiglie illustri d'Italia lib. 1. pag. 5.

(2) Joan. Bonifacius Istoria Trivigiana, lib. 9. pagina 477. & li. 10. pag. 518.

(3) Idem Auctor pag. 480.

(4) Idem ibidem pag. 491. & Sansovin. loc. laudato.

(5) Galeatius Gualdus loc. cit.

(6) Antonius de Macis Chronica Religionis Charusianæ in Montelli nemore existentis.

(7) Georgius Piloni Istoria di Belluno lib. 4. pag. 159.

Digitized by Google

non ignoro. Sed age nunc tu Cotta, penſum exolve; Herois nomen exprome; diutiùs, quam par eſt, Rotam hanc vortiſti, ac revortiſti. Et ille, en nomen: Schenella V. Terviſii Comes, & Collalti. Proh quantum vel in auro ſpirat bellicæ virtutis nativa Imago! Proh quanta in Vultu commiſta ſedet cum comitate Majeſtas! Ut penè vibrante dexterâ fulmineus enſis terret ſimul, & placet! Quæ porrò in facie adversâ ſpecies admiranda virtutum! Hîc Vulcanum videas clypeum cum galeâ præbentem Duci. Hîc divitem copiam opes pleno cornu fundentem. Ad dexteram alitem Genium manu alterâ laureas Coronas; alterâ Caduceum geſtantem: Ad ſiniſtram erectum Leonem, volumen ſtringentem unguibus, cum uncialibus hiſce literis A.C.N.S.V.Q. quas interpretari tuum erit Parthenie. Quod ad me, hæc quidem omnia magni nominis Heroem innuunt, bellicâ præſertim laude clariſſimum. Ita enim vero tum ſtatim ego: Is enim acceptam ab optimo Parente Rambaldo VIII. ampliſſimam gloriæ hæreditatem, re, fortuniſque fecit auctiorem. Adoleſcens generoſæ indolis, æquè ac ſenilis prudentiæ ſpecimen dedit. (1) Politicis rebus, & conſultis (2) militaribus verſatus egregiè, utramque vicit fortunam. Legionum (3) Ductor Venetis contra Pannonicas Acies opem tulit. (4) Toparchias ſuas, & caſtra, ab eorumdem furore militum, quos Pannoniæ Rex Ludovicus odio effuderat, vindicavit. Affinium denique Scaligerorum vim, ac potentiam Inſubriæ univerſæ infenſiſſimam, conſilio, & armis penitùs fregit. Atque hinc illud jam planum fiet; cur tot inſertæ coronæ; cur additum Numiſmatis Caduceum: ille relatas de Pannonico Hoſte victorias: hoc reditam Inſubriæ pacem deſignat. Hinc & illud liquet, quid ſibi velint notæ illæ, quid volumen, quid Leo; hic nimirum (5) Venetorum Rempublicam Comiti meritiſſimo officioſam: illud literas (6) quamplures innuit eidem ad grati animi monumentum per Venetos Principes, publicâ authoritate, conſcriptas. Ex demum præcipuæ literarum ſunt notæ, quibus quanti ea Reſpublica Schenellam, ejuſque Familiam, fecerit, ſatis oſtendit; cum illud voluit ſignificatum. *Ad Conſervationem Noſtri Status, Veſtrique*. Porrò, enumeratis promeritis, quænam contigiſſe præmia putatis? Illud ſanè recenſendum in primis, quod (7) Caroli IV. Imperatoris in omnem benemerentis animi ſignificationem contulit effuſus amor. Is enim Cæſareis quinque diplomatibus, benevolentiæ plenis, Ducem clariſſimum cohoneſtavit, quibus non modò firmata voluit

(1) Zabarella, Morovea part. 1. lib. 3. Grad. 30. pagina 69.

(2) Idem Auctor ibidem.

(3) Henricus Abbas.

(4) Joan. Bapt. Verus, rerum Venetarum lib. 2. Bellum Pannon. ſecundum, pa. 236.

(5) Joan. Bonifacius ſtoria Trivigiana lib. 10. pagina 532.

(6) Jo. Delphinus Dux Venetiarum Ducalis data anno 1359. in Archiv. Coll. Com.

(7) Caroli IV. Imperatoris Diplomata, in Archiv. Collalt. Comit.

Digitized by Google

luit Imperiâ, ditiones, & jura omnia, quæ retroactis temporibus, Regum, & Imperatorum munificentia Collaltinis est elargita; verum etiam partim præmio, partim dono attribuit in Tervisiano, & Cenetensi, Musestris, ut ajunt, & Collis Sancti Martini, & Radii nobilia Castra: in Patavino Vallem Duplavilem, eique adjunctos Servos, & Villas cum omni imperio, atque amplissima potestate. Hoc nempè, hoc notat expressa in auro, *pleno prædives Copia Cornu*. Hoc Cotta loco: Euge, inquit, Parthenie; nequeo, pregestiens animo, quin plaudam tibi; venustè siquidem, & quod caput est, ad rem omnia collimant. Age nunc verò, atque aliud inspectandum Numisma porrigito. Sum enim hâc in re, ut nosti, bellè curiosus. Cui tum ego, facerem, inquam lubentissimè; at in vidulo, ut vides, quod apponam, supereſt nihil: & ille: nihil? Perge igitur, ut cæpisti jam reliqua memoriter, & copiosè; gestimus enim, ut pro Amico spondeam, rescire, quæ tu in memoriæ penu servas ditissimè. Atque ego: timeo, ne Lævino, cui jejunius diù latrat stomachus grave futurum sit exaudire. Ad hæc Lævinus: Numquid bulimiâ unus laborem? Et si laborarem Parthenie, scis optumè quanti facio sermonem tuum, attico verè melle conditum, omnique siculo prandio suaviorem; quare, ut pergas, etiam, atque etiam rogo. Verùm isthæc coquinaria, inquam, sunt verba. Abeamus hinc, quæso vos; sol, ut video, à meridie non longe abest. Quod ad inceptam Heroum seriem attinet, aperire ulteriùs non gravabor de viâ. Benè est tum illi: At ne grandito gradus Parthenie. Imò, inquam, testudineo incedam.

Vix igitur iter occæpimus, cum statim illi me contuentes, eja, inquiunt, dum aures damus, ex ordine, Herois nomen edisserе. Quibus ego: currentine calcaria adiicitis? En Nomen: Rolandus I. Tervisii Comes, & Collalti. Is optimi Parentis Schenellæ V. optimus Filius, vivam paternæ probitatis prudentiæque imaginem præsetulit. In quo, vel adolescente, cum præclarissimis animi dotibus imperii spes adolevit. Bellicis in rebus, quà mentis, quà corporis fortitudine, timoris nescià, expectationem sui apud omnes excitavit eximiam; at in ipso (1) ætatis flore fato præreptus, omnium lacrymis comploratus occubuit: Non ita tamen, ut nulla supereſſet pars sui. Constantiam (2) quippè, pulcherrimam Filiam, & Generis, & gloriæ reliquit hæredem. Nupsit hæc Henrico de Lazano, clarissimo Provinciæ Franconiæ Militi; ex quorum auspicatissimo conjugio, Gaspar ille in lucem prodiit, Bassani Comes;

[1] Joan. Zabarella Morovea, pat. r. lib. 5. pag. 72.

(2) Sigismundus Imperator Diploma, anno 1437. pro Gaspero Hirio Comite Bassani in Arch. Collalt. Comit.

mes; trium Cæsarum Sigismundi, Alberti, & Friderici magnus Cancellarius: Agneti Slesiæ Duci, & Sigismundi Imperatoris (1) consanguineæ sponsus non impar; quem meritò, ob singulares virtutes, primæ notæ Scriptores summis laudibus exornarunt. Jam verò, ne à rectâ semitâ, dum alienas laudes congerimus, deflectamus; perindè quasi mutuatâ aliundè luce Collaltinæ Genti sit opus: teneat jam locum, ut series postulat, Rambaldus IX. octavi nepos, Tervisii & Collalti Comes. Hic, jam indè ab Adolescentiâ, animi fortitudine, morum comitate, doctrinâ, & pietate (2) conspicuus, magnorum Principum, maximè Caroli IV. (3) Cæsaris, benevolentiam singularem, amoremque promeruit. Recentibus fortissimi Avi vestigiis insistens, operâ, & consilio gloriam sibi ipse peperit immortalem. Acerrima (4) bella Religionis, & justitiæ causâ ritè suscepta, validè, feliciterque confecit. (5) Solicetti Castrum, aliasque munitissimas Arces victor subegit. Nihil habuit antiquius, quàm (6) Venetæ Reipublicæ summo studio favere; & ad omne votum, fluente fortunâ, egregiis factis prodesse. Acrior tamen propensi animi enituit ardor in pace componendâ (7) Venetos inter, sociosque ex alterâ: ex alterâ verò parte Pannoniæ Regem, Genuenses, aliosque Fœderatos. Is enim (8) Taurinorum Augustæ cum Ensedisio V. Patruele suo ad fœdus stabiliendum interfuit; Ensedisius Publicærei: Rambaldus Collaltinæ Præfectus: ille commune bonum sapientèr, hic (quod unis datum summis Principibus) peculiari pro Collaltinis rebus Capitulo, (9) amplissima suæ ditionis jura, & subditorum commoda, in solenni Pacis stipulatione, speciatim, (10) honorificèque curavit. Atque hîc, patere quæso te, inquit Lævinus, ut Exclamem, Parthenie: O' Regiam oppidò Collaltorum Gentem, ad cujus singularis gloriæ fastigium, vel in maximis Comitiis, & Respublicæ florentissimæ, & Socii, & Reges plenis suffragiis nova isthæc decora contulerunt! Cui tum ego: quid nova inquis Lævine? Jam pridem in tot clarissimorum Principum congressionibus pro pace, induciisque, in tot Collegiis, Cisalpinæ præsertim Galliæ solenni ritu coactis, huic Familiæ hæc (11) ornamenta sæpè numero contigisse liquidò apparet, cùm ex innumeris Venetorum Principum literis ad Collaltinos Principes datis; tùm maximè ex publicis (12) tabulis Sapientissimi Senatus, apud quem fuit solenne, Collalti Comites *Amicos dilectissimos, Reipublicæ adhærentes, Patriæ benemeritos accersere; atque ut vicinos, Fœderatos, Consiliarios colere*. Hæc igitur mi-

(1) Idem Cæsar in eodem Diplomate.

(2) Æneas Sylvius de Bohemorum, &c. Histor. cap. 53. pag. 125.

(3) Ludovicus Maymburgus historie du Vvidesianisme part. 2. sect. 6. pag. 26.

(4) Diplomata in Arch. Coll. Com.

[5] Joan. Bonifacius, storia Trivigiana lib. 10. pag. 555.

[6] Idem Auctor ibidem.

[7] Zabarella Morovea part 1. lib. 3. pag. 72. lit. C.

[8] Joan. Bapt. Verus rerum Venenarum lib. 2. pag. 168.

(9) Andreas Contareno Venetiarum Dux, ejusq; litere in Archiv. Cullalt. Com.

(10) Michael Mauroceno in Arch. Collalt. Com.

(11) Joan. Bonifac. storia Trivigiana lib. 10. pag. 170. Palladius, storia del Frivoli, part. 2. lib. 10. pag. 477. Casimirus Freschot, li Pregi della nobiltà Veneta edit. 2. e la nobiltà Veneta edit. 2. pag. 209.

(12) Laurentii Celsi, Andreæ Contareno, Michaelis Mauroceno Venetiarū Ducum literæ in Arch. Collalt. Comit.

Digitized by Google

mirari jam desine; illud, me judice, oppidò mirum; quod in Heroe, tot curis, negociisque distento, suum habuit principem locum religiosæ Pietatis studium, & ardor: nam quæ anteà ejus parens Tolbertus patruusque Schenella Cartusianis Templa, & Cœnobia in Comitatu Tervisino magnificè posuerunt, (1) unus ipse posteà amplificavit; collatisque muneribus, regio pompæ apparatu exornavit magnificentiùs. Illud denique haud hîc silendum, quòd huic Comiti nupserit Jacoba (2) de Ubertis, nobilissima inter florentinas Matrona, eâ potissimum tempestate, cum Florentina Respublica vigeret maximè, Hîc porrò Cotta: usqueadeò, inquit, aucta in dies Heroum ornamenta, fortunas, virtutesque, abs te, Parthenie, enarrante audivimus, ut nullus ultrà sit gloriæ, nullus admirationi locus relictus. Ita sanè, tùm ego: nisi de Collaltinæ Familiæ laudibus haberetur oratio; in eâ nimirum (quod, ut sanctum, firmumque tenendum est) nunquam eò visa dignitas, ac majestas pertingere, quamquam insignis gloriæ apicem vicerit semper, ut non altiùs se se novis fortunæ, honorisque incrementis extulerit. Atque utinam per tempus liceret; Heroum saltem senarium numerum, ut narrationis ordo postulat, in medium afferrem. Ad hæc Lævinus: imò ut pergas, inquit, & opportunum tempus, & quæ supereſt via benè longa. Et quoniam lubet, tum ego, libens assentior. En ex ordine recenseo nomina; vos memoriâ tenete, aliâs non repetam. Ab laudato Rambaldo subsequuntur Marcus Carolus I. Ensedisius V. Schenella VI. Petrus Rolandus I. Antonius II. & Rambaldus X. præclara hæc quidem nomina; quæ nulla unquam obliterabit vetustas temporum; nulla iners teget oblivio. Verum, ne vel minimùm morer, ordior à primo. Is pro Cæsare Carolo IV. ad Innocentium VI. Pontificem Maximum Avenione (3) legatus, demandata sibi gravissima, & operosa negocia summâ celeritate, exitu feliciori expedivit. In Germaniâ, tanquam in durâ Martis Palestrâ, belli artibus egregiè instructus, (4) sæpè in Hostem Dux ipse, & miles strenuus irrupit: sæpiùs suâ disjectum manu fugavit: semper è prælio nobilis extitit triumphator; maximè in Bornsciâ, ubi virtus ne, an Fortuna magis arriserit, adhùc in ancipiti positum. Porrò, rebus feliciter gestis, cum ex Germaniâ in Italiam remigrasset, quasi de Cœlo delapsum numen, festivis omnium acclamationibus exceptus est. Perusini, ejus bellicæ virtutis famâ permoti, Gubernatorem suum, supremumque Ducem exercitus adlegerunt. Eo Comes in munere, summâ, qua pollebat, pru-

(1) Antonius de Macis, Chronicon Carthusiæ Montelli in Agro Tervisiano, anno 1429. conscriptum.

[2] Henricus Abbas espositione della Genealogia de Conti di Coll.

(3) Zabarella Metov. part. 1. lib. 3. pa. 91. Hieronym. Hennigius opus Genealog. par. 11. tom. 2. pag. 1491. 1492.

[4] Idem Auctor ibidem.

Digitized by Google

dentiâ ; & fortitudine , optimi Principis partes explevit omnes . Præ cæteris recolendum illud ; quòd in (1) Tiferni Tiberini expugnatione, & militaris disciplinæ veterem normam, & Collaltinæ fortitudinis exemplum posteris admirandum reliquit. Joannam (2) Juniperam ex vetustissimâ Comitum Purilioriorum Gente præclaram sibi conjugem copulavit.

(1) Sansonius, dell' origine delle Case illustri d'Italia lib. 1. pag. 4. Gualdus Scena degl' huomini illustri d'Italia litt. R.

(2) Henricus Abbas Histor. Collal. & Elogia Comitum Collalti,

Qui proximè sequitur Collalti Comes, prudentiæ laude, animique præstantiâ, par primo; at studio, assiduisque in Patriam officiis, nulli secundus. Hic Venetas partes, in illa rerum omnium perturbatione , contra Aquilejenses, fœderatosque Patavinos alacritèr suscepit ; susceptasque pro virili sustinuit. In hac porrò, quam sibi Patriæ amor concredidit provinciâ , mirum dictu est , quantum ejus , in Venetæ Reipublicæ præcavendis periculis, desudavit industria, sagacitas , ac mira mentis solertia; & quo tandem animi æstu, exituque feliciori ejusdem ampliſſima jura , in tantâ temporum improbitate defendit. Tanti Herois gloriam satis , abundèque testantur quinquaginta , & amplius Ducis (3) Andreæ Contareni publicæ literæ ad hunc Comitem datæ, quibus unis Collaltinorum Fasti immortales satis impleri possent ad gloriam , nulla quamvis alia extarent , transmissa in Posteros monumenta . Huic non impar fœmina (4) de Caminiensi Familiâ nupsit ; qua viduatus Comes , acerbissimo fato, alteram sibi de Austriaco sanguine (5) matrimonio junxit illustriorem.

[3] Andreas Contareno Venetiarum Dux quinquaginta, & amplius Duales literæ Henricus Abbas, Regestum literarum Principum.

(4) Gualdus loco super laudato, & Hieronym. Henninglus, opus Genealogiæ, par. 3. tom. 2. pag. 1491. & 1492.

(5) Sansovinus origine delle case illustri, lib. 2. pag. 3.

Jamverò, quod ad Tertium attinet, ne longus sim, multa paucis perstringo. Tanta Heroi inerat Comitas: tanta rei equestris, ac militaris peritia: tanta demum ad munia quælibet naturalis ingenii vis, ac dexteritas; ut, quamquam omnibus gloriâ longè anteiret ; omnibus tamen apprimè charus, communem sibi, sui æqualium venerationem conciliarit . Cum autem nuptiarum solenniis Ludovicum inter, Ducem Aurelianensem, & Valentinam Joannis Galeatii Mediolanensium Ducis filiam concelebrandis, Lutetiæ Parisiorum interfuisset; incredibile dictu est, quantâ exceptus humanitate , & quo in honore à potentissimo (6) Galliarum Rege, summisque Regni Proceribus, unus ipse tot inter Italiæ Principes meritissimos fuerit habitus. Atque id quidem eo loci singulare fuit, cùm in frequentissimâ Aulâ , Archetypum Caroli (7) magni aureum Diploma, omnium oculis exhibitum; quo Collaltini Principes in Comitum dignitate , non collato tantùm, sed (quod mirum est) firmato jam indè jure,

[6] Andreas de Redusiis Chronicon de rebus Marchiæ Tervisianæ Comes Virtutis.

[7] Idem Auctor ibidem,

per-

Digitized by Google

perhonorificè decorabántur. Duo potiſſimùm de tot inſignibus Herois præclariſſimi factis, quæ paucis innuam, ſeligo inſigniora. Alterum, magni profectò animi, ſed conſilii majoris exemplum; ubi, Venetos inter, & Franciſcum Carrarienſem, Patavii Principem, recrudeſcente jam bello, inclytus Comes Actio (1) Ateſtino leviro ſuo, pro Venetis contra Ferrarienſes ſigna inferenti, vel per medios hoſtium cuneos impavidus, celerrimè, atque opportunè opem, auxilia, ſuppetias tulit. Alterum, & quidem majus, ubi Pipum Spanum; (2) infenſiſſimum Pannoniæ Ducem cum decem millibus equitum, Venetos fines invadentem, inſtructis confeſtim copiis, eluſit primò; mox ad Terviſii mœnia, converſo exercitu, appropinquantem fortiter exturbavit, demum Collalti Caſtrum adoriri tentantem fortiùs exegit, expulit, profligavit. Extant (3) Michaelis Steni Veneti Principis ampliſſimæ literæ, quibus admiranda Comitis hujuſce ſtrenuitas, Reipublicæ nomine, ſupra modum extollitur. Neque hîc tranſiliam illuſtre initum cum (4) Urſinâ, Franciſci Marchionis. Ateſtini filiâ conjugium; cui prò ditiori fuit dote, tùm quæ corpus, tùm quæ animum forma ſingularis, & egregia virtus ornaret,

Jam venio ad Quartum, ſi minus ætate parem; at certè animo, & virtute Tertio ſimillimum. Nam (ut iisdem penè verbis refert Henricus) clariſſimus Copiarum Dux (5) Stativa, Annonam, bellicaque Pipi Spani exercitus Impedimenta penitùs diruendo, Terviſium ab obſidione vindicavit, oppugnationemque in Sancti Salvatoris Caſtrum converſam amovit fortiter, diſpulit feſtinanter. Vix hæc: cum ſtatim Cotta: Nec aqua, inquit, aquæ, nec lacti lac magis ſimile, quàm fortibus factis Schenellæ Rolandus, Ita enim verò, tùm ego: imò quod mirum magis, par etiam pari utriuſque virtuti laus, & honor habitus; ſervantur enim ſimili exemplo ab eodem Steno Duce conſcriptæ literæ, quibus & commendatur ampliſſimè Comitis fortitudo; & Reipublicæ nomine gratiæ, officiaque referuntur quammaxima. Accedit ad paris gloriæ cumulum perilluſtre connubium Cum (6) Eliſabethâ, ex Comitibus de Arco, qui ab avito Ducum (7) Bavariæ ſanguine trahunt originem.

Sed jam ad Quintum, tot ingentium Heroum Nepotem, Regiæque nobilitatis hæredem ſermo feſtinet, Vir planè hic animi excelſi præſtantiâ, munificentiæ commendatione, & piæ Religionis ſtudio ſuppar Majoribus. magnis ſui Ævi Principibus, Sigiſmundo præſertim, Ro-

(1) Zabarella Meroveæ par. 1. lib. 3. pag. 73.

(2) Henricus Abbas Hiſtoria Collaltiana, Commentarii, & Elogia Comitum Collalti.

(3) Michaelis Steni Ducales literæ, ſub an. 1423.

(4) Franciſcus à Caſono, Genealogia Comitum Terviſii, & Collalti. Sanſovinus pag. 3. Zabarella pag. 73.

(5) Henricus Abbas Elogiographia Gent. Collaltæ, Joan. Bonifacius, ſtoria Trivigiana lib. 11. pag. 619.

(6) Sanſovinus, dell'origine delle caſe illuſtri libro 1. pag. 4.

(7) Zabarella Meroveæ pag. 91.

Digitized by Google

manorum Imperatori chariſſimus, (1) privilegia, & multa, & maxima ab eodem jure merito accepit. Hoc Lævinus loco: Ne quæſo, inquit, Parthenie, ſummatim adeò, ſuccintèque tanti Herois laudes percurras. Cum enim idem huic, ac Mecænati tuo datum ſit ſuaviſſimum nomen, tui amoris ſpecimen aliquod, vel in hoc illi præbeto, quod ipſiſſimæ benevolentiæ leges poſtulare videntur; ut nimirum Herois merita, & Auguſtiſſimi Cæſaris præmia enucleatiùs enarres. Bene eſt, tùm Ego: at in te hæc cudetur faba Lævine. En, miſſis aliis, ampliſſimi Diplomatis (2) Epitomen, quod hac in Schedulâ tranſcriptum volui: Tu elatâ voce, ut ſoles, legito; Ipſe interim, & Cotta, ſuſpenſo tantiſper gradu, aures dabimus intentiſſimas. Et ille preſto ſum, inquit, atque audite. *Sigiſmundus, Dei gratiâ Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus &c. magnifico, ac generoſo Militi Antonio de Collalto, Comiti Terviſii, Familiari noſtro, Domeſtico, & continuè Comenſali, ac Sacri Palatii Fideli-Dilecto Gratiam Cæſaream, & omne bonum, &c. Volentes Te, quem manu propriâ Militiæ cingulo, ac Societatis Noſtræ Draconicæ, ac Stolæ, ſeu Ampriſiæ, chariſſimi Fratris noſtri Regis Aragonum inſignivimus, ſingularis honoris Prærogativâ meritò prævenire, Te præfatum Antonium in Familiarem noſtrum, Domeſticum, & Commenſalem, præſentium tenore recipimus, &c. Statuentes, ut de cætero, Familiarium Aulæ noſtræ Dignitatibus, honoribus, Privilegiis, Prærogativis univerſis, abilibet potiaris, &c.*

Vix recitaverat, cùm ſtatim Cotta; hæc, inquit Partheniæ, ſilentio putaras præmenda? Et quid ad gloriam magnificentius? Quid inſignius ad laudem? Quid denique ad benevolentiæ ſignificationem illuſtrius? Illud hinc colligere facile eſt, præmii genus nullum fuiſſe, quod ab Imperatorum liberalitate Collaltini Heroes non obtinuerint; quemadmodum meriti genus nullum fuit, quod iidem ad Romani Imperii gloriam amplificandam non præſtiterint. Cui ego id, quod res eſt, conjectaſti. Certavit enim verò Amor utrinque: Hîc, induſtrium ſe, maximèque operoſum pro Cæſarum amplitudine: Illic verò munificum, maximeque ſemper beneficum pro Collatorum dignitate ſe præbuit, Intereà loci, hec me differentem cum Cotta, curioſus interpellat Lævinus: Quid Parthenie, amabo te, in alterâ hac Schedulæ frontè, ſibi volunt interciſæ paſſim hæ literæ? Numnam, ad memoriæ præſidium poſitæ? Ita planè tùm Ego: (3) Epitaphii particula illa eſt, qua perantiquus Co-

(1) Bernardus Juſtinianus ſtoria degl'ordini militari, tom. 2. pag. 723. Gualdus in opere nuper laudato, aliique.

(2) Sigiſmundi Imperatoris Diploma, datum Baſileæ anno 1433. die 29. menſis Novembris in Arch. Comitum Collalti. Alterum ejuſdem Cæſaris Diploma eodem anno ſignatum.

(3) Henricus, Ebas, Marmorea Comitum Collalti.

Digitized by Google

Comiti habitus honor Posteritati recens obiicitur.

Tervisii Comes, & Veneti lux clara Senatus,
Nec non Cæsareo munere factus Eques.

Atque hæc satis delibasse de Comitis præclarissimâ apud homines dignitate; jam nunc de spectatâ in Deum pietate pauca strictim dicamus: Animum, quæso vos, aures que intentius erigite. Et illi: pendemus, inquiunt ab ore. Præter cætera, tùm ego, quæ religiosissimus Comes piæ magnificentiæ demandavit Posteris testimonia; illud præcipuum, quod propè Collalti mænia celebre Templum (1) Divo Bernardino Senensi nuncupatum, & amplissimum Cœnobium non excitavit modo; sed etiam (ut, & confici sacra, & sarta tecta ea servari possent) copiosis redditibus cumulavit. Quæ demum omnia Ordini Seraphico, quem semper coluit, addixit.

Quoniam verò ad sextum tandem devenimus; experiri nunc abs te lubet Lævine: num illius tibi subeat memoria nominis? Benè memini, tum statim ille: Rambaldus Heroi nomen, & si ordinem rogas, eo nomine decimus: (2) Si egregia facta, is, ut reor, præ omnibus memorandus. Cui ego: Prudenter tu quidem conjectares Lævinæ; ni magnæ indolis Adolescens acerbissimo fuisset Fato præreptus; siquidem, ubi primas vix attigerat dignitates, omnemque invidiam virtutum præstantiâ vicerat (3). Romam profectus, ibidem vitâ decessit. Hîc; necasti me Parthenie, exclamat Cotta. O lacrymabiles Fati vices! Siccine, subdit Lævinus, spem simul, & gaudium isperatus ademit dolor? Quibus ego: occidit ille quidem certè nulli non flebilis; at Genti suæ flebilior, cujus opes, & gloriam, vel à teneris evehere altiùs occæperat. Nec tenuis indè spes incrementi; quòd (4) Mariam ex Regulis de Valvasono clarissimam conjugem duxerat; Cui Forzateæ Patavinæ Familiæ opima ex asse hæreditas obtigit. Ex hoc perillustri conjugio ortum habuit inclytus Comes (5) Vinciguerra I. quem tamen, nec absimili Fato, præcox rapuit occasus. Vix hæc; cum ecce, concitato ad nos cursu, properavit Fabiolus; acceptoque paulisper spiritu, tandem admonuit, prandium ultrà moram non pati; iremus illicò; ni cuncta, turdos potissimùm benè pingues, assatos meliùs, corrumpi prorsus vellemus. Quo audito, eja, inquit Cotta: gradum grandiamus, Parthenie, non leve malum Lævino ominatus est puer. Quasi verò, subdit, Lævinus, Cottam nostrum, Parthenie, turdorum cura non coquat. Coquit isthæc omnes profectò,

[1] Petrus Ridolphus, Episcopus Senogalliæ, Historia Seraphica lib. 2. pag. 272.

(2) Zabarella Mecovea part. 1. lib. 3. pag. 91.

(3) Sansovinus; dell'origine delle case illustri d'Italia lib. 1. pag. 41.

(4) Hieronym. Heningius opus Genealogicum par. 2. to. 2. pag. 1492.

(5) Idem Auctor, & Jacobus Zabarella libris, locisque laudatis.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE 1894

Digitized by Google

tum ego : celeremus ; à prandio enim , quod fupereſt ; faciliùs enarrabbo , nulla mora ; domum citò perreximus, inſtructiſque ſcitè ferculis , continuò ad menſam itum eſt .

CAPUT VI.

A' prandio incæpta Heroum ſeries continuatur.

SEcundis ubi menſis modus factus eſt ; lotiſque manibus , Deo grates , de more , ſunt perſolutæ ; ſtatim Lævinus , & Cotta me contuentes : perge , inquiunt, Parthenie ſicut cæperas eruditè ; & quamquàm non nihil grave vix paſto tibi futurum remur , intento animo ſermonem facere , ut res poſtulat , benè prolixum ; nobis tamen , quòd bellariis omnibus tuus ſermo ſuavior accidat , rogamus enixè , ut citiorem narrationi des operam perficiendæ . Quibus ego : faciam lubentiſſimè , tùm quòd gratum utrique ; tùm etiam , quòd perfacilè mihi ; hic enim habeo ad manus multa , queis adjuvari memoria plurimùm poteſt . Surgamus hinc , quæſo vos , Muſæumque , diſpoſitis in ſeriem numiſmatis adornatum ; ubi urgeamus telam commodiùs , ingrediamur . Heus tu interim Fabiole , ubi rem tuam curaſſis , bina hoſpitibus mexicanæ potionis vaſcula ; unum mihi de Arabicâ fabâ , quam toſtam , contritamque habes in arculâ , ſcitè parato . De cocolate verò reſiduam Cylindri partem ambare perfuſam benè conterito . Audiſtin' ? Et ille : teneo , inquit , probè ; jam factum puta . Atque hæc ubi dicta , pedem in Muſæum intulimus ; ibique ad literariam menſulam ſeſſum eſt . Tum videte , inquam , in perampla hac , elegantique membranâ ſuos diffuſa in ramos , minioque ordinatim deſcripta Heroum nomina ; indè verò aſſervatas in ſcriniolo , perpaucis exceptis , Comitum Icones ; undè faciliori negocio incæptæ narrationis filum ducamus . Magnum planè hîc Lævinus , imò & certum , & multiplex memoriæ noſtræ præſidium ; at tibi , Parthenie, inutile , atque omninò ſupervacaneum ; quippè qui facultatem hanc , vel ipſi Mithridati non invides . Coquinaria verba , tum ego : ipſe etiam hæc eloqui , ſi cogeretur Mithridates , ſtatim poſt prandium , profectò non minimùm laboraret ; gravis enim è præfervido ſtomacho vapor cerebrum obtundere homini ſolet , atque hebetare , Sed mittamus iſthæc quæſo , atque ad rem noſtram illicò, ut par eſt , contendamus . Dic ſodes Cotta : meminiſtin'

quo

Digitized by Google

quo Herois nomine antemeridianum sermonem obsignavimus? Et ille : adeone fungus siem, ut repetitum toties Rambaldi nomen non teneam? Cui ego : benè est, idque rogatum volui, non quòd oblitum te addubitabam, verùm quòd ad accuratam Genealogiæ urgendam texturam, plurimùm faciebat. Ades dum igitur, siquidem ab laudato Rambaldo omnium primus, ut vides, offert se se Antonius III. Collalti Comes, Antonii Rambaldi, Mecænatis nostri Atavus præclarissimus. Hic enim verò (1) à Friderico III. Romanorum Imperatore ob egregias, maximasque virtutes equestri dignitate insignitus, suavissimis moribus in omnia & munificentiæ, & pietatis officia se totum semper effudit : Templa, & sacras Ædes opibus auxit, ornamentis ditavit : Amicos, & Familiares, comitate, devinxit, beneficiis (3) obæratos retinuit, in turbulentissimâ illâ contra Venetam Rempublicam tempestate ob Camarecense fædus exortâ, de quamplurimis (4) actum erat Familiis, ni vir inclytus, natus ad Patriæ commune bonum, illi sæculo contigisset. Quis enim summâ ingenii dexteritate, prudentiâ nomine, auctoritate, domus locupletissimas clarissimasque Familias, nisi unus ipse ab ultimo exitio, & ingruenti jam funere vindicarît ? Unus profectò tot Equites gravissimè afflictos erexit; miserabiliter perditos recreavit; suisque in Comitatibus, ac Ditionibus, ut in tutissimo Asylo, quàm humanissimè excepit. Ad hæc Cotta : O' præclarum, inquit, summisque laudibus cumulandum beneficentiæ facinus ! Quid enim glorioſius, quàm pro Concivium utilitate certare ? Fugitoribus perfugio esse pariter, ac solatio ? Summo demum versantibus in fortunarum discrimine opem, & operam omnem præstare ? Cui ego : acutè sapis, tu quidem Cotta. Id enim & moliri, & perficere, ut miseris opportunè expeditèque succurras, non tàm humanum dixerim, quàm divinum. Quàm porrò acceptam Superis eam putaveris Cotta, quæ tanto nupserit Viro ? Equidem, tum ille. Quàmmaximè. Imò, si mihi liceat conjicere, non nisi ex clarissimo Venetorum Principum sanguine unam præ cæteris clariorem ei conjugem obtigisse, autumaverim. Et quamobrem ? hic statim ego : Ut nimirum, tùm ille, tot obstricta officiis Respublica, quas meritissimo Comiti gratias referret, uni committeret, ne videretur ingrata. Ingeniosè ! tum ego, & divinasti profectò ; Luciam quippè Laurentii Mocenico Senatoris, ac Principis præstantissimam filiam Regina Civitas Conjugem illi, studiis omnibus, habendam curavit, in qua unâ, feliciori quodam

[1] Zabarella Metovea par. 1. lib. 1. pag. 92 aliique Elogiographi Collaltinæ Familiæ.

[2] Auctores iidem

(3) Zabarella lib. 3. pag. 93.

(4) Nicolaus Maurus Historia de Trevisо lib. 14. pag 425.

Digitized by Google

dam nexu, collectæ charites, præter pulchriores animi dotes, emicabant ex ore.

At quid hîc ultrâ immoremur? Si vestigemus præclara omnia in singulis, exitum narratio inveniet nunquam. Age sis Lævine, quid torpescis? Perlege ex ordine Herois nomen, Et ille, quàm citissimè, inquit me expediam; admotisque in Numisma oculis; En nomen, subdit, Manfredus V. Collalti Comes. Jam, quod meum erat, explevi protinùs. Tuæ sunto interim partes, illustria ejus gesta enucleatè referre. Cui Ego: per compendiariam ibo: date aures: Si quæ sunt (1) indulgentis Naturæ spectatissima munera: ingens nimirum ingenii vis, atque alacritas; animi vigor; venustas corporis, atque in Sapientiâ comparandâ ingenita, & inexhausta eupiditas; vel à primo pubertatis flore; in eo mirificè excelluerunt. Hoc naturæ; quid autem debeat industriæ, accipite. Romam adolescens contendit, ut non impar ibidem ingenio nactus lyceum, politioribus literis, primùm, mox magnis, ac severioribus disciplinis operam navaret omnem. Et sanè in id totus incubuit, eoque in dies censu uberiore; vel omnigenæ literaturæ famâ, morumque probitate permoti Summi Pontifices duo, Julius II. & Leo X. (2) alter Narvisiensis Abbatiæ, ut vulgò ajunt, Commendatarium renunciaverit: alter (3) non modò à Cubiculo honorario esse, atque inter aulicos primas habere eum jusserit; sed quam à Julio Abbatiam acceperat, in amplissimi Sacerdotii (4) Collegium, insigni, opulentoque munere decoratum cooptaverit; unisque Summis Hierarchis, ex honorificâ institutione subjectum semper, atque in Collaltinæ Familiæ (5) Jurepatronatus, ut dicitur, in posterum permanere decreverit. Porrò Leone demortuo Manfredus remigravit in Patriam ubi præclarè multa; illud verò gessit præclarius. quòd suæ Ditionis Ecclesias omnes ab alienâ jurisdictione solutas, rerum immunitatem, libertatemque obtinere sua operâ, ac studio, Sacrâ etiam (6) Venetorum Curiâ confirmante, voluerit.

Vix hæc; cum Cottam intuens, Age, scis quid expectem? Et ille: Scio Equidem; injectisque in expositam Membranam oculis, En, inquit, Herois nomen: Joannes Baptista II. Comes de Collato. Cui statim Ego: O' eximiâ Virum (7) Eruditione? Quantum profectò, ac quàm multùm incredibili hujus diligentiæ, solertiæque debeat pervagata longè, latèque Collatinæ Historiæ celebritas, quis unquam, usus compendio, pro dignitate satis

[1] Franciscus Sansovinus, dell'origine delle case illustri d' Italia lib. 1. pag. 4.

(2) Marcus Antonius Pellegrin. Consiliorum volum. 2. consil. 25. pag. 67. Zabarella Metrova par. 1. lib. 3. pag. 89.

(3) Leo X. Bulla in supereminentis, data Romæ X. Kal. Junii, anno 1521. in Archivio Collalti.

[4] Idem Pontifex in laudata Bulla.

(5) Nicolaus Maurus storia di Treviso lib. 12. pag. 335.

(6) Henricus Abbas Bullarium Collaltianum.

(7) Bartholomæus Burchelatus epitaphiorum Dialogi septem, sermone 1. pag. 14.

Digitized by Google

satis expendat ? Is quippè antiquarum rerum studiosissimus, præclara, & maxima Familiæ suæ monumentâ (1) Sæculorum obruta tenebris revocavit ad lucem, collapsa restituit, obliterata illustravit. Porrò ad memoriam extant sempiternam aurea, argentea; æneaque Numismita, quibus tanti Viri effigies plurimis hieroglyphicis, plurimisque Symbolis mirificè exornatur. Hoc Lævinus loco: quoniam, inquit, in Scriniolo unum istuc defuturum minimè credo; sine, quæso te, Cotta, tantisper illud contempler. Et ipse, eccum, ait, ad manus, & argenteum, & perpolitum, Quod ut vidit Lævinus: quàm graphicè; inquit, vultus Herois totus, qui sermo quidem tacitus mentis est, & quàm perleganter expressus! Vide jam sis, hîc Ego, quid adversa præferat facies. Et ille: solem, (2) reposuit, spissis obductum nubibus, pullato veluri Syrmate cooperatum. At quid hoc mœroris, & luctus Pharthenie? Atque Ego: Lemma non advertisti? περιφέρειαν circumspice; ac perlege. Et ille: minutillis ait excusum literis hoc, ni fallor, est Lemma. Post tenebras spero lucem. Ita enim vero, tùm ego; & quàm aptè, opportunèque usurpatum, ut in adversis rebus, & invictæ mentis, & iniqui temporis sortem (3) Posteritati explicaret. Jam verò par infracti animi documentum Nepotibus reliquit, qui subsequitur Heros. Quid moraris Cotta? Nomen perlegito. Et ille: præsto sum: Pompilius I. Comes de Collalto. Hîc tum ego: mirum oppidò quantum egregius Vir egregiis factis illud comprobavit (4) effatum: *Vitæ munus non ætatis fruendæ, sed strenuè agendi, fortiterque patiendi gratiâ impertitum esse?* Vix enim ab ephebis excessit, cùm (5) Othomanis in Illyricum irrumpentibus Turmis, fortissimâ militum manu, quam suo Adolescens Ære paraverat, eò contendit imperterritus, ut & sibi pareret gloriam, & publicæ saluti victor consuleret: Par obtigit virtuti disciplina. (6) Camillum quippè Ursinum, Provinciæ moderatorem, suique Ævi præclarissimum Ducem nactus, eò militaris scientiæ brevi pervenit, ut vel ipsos inter veteranos in Martis palæstrâ primas retulerit. Mox confecto bello, Italiam, Galliam, Belgium, Germaniam, aliasque principes Europæ Regiones eo animo peragravit, ut nihil apud exteras nationes in re bellicâ peregrinum inveniretur, quod non ipse penitùs nosset. Factum proindè est, ut scientissimum militiæ Ducem permagni Principes literis amplissimis certatim rogarent, vellet sibi Supremum Copiarum Imperium assumere; at spectatis Patriæ

(1) Henricus Abbas istoria Collaltiana, specimen ejusdem Historiæ,

[2] Sansovinus dell' origine delle case illustri d'Italia lib. 2. pag. 4.

(3) Hieronymus Ruscellus le imprese illustri lib. 2. pag. 313.

[4] Henricus Abbas Elogia Comitum Tervisii, & Collalti.

[5] Andreas Mauroceni Historia Veneta lib. 5.

(6) Ruscellus loco laudato, ubi vitam Pompilii I. paucis perstringit,

triæ commodis, quibus amplificandis, omnem operam daret, insignem provinciam, atque omne ubique imperium honorificum detrectavit. Verum hæc missa faciam; illud illustrius, nec vulgari dignum admiratione, quòd infortuniis gravissimis divexatus, adversa omnia tranquillo vultu, animo semper tranquilliore sustinuit. Atque hùc perbellè collimat Phrenoschemà (1) illud priori non absimile, quo ipse olim Heros fortissimus fuit mirificè expressus; quàm enim in eum quadrat aptissimè, Sol, interiectis nebulis circumseptus cum brevi Epigraphe; *Hinc clarior*.

(1) Sansovinus dell' origine delle case illustri d'Italia lib. 1. pag. 4. Hieronymus Henningius in Opere Genealogico litera C.

Hic Lævinus: Clarum, inquit, imò & schemate ipso clarius lemma: At quæ, amabo te, tot ærumnæ, quæ tot vibrata in gemini Herois caput Fortunæ tela? breviter. ni grave est, explicato. Longæ ambages, tum ego, in commodius quæso tempus, reiiciamus. Tu, interim cedo aliud ex ordine Herois nomen. Et ille: quoniam annulari digito occupaverat nomen, amoto, statim perlegit; Collaltinus I. Collalti Comes. Quot, Deus immortalis, hîc ego, in uno Heroas complecteris Lævine! Vir quippè is fuit maximarum virtutum famâ celeber apud suos; apud exteros celeberrimus. Nam per ætatem vix licuit; (2) cùm ingenuas, & bonas artes combibit avidissimè: ea præsertim, quæ studia (3) Regum sunt, Politicâ, & Historica penitùs hausit. Mox Majorum suorum stimulis incitatus, militaris gloriæ cupidissimus Insubriam ad Marchionem Alphonsum Davalum, Caroli V. Exercitus Supremum Ducem citissimè advolavit. (4) Sub tanto magistro militiæ rudimenta posuit; eòque protinùs crevit industriæ; & in re bellicâ dexteritatis, atque consilii; ut inter primos, ac peritissimos copiarum Ductores (5) jure sit habitus. Pro Galliarum Rege, Henrico II. multis in præliis peditum Imperator acerrimè dimicavit. (6) Mirandulam, hostilibus diù turmis obsessam strenuè propugnavit. Equitum Ductor, per (7) medias hostium Phalanges, fulmineo ferro, sibi, suisque iter perrupit, maximamque annonæ copiam Senas, in Urbem, densissimâ quamvis obsidione septam, invexit. Mitto non pauca, quæ summæ in aliis, at mediocris in hoc sunt argumenta virtutis. Quòd potissimùm mireris, Lævine, id planè est, difficillimam illam bellicæ austeritatis cum suavitate, regidæque gravitatis cum humanitate societatem, Virum hunc facilè consecutum. (8) Neque enim ferocientem animum ita armis addixit, ut modò Sagum Togæ, modò Togam Sago adjungere prudens nescierit. Vel in-

[2] Henricus Abbas istoria Collaltiana.

(3) Betussius, Epistola ad Comitem Collaltinum de Collalto, in fine operis de Fæminis illustribus, pag. 215.

[4] Zabarella Merovea part. 1. lib. 3. pag. 89.

(5) Idem Auctor ibidem.

[6] Sansovinus, Zabarella, & Henningius in citatis libris, & locis.

(7) Iidem Auctores in laudatis operibus, & locis.

(8) Joseph Betussius, Genealogia delli Dei del Boccaccio, in Nuncupatoria,

Digitized by Google

inter bellorum strepitus otia literarum excoluit: manuque alterâ cum hostes feriret, fovebat alterâ literatos; Nullus, teste Betussio, eruditis viris eo charior Mecænas: munificentior nullus. Hinc libri quamplures à doctissimis, eâ tempestate, Auctoribus celeberrimo ejus Nomini extant in grati animi specimen (1) nuncupati. Hoc Cotta loco: gaudeo, inquit, & ex animo lætor, quòd Collaltinus, & summâ in Sapientissimos viros benevolentiâ, & regiâ liberalitate Mecænati tuo facem prætulerit: At unum est, quod me vehementer angit, Parthenie. Quid istuc? tum Ego. Et ille: ut incedo lætitiis omnibus, cùm Rambaldum tuum contemplor trium, quos hîc postremos laudasti, Familiæ Heroum propiùs attigisse virtutes; ita, & nescio, quo divexor metu, ne, quod boni avertant superi, duorum etiam priorum ærumnas, pericula, atque adversantis Fortunæ sortiatur calamitates. Cui tum Ego: Amo amorem hunc tuum, Cotta: At metum apage sis istum quæso; De tot enim, quorum erit aliud ex alio recensitum Nomen, ac decus, nemo unus fuit deinceps, qui non florens, ac felix Fortunam ipsam obtemperare sibi coegerit. Unine Rambaldo meo vicem pessimam usquam, ut doleam? Averruncassint Superi. Quin potiùs ei obsequentior Fortuna quàm cæteris visa est famulari. Plura in rem hanc depicta graphicè visuntur in tabellis Emblemata; illud verò, quod modò est ad manus, ostendam. Atque hîc eductum è scrinio, explicitumque oculis subjecci. Erat autem in exiguâ Tabella perbenè adumbrata eleganti penicillo Fortuna, stanti insistens Rotæ. quæ, infractis radiis, tres fracta in partes, manebat immota. Blandis illa oculis, apertisque: vultu facili; comâ prolixâ, qnam visâ manu non visus Heros premebat: palmâ utràque suspensum Lemma hoc præferente

Te facimus.

Ex eo Juvenalis excerptum

Sed te
Nos facimus, Fortuna, Deam; Cæloque locamus.

Ut audivit Cotta, ut vidit: O factum egregiè, o dictum optimè! exclamavit. Perpulchrum sanè mentis, & artis opus. Ita enimverò, tùm Ego: at pulchrius, quod ad calcem subest appositum Epigramma. Heus tu, Lævine, cui Dodonæis, lebetibus sonantior vox, age, perlegito. Et ille:

Antonio Rambaldo Collalti Comiti præclarissimo.
Tu Genus Heroum, regali sanguine natus!
Gloria magnanimæ, Spesque, Decusque Domus!

(1) Ludovicus Domenichi in fronte à libri delle Imprese di Cirominore Opera di Senofonte da lui tradotta, & alii plures.

Digitized by Google

Adſpice Fortunam, tua quam, Collalte, capillis
Æternùm vinctam dextera ſola tenet.
Carbaſa nulla; leves procul hinc cum motibus alæ;
Reddita lux oculis, & Rota lubrica ſtat.
Fortunam fecere Deam: Fortuna beatos
Fecit: Fortunam tu facis ipſe tuam.

Papæ! hic ait Cotta. Quàm candidè, quàm argutè, quàm feliciter! Cujuſnam, ni tuâ, Parthenie, promptum de penu, certè non video. Et Ego: Quid, ſi de ipſius Mecænatis optumi nitidiſſimo fluxerit ſtylo? Sed quorſum iſthec? Longè nimium ab inſtituto deflectimus. Pergamus porrò, & triumphalibus lauris innectat ex ordine Minervæ oleas ter inclytus Comes Vinciguerra III. Collaltini I. germanus frater. (1) Vir ſanè ingenio acri, atque alacri, variis excultus egregiè literis: amænioribus tamen addictus impenſiùs: Muſas tantâ animi voluptate domi, foriſque fovit, erexit; ut meritò inter clariſſimos ſui Ævi Poëtas, primas meruerit.

(1) Marcus Antonius Nicolettus, Patriarcate d' Aquilea, pag. 27.

Hunc proximè ſequitur, ut videtis, (2) Sertorius II. Collalti Comes; quem ſingularis in Deum Religio, tenaciſſimus æqui, rectique amor, pacis, benevolentiæ, pietatis, & ſacræ potiſſimùm doctrinæ ſtudium (3) ad Narviſienſem Inſulam tandem evexit. Quod ſanctiſſimum munus obiit tàm exactè, tàm ſplendidè, ut illud adhùc poſitum in dubio ſit; plus ne amplitudinis, & gloriæ à Majoribus ſuis acceperit, (4) an de ſuis præclariſſimis factis, Nepotibus ſuis reliquerit.

(2) Henricus Abbas Hiſt. & Elogia Collaltę Genzis.

(3) Idem Auctor in Arbore Genealogię Franciſcus Patritius in fronte 2. tomi operū Camilli Delminii pag. 5.

(4) Idem Auctor in Nuncupatoriâ Diſſertationis, ſopra l'Idee d'Ermogene di Giulio Camillo, pag. 507.

Atque hæc cum dicerem, adeſt Puer, monetque omnia in promptu eſſe. Cui Ego: opportunè tu quidem venis Fabiole, ut prolixæ admodùm narrationi pauſa detur percommoda. Quare expedi te citò; & Amicis primùm Mexicanam potionem adornato: mihi deindè de fabâ Arabicâ cum aquâ incoctâ liquorem pauxillatim, ſtillatimque in pocillum percolato. Audiſtin'? An, tùm ille, ut tyrunculus doceri ſemper indigeam? Tum Ego, ſilentium didiciſti nunquam trifurcifer: Etiam nùm mutire audeas? Atque ille obſtructo fermè ore, ſtatim paratos, oppletoſque Cyathos hoſpitibus porrexit properè, turgente ſupra labrum ſpumâ. Hic Lævinus; vide inquit, Parthenie, quàm ſcitè Puer adhibuit operam! dignus proindè, cui des veniam, ſi quando magiſtellum ſe faciat. Imò, hìc Ego: ſi curaſſit cætera meliuſculè, non parcam nucibus. Interim Cotta, ambaris fragrantiâ permotus: quid jucundius, inquit Parthenie, quàm ſuaviſſimè odorari, quod indè deguſtes labris ſuaviùs? Ita planè,

Digitized by Google

nè ; tùm ego ; modò non ſiet odor acutus nimiùm , & acer ; quippè qui cerebrum lædit , eorum maximè , quibus amica eſt Minerva , & Muſæ. Hîc Fabiolus : Rumpor , ait , ni verbum loquar. Quid premis ? tùm Ego. Effare propalam , nullus oppedo : Et ille : Vos de odorum ingenio diſputatis ; & totus intereà meæ ſolertiæ fructus , & gloriola in nihilum recidit . Miſerum me ! Oleum , & operam perdidi ; jam enim tanto parta labore ſpuma detumuit. Cui Ego: numquam tu ad rem meliùs: nucibus propterea addam paſtillos. Age nunc , & dum Amici ſorbillant ſua, meum tu mihi ſcyphium porrige.

Atque ut porrexit, adjectis de more quinis abſynthii foliis ſorbere avidè occæpi. Ut me ſorbillantem animadvertit Lævinus . Quid iſtuc, ait, Parthenie ? Ingenium tibi acre adeò , ac peracutum , & palatum torpens adeò , atque ignavum ? Ecquid , quæſo eſt , cur potum , cæteroqui non gratum , & miſces abſynthio , & miſtum lambitas avidiſſimè ; cum nihil ſit amarulentius hac herbâ , quam Græci Apinthion , nempè impotabilem vocitarunt ? Cui Ego : eruditè tu quidem ; ſed audi : Vim Ego amaroris , quàmquimaximè ſentio ; quî enim tantum torpeat palatum Coco ? At amarities hæc , quamquàm aſpera , placet tamen vehementer ; quippè ſtomacho meo imbecilli quadrat perbellè . Corrugat enim , corroboratque ventriculum . Exhauſtis intereà Scyphiis : Satis , inquit , Cotta , & ad volup. pauſavimus . In viam , amabo te , redeamus , Parthenie . Ego , & Lævinus curiosè , quod reliquum eſt , expectamus . Atque hîc tum ipſe : Iſtam vos moram æqui , bonique conſulite : jam enim & citato deinceps gradu curremus , & mente vegetiori . Qui autem ſuperſunt Heroes , mirum oppidò quantum dignitatis , & gloriæ Collaltinæ Genti , illuſtribus factis auxerunt.

Accedimus , ut videtis , ad Rambaldum XII. Collalti Comitem , & Mecænatis mei Abavum præclariſſimum. (1) Vir planè , ſi primæ notæ Auctoribus fides , *optimæ indolis* , & *ſummæ* (2) *virtutis* : *ſolertiſſimæ ſagacitatis* , *atque prudentiæ* : (3) *egregio à naturâ inſtructus ingenio* , (4) *judicii gravitate* , *literarum peritia* : *Singulari erga omnes* (5) *humanitate* ; & *mirâ* , *in gerendis Rebus* , *elegantiâ conſpicuus*. Quid mirum indè , ſi tanta Virtutum ſeges tot in Familiam proventus ampliſſimos , & facultates invexerit ? Hoc Auctore recuperatæ fortunæ,(6) quas Martis ira perdiderat : hoc vindice opes redditæ ,

(1) Erricus Abbas Hiſtoria , & Elogia Collaltæ Gentis.

(2) Idem Auctor in operibus citatis.

(3) Sanſovinus, dell' origine delle caſe illuſtri d'Italia lib. 2. pag. 4.

(4) Henningius , opus Genealogicum par. 2. tom. 2. pag. 1492.

(5) Idem Auctor ibidem.

(6) Hieronymus Priolus Dux Venetiarum Ducales datæ, in Archi. Coll. Com.

amplificatæ ditiones, quas ducentos fermè per annos militaris insolentia vastaverat : hoc tandem Duce, Collaltianæ virtuti, atque existimationi coacta est servire Fortuna, cui primùm ipse imperavit, sibique Sapiens subjecit. Cæsarei peritus Juris, & tenax æqui, rectique, ita Rem suam, ita Publicam administravit, ut utrique rei gerendæ, alios nunquam præfecerit Proprætores, (1) nisi Jurisperitorum Eloquentissimos, & Eloquentium Jurisperitissimos. Illud proindè domesticis in Commentariis Encomion (2) jure quidem optimo promeruit sibi: *Rambaldus XII. cùm in regendis populis, tùm in amplificandis fortunis, nemini suæ Stirpis secundus*. At flocci fermè hæc facienda, nisi quæ una cumulum facit, accessisset longè præstantissima, & singularis in Deum Pietas, & Religio : cujus monumentum immortale præ cæteris, illud reliquit ; quod strictioris, ut ajunt observantiæ Carmelitis, in Radii Castro (3) Basilicam, & Cænobium posuit, ditavit, excoluit. At non sine magno id fœnore factum putaverim : Mirandam enim Antonii Capivaccei, (4) Equitis potentissimi filiam duxit uxorem ; quæ in Collaltinam Domum maximas (5) opes, ingentesque divitias importavit cum dote.

Intereà loci Lævinus, ore, atque oculis in Numisma sequens directis, quasi alienatus à sensu, vacuus perstabat ; Cùm ego, discussâ togâ, heus tu, inquam, Lævine : quis isthic stupor ! Quandiù te nobis nova isthæc species furabitur ? Et ille : parcite, inquit ; dum enim binos unâ, (quod in hac Principum serie insolens mihi) demirabar Heroas : hærebam, an unum aliquod veterum Imperatorum numisma foret casu hîc intermixtum ; usque adeò Imperatoribus Leoni, & Constantino vultus persimiles, ut ovum ovo haud similius dixerim. Atque hîc ego : Aliqua ex parte excusatum te velim, quod non facilè admodùm secerni contingat nominum literas, hinc Oleæ, indè lauri foliis inscriptas. Adverte, quæso, accuratiùs. Cùm verò moram adhuc Lævinus vestigando innecteret ; impatiens Cotta : Ecce tibi, ait, Parthenic Heroum Nomina : Scipio I. & Octavianus I. Germani fratres, Collalti Comites. Cui subiratus : ò Delphicum, Lævinus inquit, Oraculum ! Operosam sanè adornasti provinciam ; scilicet uncialibus in membranâ literis expressa nomina cursim oppidò recitasti. Parthenie strenam illi porrigito. Solutissimum, hoc loco, Cotta risum ridere ; tùm jocari invicem, & cum amico peramicè colludere ; Cum isthæc, inquam ego, ridicularia mittite, & redeamus ad rem. Idque in primis notandum, quàm scitè Oleis laurisque fuerint

[1] Henricus Abbas Historia Collaltiana.

[2] Anonymus, Elogia veterum Comitum Collalti.

[3] Gualdus scena degl'huomini illustri lettera R. Sansovinus Henningn. in sit. lib. & loc.

(4) Bernardinus Scardonius de antiquit. Urbis Patavii li 3. class. 13. pag. 313.

(5) Zabarella Meroveæ lib. 3. part. 2. pag. 95.

Digitized by Google

rint eorum inserta Nomina, ut scilicet alter pacis, alter belli artibus præstantissimus ostenderetur. Scipio (1) quippè, utut acri, ac perpolito insignis ingenio, suavissimis tamen imbutus moribus, magnanimus, liberalis, eoque virtutum habitu ad benevolentiam (2) factus, ut vel efferatos ad sui amorem raperet non invitos. (3) Eleonoram Gonzagam, Joannis Petri, Comitis Novellariæ filiam, Conjugem Heros Heroidem habuit; quam, etsi natura, Fortuna, indoles maximam fecerant; parem tamen virtus perfecit. Hinc porrò suscepti liberi, paternâ in Domo, ut in virtutum omnium lyceo, eruditi Sanctissimis institutis, domestica ab optimis Parentibus quæ vitæ, morumque intuerentur exempla, habuere semper amplissima. Pauca jam de Octaviano (4) innuamus, quem ex magnorum Principum Aulâ egressum, primò fortissimum Veneta Respublica militem; mox peditum, Equitumque levis armaturæ strenuum Tribunum, Cataphractorum denique Ducem probavit Eximium. Matrona huic ornatissima nupsit Julia Leonia de vetustissimâ Sanguineti Comitum Gente.

Hîc verò, tàm insigne facinus, ac memorandum memoriæ occurrit. ut Auctorum nomina turpe sit percontari. Anno à Virginis partu MDLXX. cum Selymus, Othomanici Imperii Tyrannus, paratâ in Cyprum formidabili Classe, supremum Insulæ machinaretur exitium; statim, & Christianæ Reipublicæ, & aviti sanguinis gloriâ incitati Collaltini Comites (5) Antonius III. Maximilianus I. & Alphosus I. habito militum delectù, suo ipsi ductu, suo Ære (6) collectis copiis, instructis navibus transmiserunt in Greciam: Et quò majori in perfidos Hostes vi, atque impetu irruerent, (7) Hieronymo Zannio, Venetæ classis Imperatori affines virtute magis, quàm sanguine adhæsere. Eâ in expeditione mirùm oppidò, quantâ animi strenuitate in barbaras phalanges irruperint! Mirum, quot per hostium cadavera, passim manu prostrata, ad immortalitatem cruentum sibi patefecerint iter! (8) In difficillima ubique discrimina nunquam non se immittentes: in confertissimos hostes nusquam non incurrentes: pro Aris, Templisque acerrimè, diùque securi capitis, dimicantes; (9) tandem Fratrum duo, multitudine obruti, non superati virtute districtis ensibus cecidere. Horum triumphale funus non lacrimis modò, sed literis, & Veneti Patres, & omnis ordo amplissimè sunt prosecuti: loquuntur sparsim Historiæ: loquuntur Tumuli, & nulla unquam conticescet Posteritas. Unus è pu-

(1) Nicolaus Maurus storia di Treviso lib. 2. pag. 32.

(2) Idem Auctor ibidem.

(3) Anonymus Theatro genealogico delle Famiglie Venete Patritiæ, tom. 1. nell'Albero Collalto.

(4) Franciscus Donatus Dux Venetiarum Ducalis in Archivio Collalti.

(5) Franciscus Venetio Dux Venetiarum Ducalis in Archivio Collalti.

(6) Henricus Abbas Historia Collaltiana.

(7) Joan. Bonifacius storia Trivigiana lib. 12. pag. 704. & 705.

(8) Joan. Petrus Contareno Guerra del Regno di Cipri, cujus relatio habetur nella storia dell'origine, & imperio de Turchi del Sansovino, pag. 460.

(9) Henricus Abbas Bullarium Collaltianum.

(10) Joannes Bonifacius Storia Trivigiana lib. 12. pag. 715. Zabarella in opere citato, pag. 114.

Digitized by Google

pugna, decoro sordidus pulvere, in Patriam remigravit Alphonsus. Hic porrò Olympiam (1) Ferreriam, Bessi Masserani Marchionis, & Camillæ Sfortiæ, Pauli III. P. M. neptis filiam duxit Uxorem; Egregiâ formâ non absimilem Matri, nobiliore tamen virtute, Viro similimam.

(1) Joan. Petrus de Crescentiis, corona della nobiltà d'Italia, part. 2. narrazione 22. cap. 6. pag. 711.

Pausavi ad hæc parumper; cùm, O' clarissimum Collaltinæ Familiæ Triumviratum! Exclamavit Lævinus. Equidem dum hoc narrabas, Parthenie, tres *illi* Horatii Romani fratres fortissimi contra Albanos pugnantes obversabantur ob oculos; eodemque prorsus animo, consilio, ac fortitudine præditi videbantur: hoc unum dispar; quòd Romani in tres hostes; Collaltini in omnes hostium Cuneos constanter invaserint. Cui Ego. Eruditè, & sapienter tu quidem: laudo, Lævine, aciem ingenii tui. Quid tu interim Cotta? Et ille: dum Fratres geminos Pyrrhum L. & Fulvium I. Collalti Comites in hac Serie descriptos ex ordine contemplabar: tribus Horatiis Scipiones duos opponere in mentem venit, duo fulmina belli: Numnàm collineavi Parthenie? Hic Ego: Euge, inquam, Cotta: Id, quod res est, putasti; ambo enim Viri in Martis palæstrâ adeò versati, ut Scipionum gloriam non æquarint modò, sed vicerint: ambo Austriacæ Domus felicitati, acerrimè decertando, caput suum devovere, (2) Pyrrhus quippè Rodulphi II. Cæsaris pocillator ab Ephæbis: (3) Bellicæ virtutis ab adolescentiâ contra Othomanicum Exercitum in Pannoniâ iterum, ac sæpiùs periculum fecit. Nihil in eo mediocre, omnia excelsi, & constantis animi magnitudinem explicabant. In hostium aciem plerumque irrupit primus; rediit semper postremus: alacritèr discrimen subiit, quod magnum erat; alacriùs, quod maximum. Inclinatas phalanges sæpè restituit solus: solus fugientes cohibuit: prælium voce, manu, consilio, cum anceps potissimùm, unus ipse firmavit primùm, tùm secundo Marte unus ipse confecit. (4) In illa demum funestâ alternantis Fortunæ vicissitudine; undè, anno MDXCVI. felicissimus Germanis victoriæ cursus est interceptus, ultimo in discrimine, propè Agriam morti devotus, dignus immortalitate decessit. Incredibile dictu, quantum doloris attulerit Maximiliano Austriæ Archiduci, cæterisque Summis Principibus acerbissimæ mortis ferale nuncium; Uxori præsertim (5) Fulviæ de Rubeis ex florentissima Sancti Secundi Comitum Gente, quam inter Hispaniæ primi ordinis optimates, Fasti recensent. Et sanè nulli flebilior occidit, quàm

(2) Antonius Rambaldus Collalti Comes, Raccolta di varie notitie politiche tom. 1.

(3) Henricus Abbas Istoria Collaltiana.

(4) Joannes Sagredo, memorie istoriche de' Monarchi Ottomani Edit. 4. lib. 9. pagina 513. Otto Spongit, storia delle Attioni de' Rè d' Ongheria, pag. 95.

(5) Albertus Draghi oratione funebre per la morte di Collaltino Conte di Collalto Brixiæ edita Typis comini Presegnii anno 1603.

Ful-

Digitized by Google

Fulviæ Pyrrhus, quos & amor, & virtus; & animorum indoles eadem arctiùs, quàm vinculum maritale conjunxerat. (1) Fulvius verò, adolescentiæ primordia ab Egregio aliquo facto auspicaturus, in Belgium illicò contendit, cui summo cum imperio præerat Alexander Farnesius, Philippi II. Hispaniarum Regis Copiarum Imperator. Ibi, armis optimus, animi fortitudine, prudentiâque par Fratri, parem sibi adeptus nominis gloriam, (2) pari fato occubuit. Eum quippè, jam plurimis onustum palmis, alia omnia curantem, perduellis hostium manus ex insidiis oppressit; at non inultum: stricto enim ferro, quoad potuit, vel saucius sustinuit impetum, multitudine tandem obrutus, cruentatam Hosti victoriam, & luctuosam reliquit. Tàm præclaræ morti hostiles etiam lacrimæ pretium fecere; interque funebres pompas visum est efferri, ipsorum (3) quoque manibus perduellium Cadaver, ne fortissimo Adolescenti debitus tumuli honor deesset.

(1) Joannes Bonifacius Istoria Trivigiana, lib. 12. pag. 724.

(2) Idem Auctor ibidem pag. 721.

(3) Idem ibidem.

Vix hæc: cum Fabiolus Musæum ingressus nunciat, foris esse, qui ostium pulsat. Cui Ego: unde, & à quo missus, rogastin'? Et ille: priusquam de fenestrâ rogarem, aperuit ipse: se nimirum Puteolis hùc cursitantem veniisse; habereque in operta cistulâ, quod Poetæ tradat ab suo Hero munusculum. Et ego: benè est, i, fores reclude. Quinimò, ait Cotta, advola; Puerumque hùc ad nos statim adducito. Ut autem abiit: quid tibi, Lævinus inquit, Parthenie, de doni genere præsagit animus? Si nossem, tum Ego, Auctorem: divinarem profectò; at quodcumque illud siet, opportunum venit; & si fortè aut mulli recentes, aut soleæ, etiam ad vota. Tu interim quid conjicis? Selectissima, inquit, & quæ id temporis admodùm rara, cum corniculatis vvis, puteolana pyra volema, & regia. Et ego, tum Cotta: utinam, me augur non fallat animus, sportulam reor pinguissimis partim Turdis, rusticulis partim Perdicibus benè confertam: Cui Ego: an non etiam præsentiscit animus sapidissimos Phœnicopteros, Romanorum delicias? Vix hæc; cum Puer Musæum ingressus, meque respectans: Herus meus, inquit, Lælius Fortunius, te, Musarum amor, & cura, salvere jubet in primis; Et quoniam ad te scribere per tempus non licuit, me tabellarium unâ, & Epistolium misit hùc properè. Hæc porrò Epistolæ summa. *Parthenio Vatum Maximo, Fortunius tenue munusculum.* Hæc ut accepi, audistin' inquam Fabiole, quàm expeditè, quàm bellè heri sui mandata persolvit Puer? Quid tu ad

hæc

hæc ſtipes merus? Et ille: extricabo me ocyùs: roga hunc modò, num Poeta, num cocus, num bonus piſtor ſit etiam, ut eſſe me tute ſcis? Hic Ego: abſtine pluribus πολύπραγμων teque in culinam confer citiſſimè, & puero obſonii aliquid ad merendam apponito; ad eumdemque converſus: Ciſtellam, inquam, locato hanc ſuper menſulam; ubi è culinâ redieris, paratam cum ciſtâ tibi ſtrenam habeto; perge jam ſis. Poſtibi, dum curaſſis omnia, hùc te volo, Fabiole. Et Puer: jam jam adero.

Mox verò, ut in Culinam famuli divertere; Lævinus ciſtulam lauro, myrtoque coopertam intuens: benè habet: inquit, Parthenie: Divinavi certè; moræque impatiens, folia utrâque continenter manu detraxit. Ubi autem tetigit, deprehenditque palpitantem adhùc, ſuiſque in ſpiris obvolutam Murænam: Superi: exclamavit penè lymphaticus: proh Superi veſtram opem! Cui ſtatim Ego: Quid iſtuc Lævine? Quid? tum ille: Sine pauxillùm, quæſo te, ut reſpirem. Atque hîc ignarus rei Cotta etiam expalluerat de metu. At Ego ratus quid eſſet; effare, inquam Levine: Et ille: Bone Deus! Ingens fluitat in Qualo ſerpens. Excuſſit hæc mihi riſum falſa perſuaſio. Verum ut inanem metum depellerem, ſurrexi illicò de Sellâ; atque ades hùc, inquam, Cotta, teſtem te volo. Vide ſis peramici Equitis munus, Murænam, baſilicâ cœna digniſſimam? prehenſamque manu utrâque, ne dilaberetur, de Qualo extuli. Ut vidit Cotta: accede, inquit, Lævine, ne dubita; miram oppidò Murænam cernes, ut minimùm Septilibrem; nec fluviatilem, ſed oblongo, quale eſt Anſeris, roſtro obarmatam. Ut ingens, ait, ut pulchra, ut Druſi Vivario, & Antoniæ inauribus digna! Atat, tùm ſtatim Lævinus; motatur adhuc, & ſpirat. Ità ſanè ait Cotta: ſed quid tum poſtea? Et ille: docuit me vel à Murænis, dum vivunt, cavere Parthenius: probè ſiquidem memini, quod ipſe cecinit Halieut II-

Nec te multa puer teneat fiducia, lætas
Viſcere Murænas dum perſcrutaris opimo:
Maxima namque illis audacia. Sæpè cruentis
Piſcantes furioſa petit, cæditque ſagittis:
Æque rati trahit in fluctus, mergitque profundo:

Magna quidem, ſed magna feram facit ira potentem.

Ut recitavit; habeo, inquam, tibi gratiam Lævine, quod tanti facias rem meam. Verum, pace tuâ dixerim, indocilis, qui te adeò perculit metus genuinam, in qua ipſe fui, ſententiam aliò detorſit. Eo quippe in loco, de

Pi-

Piſcantibus ſermo eſt, quibus dum præpingues in mari perſcrutantur Murænas, cavendum certè ne vulnerentur, neve mergantur. Atverò ubi captæ, ubi contuſum illis perbenè eſt ſaxo caput; quæ ultrà vis, quæ ſupereſt uſquam audacia? Adeon' occupavit mentem formido, ut adhuc non videas, ſaltare te extra chorum? Acceſſerat intereà loci Fabiolus, cui reponendam in lebete Murænam tradidi, juſſique illicò tepenti aquâ obruendam, ut innataret. Dictò citiùs in culinam ille advolavit, perfecit juſſa, rediitque cum Puero; cui, ubi ciſtulam, & argenteum dedi: Adverte ſis, monui, ut qui pro Hero tàm benè, idem ipſe, & pro me, cùm redieris, tabellarius ſis pariter, & tabella; ſiquidem pro eo, quod eſt ad manus negocio ſcribere, ut vellem, non vacat. Hoc interim memoriâ tene Heri tui Epiſtolio reſponſum.

Fortunio Equitum humaniſſimo
Parthenius
De amico munere gratias humaniores,

Ut pedem extulit Puer; Quod inſtat, inquam, agamus: nam longè ab inſtituto defleximus, & longa adhùc reſtat via. Eja igitur Lævine, poſito tandem metu, quòd tui eſt muneris, perfice. Quo ſumus loco? Quem ſignat in Numiſmatis Heroem ex ordine Collaltina Series? Hærebat interim ille; nec quò ventum eſſet, oculis occurrebat. Hîc moræ pertæſus Cotta: non dum, inquit, vacuus à metu es formidoloſus homo: tuâ ipſe dicam vice. Succedit Antonius IV. Comes de Collalto. Ità enim verò, ſtatim Lævinus: Ecce tibi effigiem Parthenie: neque enim me timor, ſed longior ſolito intercapedo diſtraxit. Benè eſt, tum Ego: Sed jam nugæ faceſſant; eò quippè devenimus, ut immorari diutiùs ſine injuriâ non liceat - Nihil patitur ſibi detrahi temporis immenſa virtutum ſeges, & laudum copia, quam ſolito pleniorem exhibet Comes hic, optimi Mecænatis mei Proavus præclariſſimus, de quo vel paucâ delibaſſe pluſquàm ſatis erit ad gloriam.

A' primo pubertatis flore Maximiliani, Auſtriæ Archiducis nobilis Cubicularius, eximiâ morum (1) ſuavitate, oris elegantiâ ſimul, & majeſtate, linguæ facundiâ, mentis eruditione cæteros præſtitit. Belli Paciſque artibus ubique conſpicuus: (2) quantum pro Patriâ, quantum pro libertate Reipublicæ inſudaverit, Eques primùm, ac pugil; mox Cataphractorum Ductor, poſtremò Veneti exercitus Imperator adlectus, teſtatur Adriacum mare, teſtatur Urbis Reginæ (3) plauſus; teſtatur denique (4) Senatus univerſi in eo celebrando conſenſus. Profectò non poterat feliciùs, aut Imperii majeſtas, aut Patriæ di-

(1) Joannes Tarcius epiſtola nuncupatoria.

(2) Joannes Bonifacius Hiſtoria Triviſ. pag. 727.

(3) Paſchalis Ciconia Dux Venetiarum diploma datum 7. Julii 1589. Comes Baptiſta Guarin lettere, p. 213. aliiq.

(4) Marinus Grimanus Dux Venetiarum, Ducalis data 17. Mart. 1598. aliiqq innumeræ Venetorũ Principum volumine integro collectæ.

gnitas, aut Collatinæ Familiæ amplitudo sustineri, promoveri atque exornari: quare jure optimo de hoc Duce memoriæ proditum. (1)

[1] Cornelius Amaltheus loc. mox citando.

Quo nec consilio quisquam, nec clarior armis.

Sed vincit hæc omnia Pietas, Munificentia, Religio, quarum permulta, atque explorata reliquit Heros vestigia. Unum, in quo cuncta elucent, persequar paucis. (2) Templum scilicet Sanctæ Cruci splendidè exstructum, expolitumque, ubi Eucharisticum Ferculum, singulari admodùm privilegio, ac cultu, asservandum curavit. Hanc porrò liberalitatis constantiam ingeniosè innuit in altera hac numismatis fronte, ut videtis, extensis alis, atque irretortis ad solem oculis Aquila, suspensum unguibus ostentans lemma

(2) Henricus Abbas Hist. Collat.

Pennas non Animum.

Scitè quidem hoc loco Cotta; neque poterat aptiùs, ut reor, Viri constantis animus exhiberi. Siquidem quotquot sunt aves, Gruem si excipias, pennas per ætatem immutant; inditam verò à naturâ indolem retinent semper. Cui ego: Eruditè tu quidem Cotta; at congruentiùs certè Lemma explicasses, si oculos ad schæma applicuisses attentiùs. Vide sis, Reginam avem, libratis in aëre alis, immotam adeò oculorum aciem figere in solem, ut pennas potiùs, quàm animum suo abesse officio necesse sit: quasi dicat, Vires, plumæque quibus sustineor deficere me profectò poterunt; firma tamen acies deficiet nunquam. Quàm bellè, quàm appositè ad rem subjectam! Pennæ ad fortunas, & opes: immota acies ad constantissimum beneficentiæ animum referri possunt. Ut peracutè, inquit Lævinus, ut dilucidè expositum Schæma est! Unum tamen addam de meo. Solem nimirùm, in quem acriter Aquila intuetur, perennem, divinæ beneficentiæ fontem adumbrare non abs re opinor. Cui, inquam Ego: Euge Lævine, lubens assentior. Sed pergamus porrò. Vir iste munificentiâ insignis tres Filios ex Juliâ de Taurellis, spectatissimæ nobilitatis Conjuge, suscepit; Maximilianum II. Rambaldum XIII. Vinciguerram IV. totidem ex alterâ Uxore, Helisabethâ de Malvitiâ Stirpe, Bononiæ apprimè illustri, Maximilianum III. Ferdinandum I. Petrum Rolandum II. Quos inter postremos Ferdinandus, adhuc à teneris veteranus miles, in Germanico bello pugnans acerrimè pro Austriaco nomine se se devovit. At primi germani Fratres à primævo ætatis flore adeò uberem gloriæ segetem retulerunt, ut jure meritò rudimenta ipsa virtutum præcinuerit non ignobilis Vates. (3)

[3] Cornelius Amaltheus, liber inscript. Trium Fratr. pag. 164.

Vos

Digitized by Google

Vos Genus Heroum, Vos Alto è Colle Propago,
Magnanimi Fratres, quos cœlo vivida Virtus
Evehit à teneris, nec adhùc pubentibus annis, &c.

Et sane uno Rambaldo prætermisso, de quo infrà, ut Seriei ordo postulat, plenior redibit sermo: aliqua hìc de Maximiliano, & Vinciguerrâ cursim attingam. Ambo (1) Patavii literis non vulgaritèr instructi, amœnioribus disciplinis Severiores inservere. Ille, emenso studiorum stadio, Belgium (2) contendit; ubi, tamquam in apertâ Martis palæstrâ eruditus ad pugnam, per vulnera, per victorias, per mille mortis discrimina triumphator egregius à Venetâ (3) Republicâ militum legione donatus primùm; tum in gravissimis bellorum periculis Brixiæ præfectus est; mox demum in ipso adolescentiæ flore, magno quidem & Patriæ, & Familiæ cum detrimento, & luctu, acerbo nimiùm fato præreptus. Hic porrò Vinciguerra ille fortissimus Hierosolymitano Ordini adscriptus Eques, quid Collaltina virtus, quid indoles generosa, quid valerent manus, & re, & Nomine comprobavit, in publicis Annalibus *Turcarum Terror, ac Fidei Propugnaculum jure quidem optimo nuncupatus*. Hæc ubi dixeram, statim ad me Lævinus: Hic ne, inquit, Polenices ille, qui clypeo, & ense munitus, summoque antennæ vertice innixus, tùm suo consilio, ac nutu in turcicum Gaulum demissus, hostibus improvisus in Turrim mediam, miles idem, idem Dux, & Exercitus, quale fulgur insiliit? Cui Ego: Ipsus ipsissimus. Et ille: Quantum in eo consilii, quantum virtutis, ac roboris, Deus immortalis! Post hominum memoriam factum illustrius me legisse memini nullum. Gaudeo in sinu; quod (4) Naumachiæ III. illud tu, egregiè, ut soles, ob oculos posueris: teneoque versiculos, qui arrident adeò, ut nequeam mihi temperare, quin recitem.

Fortè inter primos Equitum, qui puppe sub altâ
Prætorem circumstabant, corpusque tegebant
Objectis contra palmis, pulchèrrimus ore
Unus erat, primoque insignis flore juventæ.
Tunc etenim teneræ prima lanugine malæ
Cæptabant rarâ florescere, vivida mentis
Virtus, & validum formoso in corpore robur,
Crescere & audaces animi: summum genus olli
E' Collaltiadum deductum Stirpe vetustâ,
Grandibus & titulis Majorum, ostroque superbum.
Magnanimus Puer, & tot Avorum Sanguine dignus,
Et patriâ dignus fortunâ: auctusque & ipse

(1) Joannes Baptista Arrigonus. Miscugli di Rime, pag. 19. & 111.

(2) Matinus Grimanus Ducalis data 5. Aug. ann. 1600. in Archiv. Col l. Comitum.

(3) Idem Dux Venetiarum ibid.

(4) Parthenius laudato lib. pag. 17.

Familiæ decus egregium, laudesque Parentum;
Inque novos titulos, magnumque in Nomen iturus.
Nam propter palmas Thracum de gente relatas
Sæpiùs, insignique actos cum laude triumphos,
Turcarum Terror Polenices nomine dictus.
Hic ubi cum dubio certari Marte videret,
Versarique suos Fati discrimine certo,
It cætum in medium confidentissimus, atque hoc
Aggreditur sermone Ducem : liceat mihi, quæso
Inclyte Dux, tanti in partem certaminis ire,
Laudis & optatæ in partem, partemque triumphi.
Inventum Fortuna novum mihi suggerit, & mens
Ipsa mihi mea, si tantis modò Juppiter ausis
Atque novis Meliten palmis, clarisque triumphis
Ornabo : in me non virtus spectetur ab annis.
Quamquam etiam interdum teneris stat magna sub annis

Et post pauca, ad facti narrationem, sic pressiùs.

Ille sed antennæ demisso è vertice, turrim
Inque hostes saltat medios, ferrumque coruscum
Hàc, illàc rotat imperterritus; aëre ab alto
Qualis ubi in prædam præceps delabitur Ales
Sacra Jovi, timidasque fero petit ungue columbas.
Continuò tantis perculsi audacibus ausis
Hærent attoniti, nec se defendere Thraces,
Nec statione queunt insistere; Victor at ille
Demittit scalas, sociosque ascendere in altum
Hortatur; mora nulla, citi super alta carinæ
Ascendunt socii tabulata, hostesque trucidant.
Et tandem læti captâ dominantur in arce.
Unius, & tantam peperit fiducia palmam.

Quibus recitatis, habeo tibi gratias Lævine, inquit Cotta, quòd illorum mihi memoriam excitasti, quibus mirificè capior; totoque pectore lætor, quòd eximio Heroi eximius Poeta contigerit. Cui ego; Facis id tu Cotta pro tuâ in me benevolentiâ : Cæterum quàm exucci sint, & malè tornati, satis teneo. Quid enim & malè firmus, & exuccus valeat senex? At, ut video, è curru excidimus; redeamus, quæso, in viam; & quod tui muneris est, actutum expedi. Et ille : si exporrectæ, inquit, Membranæ fides, succedit Collalti Comes Jacobus II. Ità planè, tùm ego : Vir profectò ter inclytus, eodem virtutis, quo ætatis gradu, & suam, & majorum gloriam auxit cumulatissimè. Vix ab Ephæbis, Ferdinando I. (1) & Maximiliano II. Imperatoribus nobilis cubicularius, & apprimè charus : vix à plenâ pubertate, (2) Philippo II. Hispaniarum Regi militarem navavit operam; strenuitate, an prudentiâ præstantior, ambiguum.

[1] Joannes Bonifacius in nuncupatoriâ Historiæ Tervisinæ.

(2) Idem Auctor ibidem, & Joannes Turrius la Barriera, in nuncupatoriâ.

Digitized by Google

guum. (1) Ab Alexandro Farnesio in Belgio exercitus Imparatore Chiliarcha tribus militum millibus, aucto numero (2), præfectus fuit; quibus copiis fortissimus Adolescens Arces (3) evertit, urbesque: sæpè numero adversas delevit acies; & ad triumphi cumulum, (4) Duces, atque hostium principes viri capti accessere. A provectâ demum ætate, bellicâ virtute præstantissimus, per Ducem Maynium, sacri Fœderis legionibus præfectum, duplicato sub ejus signis priori militum (5) numero, ad bellum contra perduelles Dux accersitus, mirum quantum (6) Hispanam rem Comes, auctis copiis, pugnando auxit! Mirum, quot Proavorum laureis, quot capiti suo palmas inseruit! At mirum magis; quòd Galliarum Reges (7) aureùm quinquies centena millia ex asse, Jacobi hæredibus, residui stipendii nomine, soluturos polliciti jampridem sunt; idque firmatum publicis tabulis voluere. Patriæ restitutus, otii tranquillitate vix delibatâ, ad graviora obeunda negotia statim adscisçitur. Veneta enim Respublica, fortissimi Viri celebritate permota, Rei terrestris summam ipsi omnem concredidit. Quamobrem adornatâ confestim classe; marique velis, remisque transmisso, (8) Illyricos propugnavit: Jonias, Ægæasque Insulas à communi hoste feliciter vindicavit: tot demùm rebus præclarè gestis, exultantis Patriæ plausibus, ac triumphis redux exceptus. Mox, ut piæ etiam Religionis cultu se Collaltinum probaret, Divo Philippo Nerio, (9) quod à fundamentis extruxit magnificè, Templum dicavit. Ejus uxor ex Dynastis Carpii, & Saxuli, Sacri Romani Imperii Principibus (10) Lucretia Pia de Sabaudiâ, eleganti formâ, eximiâ pietate, morumque integritate insignis.

Cum hæc memorarem, parato ad manus Numismate, expectabat Lævinus, ut subsequentis Herois nomen rogarem. At, tum ego: te prævertam, Lævine. Succedit Rambaldus XIII. Collalti Comes, cognomento Magnus; cujus res gestas per otium licuit, nudius octavus, paucis complecti; in eâque, quam intra Ludovici Morerii Codicem habes papyrum, exaratas volui. Tu interim, Cotta, eductam è vicino Codice chartulam, clarâ voce perlegito. Et ille, schedulâ statim dimotâ, legere occæpit.

Rambaldus XIII. Collalti Comes, cognomento *Magnus*, & Antonii Rambaldi, Mecænatis mei Patruus ter optimus; Animi magnitudine, gravitate consilii, militaris potissimùm disciplinæ peritiâ ad prodigium conspicuus, meritò cùm exteris, tùm domesticis, vel primæ notæ maximis Imperatoribus præferendus. A teneris, per omnes Aulæ, militiæque gradus ad amplissimas dignitates evectus,

[1] Joannes Bonifacius loco cit.

[2] Idem Auctor ibidem.

(3) Idem ibidem.

(4) Idem ibidem.

(5) Idem loc. cit.

(6) Catharinus Davila storia delle Guerre Civili di Francia libr. 10. 11. 12. 13. 14. e 15. Cardinal Bentivolus, della Guerra di Fiandra part. 2. lib. 5. pag. 126.

[7] Petrus Matheius, storia delle Guerre intestine di Francia, tradotta dalla favella francese all'Italiana, da Geronimo Camini, lib. 7. pag. 568.

(8) Ludovicus Alcardus, il Corsaro Arimante in nuncupatoriâ.

(9) Henric. Abbas Histor. Collalt.

(10) Sansovinus pag. 4. Heuningius pag. 1491. Zabarella pag. 114.

Digitized by Google

ctus, universa honorum præmia, uberrimasque trium Cæsarum remunerationes exhauxit. Tanta gloriæ majestas Europam omnem magis famâ, ac triumphis, quàm itineribus peragratam, in sui admirationem pertraxit; idque diù in ancipiti positum, plus ne splendoris à suâ stirpe acceperit, an in ipsam refuderit ex suo. Vix quinto, & decimo (1) exacto pubertatis anno, Italiæ vale dicto, in Pannoniam, ubi acerbissimum urgebat bellum, concessit: Socialibus immistus Armis, vel suæ ignotus factioni, in hostiles acies sæpè numero irrumpens, infracti roboris, & bellicæ supra ætatem virtutis, fecit periculum. (2) A Georgio Basta, supremo Exercitus Duce, aliisque militum Tribunis in ipso notatus pugnandi ardore, ac deprehensus inter arma Rambaldus, iis fuit exceptus honoribus (3) novitius miles, quos Duces veterani vix obtinent. Quid? quod Cæsares, (4) Rodulphus II. nobilem Cubicularium, eundemque à bellicis Consiliis (5) Matthias I. Aureæ Clavis Equitem, & à Secretis, & Ablegatum, primò ad Paulum V. P. M. (6) tùm ad Hispaniarum Regem Philippum IV. (7) qui virtutis æquissimus æstimator Equestri Aurei Velleris Ordine voluit insignitum: Ferdinandus II. (8) Consiliarium intimum, (9) Politicum, Militarem, Aulici ministerii Præfectum: In Pannonicis, Comitiis Cæsareæ, atque Austriacæ Rei Curatorem Supremum: Equitum, Peditumque Tribunum, Marescallum, ut ajunt: (10) Omnium insuper Cæsaris Exercituum Principem Ducem, summumque Præsidem Belli, & Imperialem ampliſſimo jure Vicarium meritò renunciarunt. Tot, tantisque in uno Rambaldo collectis Dignitatis, & gloriæ Titulis, Rambaldus unus non impar, mirum oppidò, quantum laboris, atque incommodi sustinuit; quantum manu præstitit, & consilio, ut nutantem (11) Imperii majestatem firmaret! Bohemiæ, & Hungariæ Regna, quà ingenii dexteritate, quà fausto præliorum exitu acerrimè propugnavit; fidemque ibidem orthodoxam, Assertor egregius à pestiferâ hæreseos labe, quàm qui maximè communivit: (12) Irruentes Turcarum, ac Perduellium phalanges clarissimis victoriis fregit: Arces, oppida, munitiones vel ab obsidionibus vindicavit; vel suo imperio subjecit. Hæc tàm multa licet, & summa, lubens prætercam; unum tamen illud ad singularis gloriæ compendium, memoriâque dignum sempiternâ, non præteribo: ut enim Caroli Nivernii Ducis, qui Mantuanas ditiones audaciter invaserat, arrogantiam armis coerceret; Mantuæ (13) Urbem à Situ, à Naturâ, ab

(1) Urbanus à Pollitio Capucia in orat. funebri habitâ Viennæ 1632

(2) Cirus Spontonus storia della Transilvania, lib. 11. pag. 279.

(3) Franciscus Christophorus khevenhiller, Annales Ferdinandi, ubi vita Rambaldi XIII. Collat. Com.

(4) Cirus Spontonus, storia della Transilvania, pa. 279.

(5) khevenhiller, loc. cit.

(6) Justus Fontaninus, il Dominio della Sedia Apostolica sopra la Città di Comachio, pag. 31.

(7) Jo. Bapt. Mauritius, le Blason des Armoiries, pag 400.

(8) Zabarella, par. 1. lib. 3. pag. 191.

(9) Laurentius Crassus Elogi de' Capitani illustri, pag. 83.

(10) Diatheca Rambaldi XIII. Joseph Riccius Cl. Reg. Congr. Som. pag. 260.

(11) khevenhiller, Crassus, Leopoldus Guarientus. Adolphus Brachelius Historia Universalis, pag. 9. Joan. Riscellius Soc. Jesu, medullæ Historicæ septennium 3. pag. 630. 631. & 641. Crassus Elogi, pag. 83.

(12) Alexander Noris lib. 2. pag. 55. & 93. lib. 3. pag. 129. e 130. lib. 4. pag. 168. 178 e 196.

(13) Pappus Constantiæ Cathedralis Decanus Epitome Rerum Germanicarum, pag. 84.

Digitized by Google

ab Arte inexpugnabilem densâ militum coronâ interclusit, & quamquàm non multò post eò gravior, quò improvisior pestilentia Exercitum afflictasset, Rambaldus tamen non modò animis non excidit, verum etiam propiùs Arcem adortus est, ac molestiùs concussit. Bellico tandem astu, ac stratagemate pleno consilii, inductis per silentium copiis, oppressit illicò, & suorum admiratione militum, ipsorumque hostium stupore, demum subegit. Dignus proindè, quem suo hoc Ferdinandus Encomio (1) cohonestarit: *Romanii Imperii Dignitatem, ac Salutem, Germaniæ à Bellorum incendiis pacatæ tranquillitatem, aliorumque Austriacæ Gentis Regnorum incolumitatem Rambaldo deberi*. Quid ultrà mirum, si tanti nominis Princeps in omnibus Bohemiæ, (2) Provinciarumque finitimarum Conventibus à Principibus Primas obtinuit, eandem in Posteros dignitatem, hæreditario veluti jure transmisit? Si Familiam suam nedum splendidissimo honorum, & gloriæ censu, sed & novâ, & maximâ facultatum accessione: egregiæque Pietatis documentis clarissimis illustratam, ad gradus summos extra omnem Fortunæ ictum evexit? Cui enim, nisi uni Rambaldo referantur acceptæ in Moraviæ Provinciâ Pirnitzii, ac Teuto-Rudolertzii, ut vocant, amplissimæ Dynastiæ (3) cum Regionibus longè, latèque diffusis; quas ipse ad Collaltinas opes, ac Ditiones adjecit? Cui demum, nisi uni huic Heroum Maximo Pirnitzienſe Oppidum debet, quam ipse ad Arcem, regio penè sumptu, excitavit Basilicam, & dote locupletissimâ communitam, alteram veluti Religionis Arcem, suâ annonâ, suis armis, & præsidiis instruxit? O Virùm certè in Collalti Fastis nulla non ex parte immortalem, cui par nemo; at Similis tantùm Uxor de præclarissimo Turrianorum Genere Blanca Polixena, quam nominasse ad summam laudem sit satis.

Ut recitavit de scripto, statim ad me Lævinus: habeo, inquit, tibi gratias, Parthenie. quòd tanti Viri Nomen, & gesta brevi, acutoque stylo perstrinxeris. Verùm, ut latinè loquar, unum in Eo est, quod audit non benè. Quidnam istuc? tum statim Ego. Et ille: apud Brusonum, (4) inquit, me legisse commeminì, memoratum illud Mantuæ facinus, nulla vi, nullis armis, sed fraude, dolo malo, ac proditione confectum. Cui Ego: id quidem Brusonum sensisse nullus inficior; imò Natium, (5) Aphonium Loschi, aliosque adde, si lubet. Sed quid tùm postea? Ut clarissimo Nomini splendoris

vel

(1) Ferdinand II. Imperator, Patentes signatæ anno 1623. aliæque ejusdem Cæsaris literæ in Arch. Coll. Com.

(2) Capitolo estratto da statuti municipali del Marchesato di Moravia, confirmati da Ferdinando II. à 1. Lugl. 1923.

(3) Ferdinando II Patente di consegnazione della Signoria di Pirnitz, segnata in Ratisbona à 2. April 1623.

(4) Khevenhillet Annales in Vitâ Rambaldi.

(5) Bruson. volum. 1. lib. 2. pag. 69.

[6] Nan. lib. 8. pag. 519.

(7) Loschi comp. pag. 432.

vel minimum detrahatur ? Ut vel paululùm ingens gloria adumbretur? Non ne tritum in primis illud.

Dolus, an Virtus quis in hoſte requirat ?

Deindè, quot, & numero, & auctoritate, & fide digniores in oppoſitam ivere ſententiam ? Præſertim Jacobus (1) Boſſuet; Everhardus Waſſembergius, (2) Ludovicus Aurelius, (3) Brietius, (4) aliique, quos hic recenſere, ne de re tàm apertâ diutiùs diſceptemus, non vacat. Pergamus porrò, & quod tui muneris eſt, Cotta, celer exequere.

Hîc ille præſto ſum, inquit. Ecce, tibi ſuo Nomen ex ordine; Claudius III. Collaltî Comes. Scilicet, tùm ſtatim Ego; magni Rambaldi filjus, cognomento Heros; (5) imò omnium judicio, Heroum facilè Princeps, (6) & Mecænatis mei Patruelis optimus, quem Sapientia bonis artibus, Innocentia Sanctiſſimis moribus, Gloria ſupremis honorum gradibus illuſtrarunt. Et ſanè ab ineunte ætate manſuetioribus primùm Muſis, mox etiam diſciplinis ſeverioribus ità omnem navavit operam, ut brevi doctrinæ laudibus ornatiſſimus æquales ſuos longè præſtiterit. In florentiſſimâ Lovanii Urbe, facultatum omnium altrice, de Jure civili univerſo publicas Theſes, coram frequentiſſimâ doctiſſimorum hominum panegyri propugnavit, cui id planè mirum, eâ in ætatulâ, ingenium, (7) maturitas, & quod caput eſt, memoriæ felicitas penè ſingularis. Literarum ſtudio aeriùs acceſſit, & Pietatis, & vitæ benè inſtituendæ ſtudium, quo ſe, cæterarum etiam virtutum præberet exemplar. A' turpi otio (8) alienus, adoleſcentiæ illecebris operoſum palæſtræ præſidium oppoſuit. Ab omni vitiorum labe immunis, eam tùm maximè, cum in nobilium animos (9) irrepſiſſet, exoſus: illud ſe nobilitatî ornamentum præferre, ajebat, incorruptam omninò morum integriratem. (10) Et quamquam ipſa ſibi præmium ſit Virtus, & luce ſatis ſe prodat ſuâ; carere tamen externâ luce, ac præmio non debet. Nec caruit iſta: Claudium enim Cæſares duo, Ferdinandus III. & Leopoldus I. ob tot, ac tanta probitatis, ingeniique ornamenta demirati, Equitem (11) ab aureâ clave, & Aulici conſilii Senatorem meritiſſimum renunciarunt. Mox Peditum Chiliarcha, cùm Pannoniæ Res ad arma ſpectarent Legatus (12) ad affines Principes Brandeburgi, & Saxoniæ Electores jam deſignatus honorificè expeditur; paulòque poſt ad magnæ Britanniæ (13) Regem inſigni legationis titulo miſſum: Eo in munere, acerbo nimiùm fato, ereptum Bruxellis, ſele-

[1] Boſſuet. tom. 2. pag. 363. & 364. gallicæ Editionis.

(2) Flores Germani pag. 198.

[3] Supplim. alle ſtorie di Torſellino pag. 662.

[4] Briet. tom. 2. par. 4. pag. 544.

(5) Jacobus Petrus Hunterus Apologia Senecæ, & Zabarella p. 102.

[6] Henricus Abbas Hiſt. Collalt.

(7) Gulielmus Beccanus Soc. Jeſu Eleg. 8. in Hoſſchj libris pag. 328.

(8) Gualdus, ſcena degl'huomini illuſtri, litera R.

(9) Henricus Abbas ibidem.

[10] Idem in Elogiis.

(11) Jacobus Petrus Hunter in opere citato.

(12) Gualdus ſtoria di Leopoldo par. 1. lib. 7. pag. 749.

(13) Le Balſon pag. 479. & Anonymus Revolutions d'Ingleterre, pagina 232.

selectissimum Juvenem indoluit Familia, indoluit Civitas, atque Aulæ Principes 'complorarunt; at omnium maximè luctu, & squalore dejecta Annibalis Sabulonetæ Principis, atque Heduigis Saxoniæ Ducis Levemburgi filia Helisabetha (1) Gonzaga, Herois Uxor. Equidem, hìc Lævinus, cum juvenilem in Numismate Principis formam contemplor, vel ipse lacrymis temperare non valeo. Crudelem dixerim Parcam, quæ cum aureo stamine spem omnem gloriæ amplioris abrupit. Ità sanè, tum Ego: verùm quid facias? Quin diù satis vixit, qui non sibi, sed Familiæ, sed Patriæ immortalitati vixit.

(1) Joannes Scheffer. rus, Mauricius, Gualdus, Zabarella.

At pergamus ultra pergere; Cedo aliud ex ordine, signatum in Ære Herois nomen. Et ille: Sinito, inquit, ut scriptum compendio oculis vestigem. Atat, idem aliàs iàm lectum memini, Petrus Rolandus II. Collalti Comes. Divinasti, tum Ego: Paternæ scilicet virtutis hæres ex asse, & Mecænatis mei Avus præclarissimus, qui acceptam à Majoribus gloriam rependens cum fænore, (2) ingens avitæ laudis Appendix accessit: quas enim Natura in ejus animum dotes plenâ manu effuderat, temporis decursu, in suam, suæque Gentis, & populorum felicitatem voluit (3) collocatas. Vixit in omnium oculis, & in privatæ, publicæque fortunæ clarum omen, & incrementum; nihilque præclarius duxit, quàm posse benemeri de pluribus. Id porrò præstitit cumulatissimè summâ animi magnitudine, singulari prudentiâ, effusâ largitate, cæterisque virtutum insignibus, quæ magnum Principem, maximumque Heroem non decent modò, sed faciunt.

(2) Jacobus Zabarella Merou. par. 1. pag. 202.

(3) Idem Auctor ibidem.

Vix hæc, cum intendens Cotta oculos in Scriniolum, numismata, quot reliqua, numerabat. Cui tùm Ego: Heus tu, inquam, quæ tuæ sunt partes, Cotta, accurato, non quæ Lævini: Membranam in Abaco tuo diligentiùs perquire: cedo sequentis Nomen. Implicitus interim in explorando cum ille hæreret; ne te, inquam, ampliùs vexes; deinceps monitoris non egeo, & perpaucos, & notissimos habeo reliquos in numerato. Jam à Petro Rolando II. succedit Antonius Franciscus I. Collalti Comes, & Mecænatis mei Patruelis Optimus. (4) Is sanè Majorum vestigiis insistens, non modò rebus præclarè gestis, sed summis quoque honorum gradibus, magnum sibi peperit nomen; Familiæ decus latiùs extendit; utrique Gloriam reddidit vectigalem. Tenet adhùc Fama, quàm splendidè suam locarit operam apud Leopoldum I. Romanorum Imperatorem:

(4) Henricus Abbas Historia Collaltiana.

(5) Collaltisce Baadn. liber Germano idiomate cõscriptus, Venceslaus, Herlichius S. I. Funebris oratio in obitu Maximilianæ, Theresiæ, Comitis, de Collalto.

quantum in amplissimis æquè, ac difficillimis negotiis, magnum se Leopoldo probaverit, etiam si maximis comparetur: quot demùm prærogativis, eximiisque privilegiis ab uno Leopoldo locupletissimè muneratus. (1) Aureæ clavis Eques, & intimus Consiliarius, Cæsarei Telonii Ybbsensis ad Danubium Hypothecarius Possessor: In Moraviæ Marchionatu Tribunalium Primus, supremus deindè Camerarius, & ad Provinciæ hujus Comitia principalis Commissarius renunciatus. Porrò, his non contentus munificentissimus Princeps, seque tantæ Virtuti quasi imparem ratus, Hispaniarum Regem, Carolum II. enixè rogat suas ut subeat vices, atque amplissimum Virum Aurei Velleris dignitate condecoret. Extat etiam nunc commendatitiæ Epistolæ monumentum, in qua *Altam sanguinis Comitum de Collalto Nobilitatem, & bonorificis candidatum meritis in Austriam excellere præclarissimâ laudatus Imperator testificatione declaravit.* Tanto Viro duæ præstantissimæ Fœminæ cum bona alite nupsere: prior, Teresia (2) Joannis Ferdinandi de Purilliis, Supremi Aulæ Imperialis Præfecti Filia: hac demortuâ, posterior Maximiliana Teresia, ex Comitibus ab Althann, & formæ elegantiâ, & omnibus virtutis numeris prædives. Ex hoc Conjugio dulcissimi duo, ac similes Patri liberi in lucem editi. Major natu Comes Leopoldus Rambaldus I. Equestri Alcantarensi ordine insignitus, Austriæ inferioris Concilii Assessor, Leopoldi I. Cæsaris Aureæ Clavis Eques, & Josephi I. Romanorum Imperatoris nobilis Camerarius, quem in Alsatiam, ut Landavium expugnaret, proficiscentem, magnificentissimè, & regio apparatu Pirnitzii excepit; eâque in expeditione fese Comitem strenuissimum præbuit. (3) Natu minor, Comes Carolus Christianus, qui nobilissimos inter Divi Stephani Equites adscriptus, vigesimum annum agens, utut præcoci fato Parisiis ereptus, vivit adhùc, vivetque semper provectæ Virtutis famâ, atque etiam latiùs in memoriâ hominum, ac sermone versabitur.

Memoriam æquè apud Posteros immortalem jure sibi meruit Pompilius Maria I. Collalti Comes, cujus commemorato Nomine, consumatæ Virtutis Heros statim oboritur: quippe qui, summâ animi præstantiâ morum gravitate, prudentia, consilio, integritate, quasi delapsum Cœlo Sydus, omnium oculis, spectatissimum se obtulit. (4) Amplissimam Collaltinæ Historiæ, rebus præclarè gestis manus, atque industrius materiam subjecit, quibus Patriam primùm, Urbem deindè Romam, miracu-

lis

(1) Leopoldus I. Imperator commendatitia ad Hispaniarum Regem, signata Augustæ die 27. Jan. 1690.

(2) Galeatius Gualdus in vita Ferdinandi Principis de Purilliis.

(3) Henricus Abbas Historia Collaltiana.

(4) Idem Auctor, in Collaltiana marmora.

Digitized by Google

lis licet assuetam, in sui admirationem pertraxit. Ad ineunte pubertate, Narvisiæ Abbas renunciatus, laurea in utroque Jure insignitus, ita præ cæteris excelluit, ut id unum difficile judicatu sit, utra in eo commendatio major probitatis, an scientiæ. Tanta virtutis, ac doctrinæ famâ Innocentius XII., & Clemens XI. excitati, in Præsulum Domesticorum numerum delegere, aliisque oblatis dignitatibus, Relatoris etiam utriusque Signaturæ, ut ajunt, munus contulerunt. Officiis hisce egregiè perfunctus, in Patriam reversus, continuò amplissimam Abbatiæ (1) Diœcesim perlustrandi provinciam suscepit: latis in eâ Visitatione ad puriores mores, disciplinamque Ecclesiasticam stabiliendam, optimis legibus: Collalti Castro ad magnum Patriæ bonum, ac decus Divi Francisci Alumnos restituit: Pauperiorum turbam, ut Parens amantissimus fovit, atque erexit; miserorum omnium Patronus, lites diremit, jurgia sedavit, Paci consuluit: alia demum, eaque gravissima munera magnâ cum laude obivit. Quapropter à Clemente XI. P. M. Archiepiscopus (2) Corcyrensis, quo melior fingi ne voto quidem poterat, creatus est, clarissimis meritis ad eminentiores planè gradus evehendus, ni in eâ dignitate senis vix expletis mensibus, diem clausisset extremum: maximo omnium, quibus tanti Viri probitas perspecta erat, squalore, ac luctu.

(1) [Idem Auctor in Historia Collaltiana].

(2) [Additionator ad librum], Il pregi della nobiltà Veneta, storia di D. Casimiro Treschot. [pag. 209.

Hoc loco Cotta: sine, inquit, Parthenie, ut conceptum animo mærorem, ne medius disrumpar, expromam. Equidem eximii Præsulis Nomen, ac gesta nolim ex te exaudisse, ne Virum pietate insignem, & communi bono natum, tàm citò ereptum dolerem: Ætasquippè hæc nostra, difficillimis hisce Christianæ Reipùblicæ temporibus, eo potissimum Pastore, inter bonos optimo, inter doctos doctissimo frueretur. Cui tum Ego: vera prædicas tu quidem Cotta; idemque me angor urgebat: at pesacerbum jacturæ sensum lenivit brevior quidem, sed longè felicior vitæ cursus, ac ratio (3) Comitis Petri Rolandi III. Mecænatis mei germani Fratris, qui fuit Gentis suæ primæ magnitudinis sydus, & ornamentum. Aurea illi indoles, ingenium auro pretiosius; eximia morum suavitas, Mansuetudo, Modestia, ac mentis puritas, & innocentia, quæ omnes animi dotes in formâ corporis, Egregiàque vultus elegantiâ, velut auro insertæ gemmæ, splendidiùs emicabant. In ipso pubertatis flore Virtuti maturus, Ver attulit Religioni novum, quod innexis bellè Pudoris, ac Pudicitiæ Rosis, liliisque, Intuen-

(3) Henricus Abbas, in Histor. Collat. & Elogiis.

luentium oculos pulcherrimâ varietate, animos cœlesti quadam fragantiâ mirificè recreabat. Magna quidem hæc in optimo Adolescente; illud profectò majus, quòd omni peccati labeculâ caruerit vèl levissimâ, ut jure jurando, qui à confessionibus fuit, testatum omnibus, compertumque esse voluit. Tot porrò meritis onustus, ætatis suæ anno primo supra vigesimum, christianæ virtutis exempla Posteris immortalia relinquens, occidit omnium amor, ac delicium. Vix hæc; cum ad me Lævinus: gaudeo, inquit, Parthenie, inter tot Collatinæ Gentis decora, illud quoque non insolens: in hac nempè Familiâ non Heroas modò, sed, & Angelos recenseri. Ità prorsùs; tum ego; nec defuisse primæ notæ Viros, qui singulares ejusdem virtutes demirati, nulli aptiùs, tam insignem Virginitatis Alumnum compararunt, quàm unis Angelis; à quibus proindè splendido hoc Titulo jure honestatus, Petrus Rolandus III. *Adolescens Angelicus*.

Intereà loci de sellâ, quæ proximè fenestram erat, assurrexit Lævinus; per eamque Horologium Sciotericum, quod in atrioli pariete constructum, nonnihil ab occidente ad meridiem vergebat, attentâ acie speculabatur: Cui Ego: Num quis fores pultat Lænine? Et ille: non pultat modo, sed & succedit: An Fannius? tùm Ego: ille verò subridens; Succedit, inquit, succedit vesper olympo. Vide sis, Parthenie, amabo te, quotam signet diei horarius circuitus, quem in thecâ reposuisti; interiecti enim vapores inclinantem Solem obnubunt. Cui Ego: laudo, inquam, Lævine, leporem tuum, quo expectationem meam decepisti tàm bellè. Quoad reliquum ne dubita; adhùc Soli supra Horizontem unius minimùm horæ iter superfit. Et ille: si ità, Superis gratiæ; desino jam in metu esse, verebar quippè, ne præceps ad occasum Sol, te quoque cogeret, quæ narranda superfunt, præcipitem penè evoluere. Cui tum Ego: navigamus in portu. Unus quidem, sed Heroum maximus, (1) Vinciguerra V. Collalti Comes, & Mecænatis mei Parens ter optimus, narrationi meæ finem simul, & Coronam imponet; quod eò fiet faciliùs, quòd parata omnia, atque in promptu habeo. Cum enim plærissima tanti Viri facinora non dum per alios commissa Typis, Collaltinis Fastis non exiguum decus accesserint, optimè factum putavi, ignotæ rei notitiam ab uno scientissimo Filio sciscitari. Illum proindè properatis literis enixè rogavi, ut paululùm depositâ gnati Personâ, eam, quæ integerrimi historici est, lubens indueret, meque de singulis quàmci-

[1] Idem auctor Ibidem.

Digitized by Google

cissimè faceret certiorem. En igitur ipsissimum Epistolæ exemplar, & perillustris laudis simul, & gestorum Epitome, quæ ab ultimâ, Germaniâ, ad me dedit. Tu interim, Cotta, perlege erectâ voce. Audistin? Et ille: putabo, inquit, ni tibi sit grave, Surdastrum Lævinum esse; acceptâque papyro, statim occæpit.

ANTONIUS RAMBALDUS
Parthenio Giannettasio, S. J.
S. P.

Perjucundæ nobis literæ tuæ acciderunt. Ex illis facilimè intellexi, quod & sine illis pro confesso mihi erat, ob singulare erga nos animi tui studium, nostram tibi in dies dignitatem majori curæ esse. Equidem fateor omni officio, ac potiùs pietate in me, licet cæteris omnibus satisfacias, tibi ipsi te nunquam satisfacere. Quid enim aliud aviditas illa ostendit, qua Parentis mei præcipua gesta in præsentiarum flagitas, ut Hyemum Puteolanarum libris, quos avidissimè expecto, inserta velis candidò ut soles, & (quod nec ultimum ex calamo tuo beneficium existit) commendata habeas? En itaque quod rogas impensè, transmitto ingenuè: parem scilicet ingenio tuo, plurimamque laudationis à te pertexendæ materiem. Interea Parenti optimo gratulor, quod ejus virtutum fama singularis adeò per te inclaresceat, ut nihil addi commendationis, & lucis ultrà posse credatur. Quamobrem ità me, meosque magis ac magis novis titulis adstrictos video, ut suavissimam Parthenii nostri memoriam nulla temporum ætas à nostro animo sit deletura. Vale, iterum Vale Musarum, nostrique Amor, & Deliciæ.

Recitatis literis, statim Cotta: O singulares, inquit, eximii amoris notas! Quis amicior Amico, quàm Parthenio Rambaldus Comes? Scilicet, hîc Lævinus, rem putas novam dixisse? Id quidam jamdiù vel lippis, & tonsoribus notum. Quod aveo maximè illud est, missam, nimirum Parentis inclyti illustrium factorum Epitomen, Parthenii stylo eleganter expolitam rescire. Cui tùm Ego: Et hæc ad manus est; quam tu Cotta, si lubet, en ipsam legito. Ille vero: imò, inquit, lubentissimo animo, unoque spiritu perlegam.

Vinciguerra V. Collalti Comes, ac tot retrò insignium Heroum Nepos præclarissimus. Vir, omnium judicio, tùm in adversis, tùm in secundis rebus, ingenio, probitate, prudentiâ, consilio, animi firmitate cùm primis illustris. Eximiis virtutibus, quàm

quàm Dynaſtiis clarior. Magnum ubique Fama ſjactavit; major factis inventus eſt: jure igitur, ac meritò à Joſepho I. Romanorum Imperatore Viennæ, à Ludovico XIV. (1) Galliarum Rege, Pariſiis ampliſſimo Encomio decoratus. Proh! quanta illi inerat mentis celſitudo! Qualis Indoles ad grandia quæque expedita, magnorum operum Artifex! Mira hæc in optimo Principe; illud tamen mirabilius, quòd acceptam à Majoribus gloriam non cuſtodivit modò, ſed ampliorem fecerit de ſuo: Quod ad ſeveriſſimas Pietatis leges ita Adoleſcentiam examuſſim exegit, ut nihil in eâ, ætate maturior, excuſandum habuerit. Quòd aviti Nominis ditiſſimus hæres Summo Regii Generis faſtigio incubuit, ſine faſtu; nihilque præclarius duxit, quàm ſuaviſſimâ morum elegantiâ ab omnibus amari, idque mereri potiſſimùm, ut amaretur. In re familiari adminiſtrandâ ſolertiſſimus: in publica Re promovendâ Togæ, ac Pacis otia potius, quàm Arma, in quæ propenſus licet, at ſui tamen victor ſectatus, communi omnium felicitati ſemper addictus. Lenioribus hiſce ſtudiis maximoque opum, & gloriæ incremento Familiam auxit, exercuit imperia; ſuorumque temporum invidiam non deterſit minùs, quàm vicit. Tanto Viro par Fœmina, nempè Eleonora, clariſſimi Generis Comitum de Turre, & Taxis, auguſto ſtellatæ Crucis ordine inſignita, addicentibus Avibus, nupſit. Hoc Cotta loco: O qualem, inquit, Parthenie, Heroem, omnibus virtutum numeris divitem, Attico ſermone depinxiſti! Et Lævinus: Utinam licuiſſet, ætatis noſtræ Sapientiſſimum Virum non contemplari modò, ſed propiùs etiam intueri, atque affari! Quibus Ego: neque adhùc omnia præclarè facta Vinciguerræ audiſtis. Ita ne vero? tùm ſtatim Cotta; quid ſiet reliqui? Quid? tùm Ego: Filium procreavit, Antonium Rambaldum I. Paternæ Virtutis, ac laudis hæredem, priſci candoris, & humanitatis exemplum, maximum denique Collaltinæ Gentis Decus, atque Incrementum: in quo exornando, Virtutum omnium Chorus ſummo ſtudio certaſſe videtur; At Summi certaminis is fuit exitus auſpicatiſſimus, ut omnes vincerent, nulla vinceretur. Hîc ſtatim Cotta: Ampliſſimum, inquit, bellèque paucis tornatum Encomion! at pace tuâ dictum volo, Parthenie, Mecænas optimus, tuique amantiſſimus, paulò ſe longiùs poſtulat commendari. Cui tùm Ego: facerem lubentiſsimè, ni à Fannio, Rambaldi familiariſsimo, pleniori manu abſolutum haberetis. Quòd ad me, non adeò ingratus ſim, ut lingue

(1) Tiberius Tiſardius la Damaride del Veſcovo di Belley tradotta dal Franceſe in Nuncupatoriâ Hieronymus del Giudice, Fiori Epitalamici in Nuncupatoriâ liber editus Cenetæ 1716.

Digitized by Google

guæ parcam, & ſtylo, quandocumque ſe dabit occaſio. Quoniam verò cùm temporis angustiæ, tùm audiendi perurget aviditas, eccum ipſum è foruli, Fannii manu conſcriptum. Tu interim Lævine, ſuaviori quàm ſoles voce, lector eſto: Nec dubito, quin ſtylus abundè parcus, & multò magis res ipſa ſtylo ſubjecta, maximum apud vos, & leporem, & gratiam ſint habitura; cùm apud Rambaldum ingenio præſtantiſſimum, habuerint omnem. Age jam: recita. Et ille: preſto ſum, aures date.

Antonius Rambaldus I.
Collalti Comes,
Ampliſſimarum Ditionum Dominus;
Vinciguerræ V. ornatiſſimi Viri Filius,
Paternæ Imago Probitatis, & Gloriæ.
Apud Joſephum I. Rom. Imp. meritiſſimus Aulæ Cubicularius:
Apud Carolum VI. Aureæ Clavis Eques:
Apud Omnes Collaltinę Regię Stirpis Reparator, & Columē.
Ipſe Familiam ſuam,
Ex Italiâ in Germaniam denuò translatam
Feliciſſimè conſtabilivit.
Comitatum Collaltinum
Temporum injuriâ everſum;
Æmulorum invidiâ oppugnatum;
Hoſtium conſpiratione diſceptum;
Fortitudine, Conſilio, Induſtriâ,
Recuperavit, Refecit, Amplificavit.
Præclaras Avitorum Heroum Icones
Ut Poſteritati redderet præclariores,
Magnificè diſpoſuit,
Magnificentiùs ornavit.
Quorum Exempla
Ita demiratur ſingula, ut imitetur omnia:
Ita imitatur,
Ut, qui unus inſtar omnium habetur,
Omnium laudes exhauriat.
In politioribus Diſciplinis
Nemo plùs ingenio ſuo imperavit:
Nemo plus indulſit.
Literis clariſſimus,
Literarum Amplificator egregius,
Literatorum Aſſertor idem, & Auſpex:
Ne tamen
Poëtarum noſtro Ævo facilè Principi
Suus deeſſet Mecænas;

Nico-

Nicolao Parthenio Giannettasio,
Libentibus animis,
Patronum se præbuit, & Præsidium;
Suoque erga ipsum Amori
Illud voluit auctarium;
Ut, quem adhuc viventem
Inter charissimos habet chariorem,
Vèl post Fata velit Immortalem.
Cujus opera,
Communi jam plausu excepta,
Literariæ Reipublicæ universæ ratus consulere,
Typis iterum excudenda, suo ære jubet.
Quo uno nomine affluentissima Rambaldi gloria
Ni foret jam incrementi nescia
Crescceret cumulatissimè,
Ipsoque perennius Ære
Sibi monumentum pararet.

Ut recitavit; statim uterque gratulari mihi de Sapientissimo, meique amantissimo Mecænate. Et Ego: Gratiæ Fannio, quòd conciso stylo, & candidulo tàm bellè rem concinnarit, vobis agendæ sunt, ut non modò actæ, sed & relatæ à Rambaldo ipso. Hïc Lævinus, more suo curiosus, quodnam, inquit, præmium, tanto dignum Principe, Fannio repensum? Cui tum Ego: quod expectari ab Excellentissimo Viro maximum potest: Placuisse. Ita enim verò: tùm Cotta; Hoc quippè præmii genere literato Viro, & ingenuo nihil suavius. Intereà, cum hæc diceremus de Fannio, Ecce tibi idem ipse, Cisiis advolans, Fabiolum inclamat de viâ. Nos ad Amici vocem surgentes illicò, festinantèr obviam processimus; datâque mutuò, acceptâque salute: quid istuc moræ, inquam, Fanni? Ultrà expectari te voles? Et ille: Cui, inquit, vertendum culpæ, te Judicem opto. Titus Benanius, diligentissimus Rei domesticæ Curator, Puteolos, negotii causâ, divertere coactus, me invitum plus justo detinuit. Propterea dedit in mandatis: salutandum te meis verbis primùm: deindè ut eodem, quo hùc sum vectus Cisio, Cotta, & Lævinus, quibus frugalis adornatur jam Cæna, illùc iter festinent. Benè est, tum Ego. Quinimò vehementer gaudeo, & quòd te mihi purgatum habeam, & quòd apud Titum Lævinus, & Cotta opsonabunt opiparè, non enim frugales dixerim Cænas, quæ communi ære apparantur, sed lautas, opimas, quin etiam pollucibiles. Ad hæc Lævinus, quod ad me, inquit, Parthenie, quascumque vel regias Persarum dapes

cum

Digitized by Google

cum cœnulâ tuâ commutarem lubentissimè; in qua tecum omnes accumbunt Musæ. Annuit hîc Cotta; statimque subjecit: Plusquam basilicum igitur apud te prandium adornatum fuerit crastinâ, cùm, quod pollicitus, Collaltinas Heroides, sermone illo tuo, qualibet ambrosiâ suaviore, luculenter expedies. Quibus Ego: lubens hunc vobis morem geram; eoque lubentiùs, quòd in Collaltinis Fastis versatus non parùm Fannius, multùm minuet oneris, ac laboris. Ubi autem ab omnibus assensum est, hospites jucundissimi Cisio invecti abiere.

CAPUT VII.

Nonnullæ Collaltinarum Heroidum coram Amicis obiter recensentur.

SUrgebat solito nitidior dies, cùm ad me Fannius (erat enim in eâdem contignatione à Musæo proximus.) Quid ni, inquit, Parthenie, tàm tenui, puroque Cœlo amicis adventantibus occurramus? Cui Ego: Occurramus, non oppedo, quamquàm grave est, faventibus hoc mane Musis, nuntium remittere; at hunc tibi morem ut geram, lubens remitto. Pileum, & baculum ad manus habeo: mane tamen pauxillùm, dum vesicam exonerem: jam jam præstò ero. Ad hæc ille: Asparagi, quos heri ad cœnam conditos perbenè comedisti, urinam cient; solent enim & id incommodi dormiturienti mihi afferre, ut plus justo etiam alvum emolliant. Quid, tùm Ego, quid ais incommodi? Illud sanè accidit corpori perutile, & perquàm commodum: sic nempè & stomacho satis firmo, & mente utor promptâ, atque alacri; sed iis ingurgitari, ac supra modum comesse, id quidem nocet. Intereà loci Ego ad Matellam, Fannius ad ostium, imus. Vix expeditus amico opperienti me adjungebam; cum ecce tibi cantillantem de viâ Fabiolum audivimus Puteolis cum sportulâ redeuntem: Is, ut me vidit, continuò occurrens, apertoque capite admonuit, binos è nostrâ Familiâ homines cisiis advolantes ex Aniano hùc iter tenere. Hîc Fannius; Advertisti ne, an rufus esset Equus curulis? Ita, tùm ille; quin ex oblongo naso Cottam, conjeci: ex patulo ore Lævinum. Næ tu semper argutulus, tùm Ego; perge sis in culinam Mastigia, & pensum tuum benè accurato. Hinc ad Fannium conversus: Ad sepem usque structilem, quæ, ut nosti, est in proximo Collis declivio,

obviam eamus: ibique ad amæniſſimum maris proſpectum, odoras inter violas, conſidentes, præſtolemur Amicos, placet conſilium? optumum, inquit ille, & geniale: Convenimus itaque in locum, quo quid ſuavius Natura finxerit uſquam, haud equidem novi. Pauxillùm hìc temporis commorati, appropinquantes Amicos, atque alia omnia cogitantes, oppreſſimus. Poſtquam verò perhumaniter ultro, citroque datæ ſalutationes; ut, inquit Cotta, opportunum hìc, Parthenie, pauliſper gradum ſuſpendere, & placidiſſimâ confabulatione, ſi placet, etiam promiſſâ heri narratione, horam unam, aut alteram tranſigere. Pergratum ſanè continget omnibus, ut & pro cæteris ſpondeam, dulci morâ Collaltinarum Heroidum ſyllabum recenſere. Hìc Ego; quoniam ſic lubet, do manus.

Ubi autem ſeſſum eſt: Nullum, inquam, hìc mihi in narrando ordinem ſuppetere memoria poteſt; tot quippè ſunt è Collaltinâ Familiâ Heroides, quot in eâ præclariſſimæ ſemper Fœminæ; aliquot tamen è præſtantiſſimis ſeligam præſtantiores. Et primò Rolandam, (1) Vangerii Terviſii Comitis Uxorem, quæ Sacro Divi Zachariæ Venetiarum Aſceterio ingentes facultates munificentiſſimè contulit. Quid de (2) Metilde, Raymbaldi III. Filiâ, & Hugonis Comitis Uxore præclariſſimâ, quæ propè à Lepidi Regio Cœnobium, cui pridem à Divo Proſpero, in præſenti à Divo Petro nomen eſt, profuſâ largitate locupletavit: Hoc loco Cotta: Nimirum Chriſtianæ Pietatis cultum cum ſummâ, munificentiâ conjungere; fuit huic Genti ſolenne ſemper, & proprium, & ſingulare. Ità enim verò, tum Ego; Et quis eat inficias? Dicam tamen majora; atque audite: (3) Sophia Collis Fuſci, Gemmellarum, aliarumque ditionum Domina, Gualfredi Terviſii Comitis Filia, & Guecelli de Camino Reguli lectiſſima Conjux; cujus apud Hiſtoricas perhonorifica mentio, omnium coronâ virtutum ſplendidè inſignis, plurima, & maxima omnium monumenta Poſteritati reliquit. Nihil vulgare, breve nihil molita, quod ſibi adjungeret gloriæ, in Terris ultrà non habnit. At inter cæteras ea renidet coronæ gemma præſtantiùs, quam voluit pretio ſingularem, quòd ſanguine ſignatam ſuo, Pietatis, ac Religionis Munificentiam. Cum enim ſolvendi voti causâ Compoſtellam verſus profecta, Navarræ in Regno adversâ valetudine afflictaretur, ut expeditiùs evolaret ad Superos, divitiarum ſoluta vinculis (4) Teſtamentum condidit, quo Antiſtiti Cenetenſi, ejuſque Succeſſoribus, Serravallum oppidum, & Bellunenſi Epiſco-

[1] Dominicus Bozzonus, il ſilentio di S. Zaccaria Inodato, pag 59.

[2] Cornelius Margarinus, Bullarii Caſinenſe, tom. 2. conſtit. 110. pag. 112.

(3) Serrorius Urſatus ſtoria di Padova, lib. 4. par. 1 pag 319. Jo: Bonifacius ſtoria Trivigiana libr. 3. pag. 133. e 151

(4) Idem Author in opere cit. lib. 4. par. 164. Georgius Pi'onus ſtoria di Belluno, lib. 3 pag. 89.

Digitized by Google

scopo Gemmellarum Castrum solenniter legavit. Cùm hæc dicerem: da veniam, inquit Cotta, si te interpellem Parthenie; dum isthæc narras, obversantur ob oculos Matronæ quædam ex Romanis clarissimæ, quæ ut votum Apollini solveretur, cum publicum ærarium solvendo non esset, aurum, omnemque muliebrem ornatum, Religionis causâ, celerrimè contulere; atque hæc, si benè memini, verba sunt Livii, *Cujus* (1) *auri cùm Copia non esset, Matronæ cætibus ad eam rem consultandam habitis, & communi decreto pollicitæ Tribunis militum aurum, & omnia ornamenta sua in Ærarium detulerunt. Grata ea res, ut quæ maximè Senatui unquam fuit; honoremque ob eam munificentiam ferunt Matronis habitum, ut Pilenta ad sacra, ludosque, Carpentis festo, profestoque uterentur.* Cui Ego: Eruditè tu quidem, & ad rem, Cotta: Neque infirmâ adeò, ut tute quereris, memoriâ instructus, qui lactea Scriptoris verba omninò recitasti. Nempè, statim Lævinus; Id mirum oppidò quod memoriter repetat, quæ recenti lectione hausit de Livio: hunc enim benè manè ad Titi Curatoris fastidium, erectâ voce, in proximo cubiculo lectitabat. Cui tum Ego: næ tu invidiolâ ductus Cottæ laudibus detrahis? Utcumque siet, solertiæ istuc certè tribuendum. Sed hactenus de iis, ut ad propositum redeamus, quæ fortunis suis, & ampliſſimis opibus Templa, & Pietatem locupletarunt: Jam nunc dicendum de aliis, quæ Animum nobilioribus virtutum ornamentis splendidiùs cumulaverunt.

(1) Livius.

(2) Et jure quidem optimo, principem locum sibi vendicat Heroina Cœlestis, Juliana Rambaldi VI. Comitis de Collalto nobilis filia, quæ ad Sanctimoniæ culmen evecta, Generis splendorem meliori lumine ampliſſimè auxit. Ab ipsa primâ infantiâ divinis rebus addicta, Salarolam in Divi Benedicti Cœnobium convolavit; ibique omnigenæ virtutis tyrocinium posuit. Mox, ut ab armorum strepitu longiùs recederet, divinarumque rerum contemplationi vacaret tranquilliùs, in aliud ad Gemmulæ collem secessit, ubi multa, eaque maxima probitatis, atque integerrimæ Vitæ dedit exempla. Admonita demùm, ut perhibetur, à Divo Blasio, confestim Venetias appulit, ac destitutam, penèque dirutam Divi (3) Cataldi Basilicam instauravit, auxit, exornavit; sacrumque Asceterium à fundamentis erectum Divis Blasio, & Cataldo, omnium officiorum observantissima dicavit. Tantus indè brevi tempore sanctitatis fulgor per Julianæ Virginis famam longè, latèque

(2) Virginius Fortunius *Conetensis*, Genealogia Collaltiana.

(3) Jacobus Philippus Tomasinus, Vita della B. Beatrice capit. 13. pag. 31. Angelus Portinarius Felicità di Padova lib. 9. capit. 4. pag. 489.

diffusus; ut confestim undique nobilissimæ Puellæ, tanquam ad tutissimum Innocentiæ domicilium, atque perfugium convolaverint. Hìc, vel invitam, unâ omnes voce, sibi Antistitam (1) voluere, ad cujus religiosissimæ vitæ normam suam ipsæ vitam exigerent: atque ad Summum Sanctitatis fastigium proveherentur alacriùs. Tandem Kal. Sept. anno à Reparata Salute MCCLXII. maximis in Deum meritis affatim dives, emigravit ad Superos. Post obitum crebris, magnisque miraculis clara, præsertim (2) erga Cephalagiâ laborantes præsenti auxilio clarissima. Virgineum Corpus, nocturni splendoris (3) indicio, integrum, intactumque repertum, tot post sæculis, Incorruptum (4) adhùc perseverat, idemque Sacrâ in Urnâ super Altare, Julianæ Nomini dicatum Christi fidelium veneratione religiosissimè colitur. Hoc loco Fannius: benè est, inquit Parthenie, illud ex te audire gaudeo, quod jamdiù me legisse memineram: at, fateor ingenuè, aliqua ex iis, quæ modò accepi, nova prorsùs mihi acciderunt: Quæ isthæc? tum Ego. Et ille: unum est, ait, ut cætera omittam, inauditum hactenus mihi, præsentissimum nempè erga Cephalalgicos perfugium, ac salutis præsidium. Cui Ego: haud equidem miror, si curiosus unquam in (5) Anonymum, primum vitæ Scriptorem, offendisti: Is quippè amplissima Heroidis gesta cæsuratim adeò perstrinxit, ut non pauca, scitu digna, prætermiserit. Et ille: divinasti, inquit Parthenie; in hunc ipsum ipsissimum incidi: nec passus è manibus labi, quin continenti spiritu, totum exhausissem. Quid mirum, tùm Ego: si nova tibi obvenerint, quæ Scriptores deindè numero ferè sexaginta Typis consignarunt, quibus subindè in unum collectis, Henricus Abbas historicam (6) Julianæ Narrationem, graviori stylo latiùs concinnavit? Læti ad has voces Lævinus, & Cotta: Divam hanc, inquiunt, oramus, rogamusque ut te suos inter clientes apprimè charos optet; tuumque charissimum Musis caput, quod sæpè dolet acerbissimè, in literariæ Reipublicæ bonum servet incolume. Quibus tùm Ego: Pro summâ hac, erga me, benevolentiâ amplissimis verbis promeritas gratias agerem, nisi plus justo ab instituto deflecterem. Quamobrem ad me redeo; atque hunc sibi postulat locum Blanca, inter Collaltinas Heroides non ultima; de qua illud in primis ingens numerosæ laudis argumentum esto, quod communi omnium consensu receptum est, nullum scilicet ipsius meritis respondere posse pro dignitate præconium.

Et

[1] Franciscus Sansovinus lib. 6. pa. 251.

[2] Jacobus Salomonius Agri Patavini. Inscriptiones, pag. 177. Bartholomæus Burchejatus cõmentarii memorabilium Historie Tarvisinę lib. 4. pag. 590.

(3) Antonius Arcoleus, Ristretto della Vita della B. Giuliana Contessa di Collalto, pag. 21. e 22.

[4] Benardinus Scardeonius de Antiquitate Urbis Patavii, part. 6. lib. 2. pag. 119. Nicolaus Doglionus le cose notabili di Venetia lib. 2. pag. 366.

(5) Anonym. Capellanus Monialium S. Blasii, & Cataldi, Vita, Morte, e Miracoli della B. V. Giuliana.

(6) Henricus Abbas Ragguaglio storico della Vita della B. Giuliana colle osservationi, &c.

Et sanè, non modò si numerum, verum etiam si virtutum pondus exquiras, in singulis plurimùm habes, quod demireris. (1) Pudor, modestia, animi magnitudo, Prudentia, Liberalitas, & quod caput est, Virtutes cæteræ, quæ Sanctissimam Fœminam decent potissimùm in hac una (2) omnes ad miraculum emicabant. Neque ea tantùm virtutum complexio, quæ industriâ, summoque studio comparantur, sed etiam, quæ Parentis Naturæ dotes sunt, atque amplissima dona, in eâ sedem posuisse videbantur. Eximius corporis decor, & gratia cum quadam majestate sine fastu; cum quadam suavitate sine abjectione composita. Singularis ingenii vis, & acumen nihil invenit abstrusum adeò, ac perdifficile, quò, & celeriter, & de facili non pervaserit. Quæ dotes duæ inter se adeò de excellentiæ laude certarunt, ut illud in dubio positum; majori ne corporis venustate, atque elegantiâ, an excelsæ mentis dexteritate, & perspicaciâ omnibus antecelleret. Quod porrò in Blancâ, me judice, mirandum magis, id sanè est, ut in Domo tàm opulentâ, ætate quàm florentissimâ, sexu per sese ad blandimenta extra modum propenso, omne illecebrarum genus, non secus ac Innocentiæ pestem, (3) perosa, ita incessum, actiones, vitamque universam ex solâ honestatis Regulâ composuerit, ut nihil egerit, nihil cogitarit omninò, quod semper non esset summâ cum laude conjunctum. (4) Hoc Fannius loco: Beasti nos, Parthenie, quòd absolutissimam vitæ integerrimæ Synopsim confeciisti tàm bellè. Atque utinam, hîc exclamavit, Lævinus: nostris hisce temporibus, per quæ luxus, impudentia, fastus, atque improba voluptatum lenocinia ingenuas domos, & Familias fœdè deturpant; hinc omnis probitatis sumerentur exempla. Quàm multa, & nobilissimæ Virgines, & Matronæ ex hac unâ, quæ addiscerent, ob oculos, abundè satis haberent? Cui ego: sapienter tu quidem Lævine: verùm quid facies? Nec ubique, nec semper redivivus Phœnix. At quamquam illa suo delitescat in cinere, Posterorum tamen memoriam fragrantissimo virtutum odore perfundit; & silens licet, incisis hisce in sepulcrali lapide notis, insignis adhùc morum magistra, loqui videtur. (5)

Nobilitas, & Forma, Pudor genuere Colaltam
Re, Famâ, exemplo, Nomine Blanca fui.

Sed pergamus porrò: & quoniam ire per singula infinitum esset, (ne oblatrantem Lævini stomachum ultrà irritemus) compendio utamur. Et primò, Anna Maria, Co-

(1) Bartholomæus Burchelatus Epitaphiorum Dialogi septem, sermon. 1. pag. 30.

(2) Joseph Betussius de Fœminis illustribus Edit. Veneta cap. 35. pag. 206.

(3) Idem Auctor in cit. opere.

(4) Idem Auctor in cit. opere, ubi Blancæ vita perlegitur.

(5) Burchelatus loco citato.

Digitized by Google

(1), Comitis Marci Garoli II. de Collalto Filia, luce se prodit suâ. Hæc præter egregias corporis, fortunarumque dotes, meliores in thalamum invexit virtutum opes. Quamobrem spectatissimam supra fidem, & famam, Rolando II. Comiti parem Fæminam, tantoque viro dignissimam se præbuit uxorem. Marito demortuo, omnes cum eâ exstinctæ humanarum rerum, & fluxæ gloriæ cupiditates penè simul sunt visæ; utque arctiùs Deo se manciparet, divitias in Dei cultum munificentiæ largitate protinùs effudit. Nec sine ingenti Pietate munificentia enituit, quam domesticis exemplis fecerat ampliorem. Nam ubi amplissimum (2) Coneglani, pro Puellarum custodia Cœnobium, sub Divæ Theresiæ legibus excitavit; mox, in Divi Hieronymi (3) Asceterium Bassani ipsa advolavit; ubi reliquum integerrimæ vitæ maximâ cum religione traduxit. Jamverò Matronæ tàm peregregiæ, par Pietatis, & Munificentiæ laude sese offert Richelda, ter inclyta, Antonii IV. de Collalto Comitis Filia (4). Hæc enim Mantuæ, ab ineunte ætate, Divi Benedicti Familiæ adscripta, Deo ità vacavit, ut suorum, suique oblita agitaret nihil in animo, nisi cælestia; perindè quasi, exul à terris, beatam inter superos viveret vitam. Eo etiam nomine commendata, quòd sacrum, ut ajunt, *Capucinarum* Asceterium à fundamentis magnificè erexit. Verùm in simillimâ vitæ ratione illud dissimile, quòd Richelda, perpetuæ tenax virginitatis, nulli, nisi uni Virginum Regi, se sponsam voluit. Quid posteà admiter primùm in Ignatiâ, Francisci I. Comitis de Collalto præstantissimâ Filia? singularem ne animi integritatem, (5) an effusam in jacentes pauperes largitatem? Quæ dotes duæ inter cæteras adeò eminebant, ut quamquam extet de ipsius sanctimoniâ Octavii Persellii volumen, posterorum memoriæ consignatum, (6) utraque tamen sibi primas vindicare meritò videretur. Mitto hîc spectatissimæ famæ Hippolyten Alberto I. Goritiæ Comiti nuptam, ex quo felicissimo Thalamo numerosam Austriacorum sobolem, per contracta matrimonia deductam, Bracellus (7) Auctor ostendit. Mitto (8) Metildem, Antonii IV. Filiam Alberto Scoto, Fumbii Comiti, generosissimo Viro desponsatam; de cujus laudibus, etsi multa, eaque præclara vulgavit Fama, plura tamen, & majora reticuit. Mitto demùm, & hujus Sororem Victoriam Jacobo de Malvitiis, clarissimo Equiti nuptam, & (9) Victoriam alteram Horatii II. Comitis Filiam; quam Comes Philippus de Latrone, Vir *illustri* famâ notissimus, duxit Uxorem; & (10) Dorotheam, ex

hoc

(1) Jacobus Zabarella Merovea, part. 1. lib. 3. pag. 102.

(2) Hortensius de Burgo, la clausura delle Monache di Santa Teresa in Conegliane, pag. 15.

(3) Henricus Abbas Historia Collalt.

[4] Idem Author opere citato.

(5) Lelius Mancinus Politianus, Relationi di S. Antonio di Padova, pag. 179.

(6) Spenerus, Theatrum Nobilitatis Europæ, part. 3. pag. 38.

[7] Jacobus Bracellus, Genealogia Comitum Goritiæ.

[8] Joannes Turrius la Barriera fatta nel Castello di San Salvatore liber editus Tervisii anno 1599. ubi recensentur nuptiarum solennia vel Trojanis ludis magnificentissimè celebrata.

(9) Zabarella Merov. part. 1. pag. 76.

(10) Idem Author sæpe citato opere.

Digitized by Google

hoc conjugio natam, quæ Matthiæ Galaſſo Comiti, ſupremoque Auſtriaci Exercitus Duci feliciſſimè nupſit. Hæc, aliaque in Collaltinis Faſtis inſcripta decenter Nomina, per ſeſe pulchriùs nitent perenni luce, quàm ut oratione licèt ampliſſimâ valeam illuſtrare. At unam Mecænatis mei Amitam præſtantiſſimam ſilentio præterire non patiar. Hoc Fannius loco: habeo te, inquit, Parthenie; teneoque Heroidis præclarum Nomen. Ipſum eſt, Juliana, Petri Rolandi II. Filia. Cui tum ſtatim ego: dixti, id, quod res eſt. Perge igitur, ejusdemque mira geſta candidè, ut ſoles, ediſſere. Et ille: An Graculus cum fidibus? Apage ſis, inquit: Ego, ut par eſt, audiam attentè; Tu ſtylo hocce tuo lacteo coronidem narrationi imponito. Cui ego: modeſtè tu quidem Fanni; at quantum ingenio valeas, quàm politulus tibi, ac limatus ſit ſermo, probè calleo. Ad hæc, dum ſpartam Fannius detrectat, Lævinus illicò, & Cotta, unâ me voce opprimentes, ſi quid, ajunt, tuus in Mecænatem optimum valet amor, qui certè plurimùm valet; ejus te nomine etiam, atque etiam rogamus, ut quam bellè hactenus texuiſti telam, conficias. Quibus ego: dulciore capi hamo non poteram: do manus, audite.

Quam à Majoribus hauſit Generis nobilitatem (1) Juliana, Heroum Soboles, Virtute fecit nobiliorem. Septennis adhùc in religioſo Virginum Aſceterio Cenetæ Urbis, vix compos animi, vix potens ſui, & Animum, & totam ſeſe Divino Amori dicavit. Hîc, inter exercitamenta Pietatis, menti cælitus illapſum Numen Virginem adeò flammâ corripuit, lumine circùmfudit; ut non alium optaret ſibi Parentem, ac vitæ Ducem, niſi unum puriſſimi Amoris Prodigium, Antiſtitem Auguſtinum; cujus Familiæ cor daret, & nomen. At unus obex, effuſus Parentum amor in filiam. Quid interim conſilii? Puella primùm aſſiduis cœlum votis implere: illacrymari: ſuperos urgere. Tùm ſociæ virgines fletu, ac precibus fovere ſpem, atque erigere. Tandem ex inopinato, confluentibus, arcano quodam conſilio, ad tàm pia vota, ipſorum etiam Parentum placitis, quos anteà agebat adeò tranſverſos innatus amor, in religioſum cætum adſcribi. Mirum oppidò quantâ celeritate, quantâ lætitiâ optatiſſimum Innocentiæ Aſylum nacta, virtutum omnium ſtudio adjecit animum! Morum gravitas ætatem longè antevertit: vultum illi divina quædam afflabat Charis: nunquam non mitis, nunquam non ſuavis omnium ad ſe oculos, animoſque rapiebat. At quò tandem eminentiæ putem, adul-

(1) Henricus Abbas in Hiſtoria, & Elogiis.

tâ

tâ ætate, adoleviſſe virtutem? Teſtes locupletiſſimi Cenetenſes, quorum unanimis erat de ipſius eximiâ ſanctitate conſenſus. Teſtes egeni, ac mendici; quorum una erat vox omnium, Juliana pauperum Mater. Teſtes denique Virgines ipſæ contubernales, quarum etiam in id vota incumbebant, ut quam ſibi omnes prudentiâ, dexteritate, conſilio, ſingularique in Deum pietate, noverant præſtitiſſe, quàmcitiſſimè authoritate Antiſtitam quoque renunciarent: neque hoc ſemel, ſed iterum, atque iterum, omnium ſuffragio, obire munus debuit, quamquàm invita. In eâ authoritatis amplitudine, nemo plus imperium cum ſuavitate temperavit; nemo plus exemplo ſuo religioſæ diſciplinæ cultum promovit. Rem domeſticam auxit, implicata negocia expedivit: Sacras Ædes, & Templum inſtauravit magnificè, aliaque quàmmulta matura Cœlo heroicæ, univerſæque virtutis monumenta Terris reliquit.

Vix hæc, cùm ad me Famius: O' planè miram Virginis Heroinæ commendationem concinno hoc, & ſuaviſſimo ſermone tuo illuſtratam, Parthenie! Quid me urgebas, ut dicerem? Egon', ut coram Roſcio manus moverem? Quis te preſente magiſtro, amens adeò, ut mutiat? Cui tùm ego: næ tu mihi caput demulceas Fanni. Non is ſum ego, ut placeam mihi de meo, ubi quantum quantum eſt laudis, totum id ſibi Materies vindicat. Hîc ſtatim Lævinus: Modeſtiſſimè, ut ſoles, Parthenie: At modeſtiam iſtam tuam nunc amem potiſſimùm, quòd in Mecænatis tui, ejuſque commendatiſſimæ Familiæ laudem recidat ſummam, ut cæcus ſit, qui non videat. Equidem poſthàc, Pirnitzienſi Aulæ haud invideam: in eâ enim, utut affabrè depictæ, mortuæ tamen Heroum Icones oculis exhibentur; hîc verò Heroes ipſos, vivis eloquentiæ coloribus, voce ipſe tuâ, pingis in animis. Quid ſi deinceps etiam in chartis? Hanc abs te Poſteritas, hanc Puteolanæ Hyemes, hanc denique Mecænas tuus, æternùm victuram, enixè ſibi poſtulant operam. Atque hanc, me reſpectans, ſubjecit Cotta, omnium nomine, tibi de erudito labore gratiam habeo: itàque fiet, ut non una tantùm Europa, ſed orbis univerſus Collaltinam Domum noverit aliquando fœcundiſſimam Heroum Parentem. Cui tum ego: Antevertiſti me, Cotta: Iſthùc jam ibam; ut multa uno fine concluderem. Eò nimirum Collaltinæ Gentis gloriam, planè ſingularem evectam, ut ex eâ exiſtat nemo, niſi Heros, & multis quidem nominibus Heros; quod videtur anſam dediſſe non imi ſubſelii Viro,

ro (1), ut luculentissimo Anagrammate eandem, quam modò exposuit uterque nostrum hac in re sententiam, declararet. Ecce tibi Programma *Collalta Domus*: audi nunc numericum Anagramma purissimum, *Heroum Mater*. Quo vix audito, unanimi omnes plausu eò lubentiùs assensere, quòd rem ipsam tangeret acu. Interea loci adest Fabiolus, monetque venisse Neapoli Collegii nostri moderatorem, & de Parthenio Vate rogasse, ubinam locorum detinerent Musæ? Velle se, subjecit, ut aliquod sibi eruditi laboris pensum reddatur, quo frui optat magis, quàm adornato jam prandio. Ad hæc illicò: maturemus, inquam, ut meritissimo Hospiti morem geramus; nullàque interpositâ morâ, domum rectâ perreximus.

(1) Tomas Epis. Opus variorum carminum genere scribus refertum.

HYEMUM PUTEOLANARUM

LIBER III.

CAPUT I.

Dum in Editiore Aniani Colle ad Bajani sinus prospectum consideritur, multa de illo, non nulla de Caligulæ Ponte perquisita.

VIII. Kal. Jan. in Aniano Rure, unà cum Fannio, imprimis familiarissimo, de more rusticabar. Dum autem secundo à festivis die tres continentèr horas cum Musis transegissem, me Fannius adit; ingressusque Musæum, eja age, inquit, satis superque Musis datum est; velim tandem, ne tensus diù frangatur arcus, manum de tabulâ. Cui tum ego: peropportunè tu quidem mones; jam istuc meditabar; teque, postremis hisce versibus expolitis, accersiturus eram. Et ille: si ità, inquit, surge igitur, & ut animus studiis infixus relevetur, abeamus ambulatum. Præstò sum, tum ego: At quò nos, Fanni, pedes? Et ille: ni grave sit, in eum censeo editiorem Collem, ex cujus apice omnem te Bajarum sinum circumspicere, & Puteolanam spectare Urbem, jucundissimè datur: Eò siquidem nitidissima hæc dies, & placidissimus hic aër non alliciunt modò, sed etiam invitant. Cui ego: utut

utut longulum sit iter, æquissimum tamen est, hunc tibi morem gerere, eamus. At mane tantisper, ut binos, qui modò injussi prosiliunt, ne memoriâ excidant, versiculos adnotem. Mox, ubi calceos induimus, accepto pileo, & baculo, per compendiariam incedentes, rectâ in sylvam, Regiæ venationi servatam, evasimus. Hîc perpauxillùm immorati, ut eodem tempore & oculus visu, & auris avium cantu, & voluptate animus pasceretur, iter resumpsimus, lentoque gradu ambulantes ad collis apicem direximus. Hùc ut perventum, ad Bajani sinus prospectum consedimus; quem Fannius, postquàm avidissimis oculis lustrare desiit; me respectans, eja, inquit, Parthenie, dic amabo eâ synceritate, quam ego inter cæteras tuas dotes primam numero, sit ne hoc, quo fruimur, aspectu in toto orbe alius jucundior? Isto enim, ni me fallo, nescio quid pulchrius inveniri detur. Cui tùm ego: Dicam, ut jubes; eòque lubentiùs, quòd res ipsa oculis loquitur, sibique fidem mirificè conciliat. Tres, ut nunc memini, extant oppidò miri, & quaquaversus jucundissimi prospectus. Alius ex Babylonicæ cujusdam Pyramidis vertice; undè Ægyptus omnis, totusque Nili alveus, maximè id temporis, quo regius ille amnis inundat, circumspectatur. Alius verò ex campis, qui suprà Thermopylas sunt, quosque magnifico nomine Thaumacos appellarunt Græci; undè Thessalicæ amœnitatis gratia, uno veluti obtutu, colligitur. Alius denique, & longè jucundissimus, quem ipse, cum Rhegii Julii Philosophiam edocerem, ex nostrâ villâ, contra Messanam sitâ, admiratus sum crebrò, diùque, at nunquam satis. Tenes, Fanni, in meis libellis mentionem de his aliàs incidisse? Et ille: teneo, inquit; imò & verba penè ipsa ex Veris Herculani lib. 1. cap. 9. recitarem, præsertim quæ susiùs, atque elegantiùs, cap. 3. de Mamertino portu, ac Theatro scripsisti, si supervacaneum non esset. Benè est, tum ego; at ades dùm, atque audi: utut admirabiles, æquè, ac jucundi sint modo memorati prospectus; hunc tamen non meo, sed aliorum judicio consultiùs admirabiliorem multò, multòque jucundiorem definiam. Mitto Dionem, qui in Augusti Cæsaris Vitâ, Bajarum Urbem, & sinum Thermarum copiâ, Templorum magnificentiâ, Terræ solo calidis aquis irriguo, non ad luxum minùs, quàm ad morborum curationem idoneis, & naturæ, & artis miraculum jure deprædicat. Mitto breve illud, maximèque ponderosum testimonium Volaterrani: *Apud Bajas amœnitas illa prædicata, & secessus Romanorum.*

rum : Instar omnium sit Blondus, magnæ fidei Auctor, qui sinum hunc vivis, ut solet coloribus depingens, *Terram*, inquit, *omnium Italiæ pulcherrimam ambit, in qua Bajæ fuerunt, Civitas opulenta. Idque omne solum, & si quinis productum est millibus; latitudine tamen parum variata, duo alicubi, & minus alibi millia explet, ut digiti unius speciem præseferat. Quo in terrarum, ut ita dicam, Digito tàm multa cernuntur partim integra in subterraneis, partim superiùs semiruta, partim in ruinas collapsa veterum operum monumenta, ut extrà Urbis Romæ mœnia, nihil illi, toto orbe terrarum, Ædificiorum magnitudine, & pulchritudine par credam, existimemque fuisse, ut non injuriâ dixerit Horatius.*

Nullus in orbe locus Baiis prælucet amœnis.

Ad hæc statim Fannius : Nihil, inquit, aut elegantiùs, aut ad rem accommodatiùs dici posse, reor : nec quempiam puto insanum adeò, qui testimonio tàm luculento refragetur. Cui ego : Sapienter tu quidem Fanni: cætera quippè si fidem impetrant, istuc extorquet. Et ille : assentio, inquit : Tuam verò, Parthenie, tàm insignem modestiam cum singulari eruditione conjunctam, nequeo, quin mirer. Quid enim alieno potiùs, judicio, quàm tuo rem conficere maluisti? Cui tum ego : mirari jam desine; id factum puta, ne Patriæ amore, quem cum lacte hausimus, falli me de facili incusares. Et ille scio, inquit, inditum à Naturâ ipsâ studium in Patriam at scio etiam complures, quos non nisi externa delectant, maximèque tenentur (quod vix credas) nativi soli fastidio. Atque hi, certè, tùm statim ipse, in ultimam essent barbariem jure amandandi. Non is enimverò sim ego, ut suavissimis hisce Pietatis, ac benevolentiæ stimulis urgeri me nullus sentiam : hinc ideò exterum selegi Auctorem, cui nuda veritas placuit ; quam nec livor, nec cæcus Amor valeat unquam obtegere, valeat adulterare. Non negaverim tamen, duo scitu digna, quæ quidem Baiis florentibus ad laudis cumulum faciebant, silentio Blondum involuisse. At quænam isthæc? tum ille. Cui ego: amœnam scilicet, ac sinuosam tot anfractibus oram, lectissimis distinctam hortis, frequentibus interpictam villis, tot demum apricis præcinctam collibus, undè tàm mira spectantibus creabatur voluptas, ut jure cecinerit Martialis.

Litus beatæ Veneris aureum Bajæ.
Bajas superbæ blanda dona Naturæ,
Ut mille laudem, Flacce, versibus Bajas;

Laudabo dignè non satis tamen Bajas.

Jam verò Bajanos inter luxus Villas potissimùm adnumerandas, qui inficias iverit, puto esse neminem. Et ille: nemo, inquit, fiet, nisi fortè cæcutiat: maximè autem si multæ fuerint, si sumptuosæ, si Consulares. Cui Ego: Quid si plures etiam Imperatoriæ, & spectabili loco positæ? Quid? tùm ille: Nihil oppidò ad voluptatem fingi posset accommodatius. At quæso te, ut hinc liceat perspicua saltem loca dignoscere, ubi erant præcipuæ Cæsarum Villæ; nunquam enim ex Auctoribus aliquid hac super re certi potui colligere; variant plerumque. Atque Ego: ita sanè: Res est non parùm implicita; neque hinc valdè commodum discriminatim omnia commonstrare: Oram phaselo legere est opus, & lustrare singula, atque ex iis, quæ extant adhùc, ruderibus plura deprehendere. Neque, ut benè multa scrutemur, dies sufficiat. Hìc ille: Hanc, inquit, curam in longiusculos dies reiiciamus; modò, si lubet, quod potes, editiore ex hoc loco nonnihil innue, ne opportuna fugiat, aliquid ex te addiscendi occasio. Cui Ego: Amico ut obsequar, ansam en teneo. Intende oculos: Eum, qui Baiis imminet, Montem jam vides, cujus in vertice Dictatoris Julii Cæsaris Villam fuisse magnificentissimè extructam, satis perspectum omnibus est, quæ quidem non modò subjectam Urbem, sed etiam, ut scribit (1) Tacitus, Subjectos Sinus editissima prospectabat: eòque mihi certius, quòd inibi pervetusta præ cæteris reperta Statua Julio Cæsari locum fuisse Sacrum designat: atque hoc indubitatum prorsùs penes me facit, ad simulacri basim, uncialibus notis, Inscriptio hæc: *Gen. C. Jul. Cæs.* Nunc quæso, dejice tantisper oculum, atque aciem dextrorsùm perpauxillùm inflecte; Supinum ne collem, qui medius inter Avernum, & Trituli Thermas patet, secernis? Ita, tum ille, & quidem clarissimè. Benè est, hìc Ego: In Collis parte elatissimâ, magni olim Pompeii Villa, urbani nitoris, atque elegantiæ plena, Cæsareis opibus æmula, consurgebat. Neque hinc multùm dissita (ut ab historicis monumentis licet colligere) C. Marium, austeris moribus Virum, excipiebat Villa clementior. Hìc Fannius: laudo equidem, Parthenie, Romanorum industriam: omnes enim, ut vides, præstantissimi Viri in summis jugis, & Collibus Villas suas, atque Ædes posuere, ut salubriori fortassis Cœlo, atque apertiori aspectu voluptè fruerentur. Cui tùm Ego: non malè conjectas Fanni; at non eâ tantùm de causâ factum id puta; verùm, ut severio-

(1) Lib. 14.

riores Viri Ambubajarum illecebras, Nautarum ſtrepitus, omneſque Bajanæ Urbis, ac litoris fœdiſſimas, in receſſu veluti ſanctiori, voluptates deſpicerent. Atque hinc opportunè in mentem venit celeberrimum illud Senecæ monitum: *aſpice, inquit, quam poſitionem elegerunt, quibus Ædificia excitaverunt locis, & qualia, Scias non Villas eſſe, ſed caſtra.* Hoç Fannius loco: Habeo, inquit, tibi, Parthenie, gratias immortales, quòd tantâ me eruditione ditaſti. Nec ultra miror, maximas operum moles in eâ, quam cernimus altitudine, imperatorio ſumptu, extructas: illud profectò mirandum magis, quòd antiquæ ſeveritatis Heroes inter delicias, contrà delicias ipſas, munitiſſimam veluti Arcem locaverint, ne luxu, & voluptatibus frangerentur. Atque hanc puto ſummam animi altioris induſtriam, illecebras omnes, quibus vires turpiter enervantur, quàmlongiſſimè arcere; ut ad rem aptè Mantuanus.

Epiſt. 51.

Lib. 3. Georg.

.... Non ulla magis vires induſtria firmat,
Quàm Venerem, & cæci ſtimulos avertere Amoris.

Cui Ego: Bellè tu quidem, Fanni, animadverſionem hanc tuam Poetarum Principis ſententiâ obſignaſti. Atque utinam aliæ, quas ad ſuperbiam Bajæ oſtentabant, imperatoriæ Villæ eâdem fuiſſent poſitæ induſtriâ; non eò planè, ſine ullo pudoris fræno, irrupiſſet libido, ut turpiſſimâ infamiæ notâ Bajanum ſinum coinquinaſſet. Et ille: laudabile quidem certè; ſed irritum nunc omninò votum. Quamobrem perge reliqua. Cui tum Ego: Clementiſſimam, ut cernis, oram frequentes paſſim ædes, Villæque cingebant. Domitiano Cæſari, non procul à Litore, inſtauratam cum Vivariis Villam ex Plinio eruimus; ubi inter cætera regifico luxu ad voluptatem parata, illud memoriâ oppidò dignum, quòd è Vivario, ipſius Domini voce, acciti Piſces, ſponte ad manum venirent, Hìc ſtatim Fannius: Si benè, inquit, memini Parthenie, Martialis extat Phaleucium, quod fortaſſis ad argumentum eſt. Imò, tùm Ego: ipſiſſimum hoc, quo de agimus: Si tenes, recita acuti hominis Epigramma: Et ille: Eccum ipſum.

Lib. 5. Ep. 4.

Piſcator fuge ne nocens recedas;
Sacris piſcibus hæ natantur undæ,
Qui norunt dominum, manumque lambunt;
Illam, qua nihil eſt in orbe majus.
Quid? quod nomen habent; & ad magiſtri
Vocem quiſque ſui venit citatus.

Ab hac porrò diſtare partùm crediderim, quam Lampridius in-

inouit, Juliæ Mammeæ Villam celebratiſſimam à Severo; amantiſſimo filio Matri ſuæ ad pietatis ſingulare monumentum ſplendidè erectam : ne verò ulla ibi ad ſuaviſſimum ocium deſideraretur voluptas, per ſumptus ingentes, admiſſo etiam mari, ſtagna adjecit. Denique, miſſis aliis, haud procul à Tritulis, cultiſſimam Piſonis Villam amænitate ipsâ amæniorem, Tacitus ponit ; ubi omnia ſummo pretio comparata, atque ad animi mollitiem exquiſita diligentiſſimè. Thermæ ipſæ, quà amplitudine, quà artis elegantiâ adeò commendatæ, ut Nero Cæſar non aliò divertere ad balnea ſoleret. Hoc loco Fannius: Maximum, inquit, iſtuc amænitatis argumentum, placuiſſe Neroni; cui nauſeam frequentiſſimæ creabant deliciæ, & Domus niſi aurea, ridebat nulla. Ita planè ; tùm Ego : *tantâ enim loci amænitate captus Cæſar* (verba penè ipſa ſunt Taciti) *crebrò hùc ventitabat, balneaſque, & Epulas inibat omiſſis excubiis, & fortunæ ſuæ mole*. Nec cæteroqui illi deerant aut liquidiſſimæ Thermæ, aut facta in litore ad ſolutiſſimam voluptatem palatia, ut ea omittam, quæ vèl in hoc ſinu impius invaſerat Domitiæ Amitæ ſuæ, per venenum ſublatæ. Quis porrò, Fanni; reliquas numeret equeſtri luxu & conſulari moles pulcherrimas, quas paſſim temporis vetuſtate, & maris obrutas fluctibus invenimus? Quàm profectò ſapiens Judæorum Rex ille Ariſtobulus, qui Romanorum Villas in Bajano magnificentiſſimè exornatas, & periſtyliis ingentibus, & ſimulacris, & pavimentis, & pretioſiſſimo e marmore parietibus diù contemplatus, quanta eſſet Romæ amplitudo, quanta majeſtas, indè conjecit! Hîc ſtatim Fannius: Quàm bellè, inquit, quàm copioſè, quæ præteriit Blondus, politi ſermonis melle, ſuppleſti, Parthenie! Nec levia ea eſſe crediderim, quæ audita tantùm ingenti animum voluptate perfundunt. Ità planè, tùm Ego : at quota hæc Bajanæ magnificentiæ pars eſt? Quid ſi etiam (quod & Blondus omiſit) naturâ jucundiſſimum, tutiſſimum ab arte contigiſſet videre Bajarum Portum? Et ille: Numquid amabo te, Parthenie, præter id, quod in præſentiâ cernimus, in eum munificè Natura contulit? Nam quod voluptatis, & commodi etiam ab arte multùm acceſſerit eâ tempeſtate, conjectare mihi ex aliis facile eſt. Cui Ego : Ecquid Fanni, ſi, quem modò portum videmus, conferas cum antiquo; Ecquid, inquam, nunc vides, niſi, ut ità dicam, Cadaver merum? Nonne, & ipſa naturæ dona paulatìm in dies minui, ac dilabi penitùs, ſi non certum aliundè, hinc certo certius conſtaret? O' humaſ-

Tacit. libro 5.

Idem lib. 13. & 14.

manarum rerum viciſſitudinem! Ubi jam hoc loci clementiſſima illa Cœli clementia? Ubi in ſinu ipſo dulciſſimo dulciores ſinus, nativis ſcopulis intercluſi? Ubi piſcoſi lacus? Ubi maris reductus, aliaque omnia, quæ ibi ad lenocinium Natura concluſit? Vix præſens figuram ſervat lunatam vetuſti portus. Quid non hoſtium, quid non maris, quid non denique ignis ira turbavit, perdidit, ac peſſum dedit? Jidem ſanè qui modò, at quantò jucundiores portuoſum Sinum coronabant Colles gratiſſimi nemorum umbrâ, qui modò ſqualent ambuſti. Adde in pulcherrimi Theatri formam diſpoſita circumquaque Ædificia, quæ ſuperbam adventantibus Scænam, procul etiam exhibebant; nec tot ſparſim jactæ in hunc Sinum moles adimebant quicquam, quin potius venuſtati pretium adjeciſſe putaverim. Accedit denique ad cumulum externarum navium frequentia. Hùc enim onerariis navigiis, ſine numero confluentibus, omnium gentium merces exportabantur. Meritò igitur nullam amæniorem, frequentiorem nullam, quàm Bajarum ſtationem aſſeveranter pronunciavit Petrarcha. Et ille: Tanto viro ſubſcribo quàm lubentiſſimè. Quid enim voluptuoſius fingi poteſt, quàm uno, eodemque intuitu, & in montibus fixas, & nantes in mari ſylvas perluſtrare? Imò tùm Ego: Quid commodius, quàm immenſâ penè mercium omnis generis multitudine hùc etiam peregrè advectâ, venumque expoſitâ uti facilè poſſe, atque frui? Atque hìc ſtatim ille: non oppedo, quin aſſentior prorſus: utrumque ad ornamentum facit, & publicæ Rei utilitatem. Quid Ergo ad plenam, abſolutamque Urbis felicitatem poterat ulterius expeti? Quid? tum Ego: Quid? ais: illud ſcilicet, ne tot luxus, tot illecebræ, tot una in Urbe ad amæniſſimum ſinum congeſta voluptatum genera, Civium, atque incolarum mores animoſque fædiſſimè corrupiſſent. Et ſanè. Bajas multò vitiis celebriores, quàm ſitus amænitate fuiſſe peſtifero præſertim effrenatæ libidinis Cœno, quis peregrinus adeò eſt, qui ignoret? Nec verò neceſſe eſt, innumeros penè, hac ſuper re, Auctores à me recenſeri. Ibi Tullius turpiſſimas Clodiæ libidines inſectatus, meretriciam collocat vitam: ibi Ambubajarum Collegia Horatius ſtatuit, Apuliæ tuæ decus, atque ornamentum: ibi denique longo ordine per litus, & ripas diſpoſitæ ganeæ turpiſſimæ, ubi Scorta, & pellices Nautas, hoſpites, imò Neronem ipſum, teſte Svetonio, præternavigantem, per ſummam impudentiam circùm undique orabant, ut appellerent. Hîc Fannius: Quid, inquit, excogitari unquam

Lib. 5. Ep. 4.

Oratio pro M. Cælio.

Saty. 2.

quam poteſt vel in ipsâ impudentiſſimâ Clodiâ impudentius? Mirari jam deſino tàm præcipuo hîc habitum in honore Veneris nefandum Numen, cui Bajano hoc ipſo in litore Templum eâ tempeſtate poſitum memini. Cui tum Ego: nolim putes, Fanni, unum hîc Veneri dicatum templum, ubi quot Domus, quot balneæ, quot Thermæ, totidem ſcito probroſo Numini Delubra, totidem Ædes olim devotas: Etenim preſſiori, ut ſolet, ſtylo Seneca ſcribit: *Illic ſibi plurimum luxuria permittit. Ibi tanquam aliqua licentia debeatur loco, magis ſolvitur. Videres Ebrios per litora errantes, & Comeſſationes navigantium, & Symphoniarum cantibus perſtrepentes lacus, & alia, quæ velut ſoluta legibus luxuria, non tantùm peccat, ſed publicat.* Jamverò quæ tot illecebris, hominum indoles, quamquam aſperitate ipsâ aſperior, non frangeretur? Ipſum equidem puto Catonem cum omni ſeveritate vincendum, *Si*, ut idem Auctor addit, *præternavigantes adulteras dinumeraret, & aſpiceret tot genera cymbarum variis coloribus picta, & fluitantem toto lacu roſam, & audiret canentium nocturna Convicia.* Quid mirum ſi Annibalem, (1) ut Florus memorat, invictum Alpibus, indomitum armis, ſubegerunt tepentes fontibus Bajæ? Uſque adeò verum, Fanni, quod didici ex Tullio puer: voluptatem eſſe capitalem peſtem, & malorum omnium matrem, atque altricem. Ità enimverò, inquit Fannius; at eandem iſtam, amabo te, Parthenie, obſcœnitatis memoriam, imaginemque ab oculis, ab animo depellamus. Faceſſamus hinc properè. Quæ verò abs te reſcire vehementer avèo, de via, ni grave ſiet, vel domi commodiùs ediſſeres. Cui tùm Ego: Hanc tuam, Fanni, eximiam animi honeſtatem laudem ne potius an mirer? Abeamus. At quænam ſciſcitari à me modò innuiſti? Et ille: reſpirare, inquit, te ſinam aliquantiſper, donec ad declivis, ac tortuoſi collis radices lento gradu, ac difficili tandem venerimus. Ubi autem ad ſubjectam regiæ olim venationis planiciem, non ſine aliquâ corporis defatigatione, perventum eſt: hîc tantillum ſedeamus, inquit, Fannius: Te quippè reliquum viæ, uno continenti ſpiritu, conficere minimè patiar; & me quoque intermiſſa mora opportuniùs rogantem juvat. Tùm Ego: benè habet, Fanni, conſidamus. Dic jam ſodes, quæ nuper ſcitari erat in animo? Et ille: tria, inquit, rogo, planiùs exponas ab ovo, ut dicitur, ad mala: Primum, quæ de celebratiſſimo C. Caligulæ Ponte prodierunt in vulgus, quam ſibi fidem merentur?

Epiſt. 51.

(1) Luc. Flor. lib. 2. cap. 6.

Al-

Digitized by Google

Alterum porrò de mirabili novi Montis origine, quem nocte unâ è parturientis veluti Telluris sinu emersisse, constans est omnium rumor. Tertium denique: quot, & quàm congruæ super lucrino lacu sint conjecturæ, ubi fuerit, cur defecerit, quid tantum apud veteres celebratus? Cui tum Ego: Uno cursu vin' tria stadia conficiam, Fanni? Vix modò explere primum licessit per tempus: reliqua duo statim à prandio, ut enarrem, fore promitto.

Pontis, quem Gáligula construendum jussit, longitudo.

Quoad primum igitur, ut compendio utar, id mihi certum, exploratumque est, Pontem hujusmodi termille, & sexcentorum ferè passuum longitudine, quantum est interceptum maris spatium Puteolos inter, & Bajas, a Puteolano litore ad bajanum usque extructum fuisse. Tantundem verò in longitudinem protendi rectâ potuisse, nisi plurimi cum (1) Svetonio affirmarent Auctores, mihi periculum non semel factum certissimè comprobaret. Hinc tamen puto, non continuò reprehendendum Dionem in Claudio; cum interjectam distantiam ferè trecentis, & quinquaginta passibus facit minorem; ipse enim Baulos inter ac Puteolos stadia tantùm numerat sex, & viginti; quod constare adamussim, nec veritati adversari quicquam videtur; nam ut ex Dionis ipsius verbis apertè liquet, ad proximiorem continentis partem injectus Pons pertingebat, eamque Baulos appellat, locum contrà Urbem situm ad mare, quod Puteolos intercurrit, & Bajas: διὰ γ, inquit, τῆς θαλάσσης τρόπον τινὰ ἐπωίησαν γεφυρώσας τὸ μεταξὺ ΠΤ τὲ ποντιόλων, καὶ ΠΤ Βαύλων, τὸ γὰρ χώρων τοῦτο πάντ' ἐλαττωθὲν τῆς πόλεως ἔξω, διέχον αὐτῆς σταδίους ἓξ, καὶ εἴκοσι, Neque id mirum, hâc super re variare aliquantulùm scriptores: cùm enim ex recurvi litoris tractu alia sit ad punctum aliud longitudo; indè factum, ut modò brevior, modò productior ducta sit linea; quatenùs compacti Pontis excursum nunc ad paulò remotiorem, nunc propiorem litoris terminum rati sunt pertinere. Affatim, inquit Fannius, de longitudine hactenùs visum est; nunc, ex qua potissimùm materiâ opus tàm ingens, tàm mirum constructum fuerit, si lubet, edissere; non enim in aperto rem esse, omnique à lite sepositam ipse crediderim. Cui tum Ego: Divinasti; hùc tamen ibam; atque audi. Sunt qui ex superbâ Pilarum mole, quarum adhùc reliquias ad Puteolanam oram videmus, constratum fuisse opinantur: eo præsertim ducti argumento, quòd Pilis etiam hujusmodi, quadrato lapide, Trajanus, cum in Dacos bellum inferret, in Da-

(1) Svetonius cap. 19.

Non mirum, quod in eâ definienda variant Scriptores,

Ex Pilis, quarum extant reliquiæ, confiatum Pontem, putant nonnulli,

nubio Pontem, jussit extendi, Eâ quoque conjecturâ moventur, quòd Pilarum intervalla arcubus concamerata ad Pontem potiùs, quàm ad Portum efficiendum accommodata videntur; neque enim, inquiunt, Stationem reddunt navibus tutam apertæ Pilæ, quæ maris æstum defacili sævientem admittunt. Hæc ipsi. At non auctoritate tantùm, verùm etiam multiplici rationum momento, toto convincuntur cœlo aberrare. Et sanè Puteolanam Navium Stationem vetustissimam esse, ipsâquè cum Dicharchiâ constitutam, prætermissis aliis, unus instar omnium, testis est Livius. Hìc, anno ab V. C. DLXXV. M. Junio Bruto, & A. Manlio Volsone Coss. *In portu Puteolano, duas Naves*, inquit, *de Cœlo tactas.* Jam verò Stationem hanc hujusmodi ex pilis tùm primùm factam, Strabo (1) affirmat luculentissimè, dum productas memorat in mare Pilas, quibus apertiores litoris partes angusto sinu ità concluse, ut subduci tutò onerariæ Naves commodè possent. Hùc facit, quod clariùs in Epistolis (2) Seneca, de Alexandrinis navibus scribit: *quarum gratus campaniæ* (verba sunt Auctoris ipsissima) *aspectus: omnis in Pilis Puteolanorum turba consistit*. At, ne diutiùs in re tàm certâ immoremur, scito; longè antiquius Caligulæ Ponte Pilarum opus ab Antonino Pio, Adriani Filio restitutum esse; quod testibus cæteris certior vetus lapis, incisis notis, commonstrat. Hoc Fannius loco: Eruditè tu quidem, inquit, ut soles, Parthenie; nec rem puto meliori in lumine collocari potuisse. Pergè nunc, ut cœpisti; & tot probatæ fidei testimoniis rationum pondus præsidiumque adjungito. Præsto sum, tum Ego. Sit primo loco argumentum, quod Pilæ ipsæ exhibent; idque, ni me fallo, solidissimum. In ipsis quippe lapidea visuntur ad hoc usque temporis Retinacula. Hæc porrò, Fanni, amabo te, ulli ne fuisse usui credendum? Et ille: ità planè; ni fatuos, quin etiam stultos putem Auctores. At cui? tum Ego: Num ad Pontis structuram? Sed, quæso te, quid Retinacula ad Pontem? Et Fannius: ad Portum scio Retinaculis opus; quippe quæ anchorariis funibus retinendis deserviunt. Hinc oppidò Straboni assentior, sinuatam hanc molibus hisce litoris partem fuisse, ut tutiùs onerariæ Naves subducerentur. Cui Ego: tenes jam omnia Fanni. At, si qua animum dubitatio percelleret, hoc uno, quod rem conficiat, argumento, velim abstergas. Quinque, & viginti omninò substructas ab initio Pilas, eâ latitudine, quam quæ superant quatuordecim, nostrâ hac æta-

Puteolani Sinus Pilæ ad Navium Stationem multo antè Caligulæ tempora accommodatæ.

(1) Strabo libr. 5.

(2) Seneca Epist. 78.

Præter authoritates, rationum etiam momento id stabilitur.

Digitized by Google

ætate; præferunt, compertum quàm quòd maximè est. Hìc porrò numerus, & ordo, quo superstites Pilæ sitæ, ac dispositæ videntur, poterant ad Bajas nullo modo tendere, ac pertinere. Et quidem si ad numerum spectes, fieri neutiquam credas, ut tanta distantia tàm paucis arcubus clauderetur; quæ nâmque trium millium, & sexcentorum passuum cum Pilarum quinque, & viginti, ut ut maximâ intercapedine, comparatio? Si ad ordinem, quo dispositæ; Cæcus enim verò sit, qui non videat ad eum sanè locum; quem Tripergulas vocant indigenæ, non ad Bajas rectà collineare. Quid ergò aliud modò ad coronidem delideretur, nisi ut potissimam contrariæ sententiæ, quam initio rationem proposui, plumbeam omninò esse, atque clumbem paucis ostendam; quod facili negocio fiet. Neque enim quod vacui relictum est inter Pilas quicquam incommodi navibus afferret; tum quia, si quis ferveret æstus, hunc frangerent Pilæ frequentes: tùm etiam, quòd Moles istæ, quà parùm apertæ sunt ad Septentriones, vicinis Collium jugis teguntur: quà verò ad Austrum, undè majores in eo sinu tempestates ingruere solent, eâ veterum prudentiâ in altum jactæ, ut ventis immotæ, & fluctibus, obliqua latera obvertant. Illud quinimò accedit ad commodum, quòd maris accessu, ac recessu sordibus, aggestisque persæpè arenis portus purgatur. Quo fit, ut omnis abigatur cæni odor gravis; & promptior ad recipienda navigia aditus pateat. Hoc Fannius loco: ne te amplius, inquit, vexes Parthenie: teneo ad unguem omnia; & quidem per te enucleata distinctè. Quod supereſt aperiendum, illud est; quonam opere, & qua materie tantam Caligula componi, firmarique Molem voluerit? Ità planè, tùm Ego: & ad manum res est, inquam: in qua nihil, quod demam, nihil, quod addam Svetonio; cujus in hoc fides, eò mihi probatior, quod ab Avo scientissimo, & Caii ipsius coœuo, quod scripsit, puer audierat. Certum itaque, exploratumque sit, conductis onerariis navibns, aliis ad aliarum latera applicitis, suâque singulis anchorâ in ordinem duplicem benè firmatis, mirificè compactum Pontem; suis tabulatis æquâ planitie instructum, suis hinc indè aggeribus communitum eâ amplitudine, ut Appiæ viæ instar haberet. Ecce tibi (siquidem in mentem veniunt) ipsissima Svetonii verba: *Novum præterea, atque inauditum genus spectaculi excogitavit. Nàm Bajarum medium intervallum, & Puteolanæ Molis trium millium, & sexcentorum ferè passuum ponte conjunxit,*

Relata initio sententia refellitur.

Quà patebant Aquilonibus Pilæ, oppositis Molibus tegebantur.

Conductæ per Caligulam Naves, quibus duplici ordine in longum dispositis, Pons constructus.

contractis undique onerariis navibus, & ordine duplici ad ancboras collocatis, Superiectoque aggere terreno, ac directo in Appiæ viæ formam. Per hunc pontem ultro citroq; commeavit, biduo continenti. Primo die phalerato Equo, insignis quercicâ coronâ, & lecuri, & cetrâ, & gladio, aureâque chlamyde. Postridiè quadrigario habitu, curriculoque biiugi famosorum Equorum, præseferens Darium puerum ex Parthorum obsidibus, comitante prætorianorum agmine, & in Essedis coborte amicorum. Ut recitavi: quàm bellè, inquit Fannius, subjecta oculis pompa omnis! Teneo jam satis, & miram oppidò Molis novæ structuram; & quod caput est, quem ad finem potentissimi hominis se jactaret superbia. Illam nempè, quæ in Urbium frequentiâ celebratur, utpotè quæsitam cæteris, ovationem sprevit: hanc uni sibi insolentem voluit, ac omninò singularem. Quasi verò parum effet ad triumphantis libidinem Terram subjecisse, nisi & equo, & curru invectus ipsum etiam mare subiiceret ambitiosissimus Imperator. Cui Ego: Euge, inquam Fanni. Quod jam olim Dionis, & Josephi hac de re scripta monuerunt, idem tu modò ad rem appositè innuis. At non hac tantùm de causâ Caligulam putes velim adductum. Est quod addam ex laudato nuper Tranquillo: id nimirum feciisse, ut Persarum Regem Xersem imitaretur, qui ex Asiâ in Græciam ponte transmisit, & angustiorem Hellespontum contabulavit. Vel ut Germanos, & Anglos, quibuscum bellum erat commissurus, magnorum operum laboribus perterreret, vel deniq; cùm sciret à Thrasillo mathematico dictum fuisse Tiberio, tunc Cajum in Imperio successurum, cùm Equo mare Bajanum præternavigaret; ne Thrasillum frustrà ominatum proderet, eâ Mole constructâ præternavigavit. Verosimilia quidem istiæc, tum ille; singula tamen superbissimi Cœsaris fastum, atque arrogantiam explicant satis. Ita planè tùm Ego. At audi modo, non superbi hominis tantùm, sed crudelissimi monstri sævitiem oppidò inauditam. Quid (malum) istuc? tùm ille. Cui ego: dicam, nec sine stomacho. Constitutum jam Pontem homo religiosissimus non antè ingressus, quàm Neptuno faceret; eodemque habitu Livori, ne qua opprimeretur invidiâ, sacra persolveret. Ubi verò Bajas, quasi in Urbem hostium, aurata cyclade indutus, irrupisset celeriter, acclamante circùm frequentissimâ Turbâ, *Maris Victori*, ne dignum Caligulâ præmium deesset, populum de Ponte plaudentem in aquas jussit illicò deturbari. Proh nefas, proh scelus! continere hîc vocem Fannius haud potuit,

Novæ Ovationis descriptio.

Insolens hujusmodi Ovationi Caligulæ superbiam innuit.

Dio in Claudio Joseph libr. 19. cap. 11.

Thrasilli Mathematici omen.

Antequam Cajus Pontem ascenderet, Neptuno, & Livori facit.

Summa ejus in triumpho crudelitas.

Digitized by Google

tuit, quin exclamaret. Cui ego : paulisper sustine, dum nefarium facinus numeris omnibus absolutum expromam. Impius pepercit nemini ; eosque etiam, qui se morti eripere laborabant utcumque, per vim extrudi, ac deiici imperitavit. Id quoque parum crudelitati. Ut jucundius accideret Tyranno exitium, voluit frequentius. Atque idcirco factum putaverim, ut per certa in eo Ponte interstitia, sua locarentur ordine diversoriola, quò ad compotandum confertim populus illectus, numero augeretur; itàque immanissimum vèl inter ludos Monstrum furori suo devoveret. Ita ne vero ? hîc Fannius. O' facinus, inquit, ne ipsis quidem Belluarum oculis exhibendum, ne post hâc Belluis utamur immanioribus ! Facessamus hinc properè, amabo te, Parthenie, & conceptam animo ex acerbissimo facto indignationem festivâ aliquâ narratiunculâ lenito ; atque ita reliquum viæ domum usquè consiciamus. Cui ego : longiusculum iter moras non patitur ; gradus grandire oportet, ne de corrupto prandio subeat indignatio acerbior, quam nullo valeam pacto lenire. Benè mones, tum ille ; & continuò perreximus.

Frequentiori gaudet ab nece immanissimus Imperator.

CAPUT II.

Nonnulla de novi Montis eruptione, & de Lacrino lacu à prandio, ut promiseram, differuntur.

POstquàm tardiusculè Puer trulleum, & guttum ad perluendas manus paraverat : Ohe, inquit Fannius, adesdum Fabiole, dentiscalpium è lucubratoriâ mensulâ, & Nicosiani pulveris thecam tandèm afferto. Vis iterum, ac tertiò dictum ? Et ille : sine pennis volare, & saltu in uno duos Apros capere, haud ità facile. Jam mox afferam ; liceat tamen summo indice pulveris aliquantillum in meas etiam nares immittere ; miro enim modo levatur capitis gravedo, dum excussa mihi sternutamentis pituita detergitur. Cui ego : Vah delicatulum caput ! An reticulo deinceps oloserico fuat opus tibi ? Hem Asinus in unguento, & rosâ ! Apage te hinc modò trifurcifer ; ni plagis emendatum probè te velis. Hîc secum mussitando Fabiolus : fumantem, inquit, Ursi nasum ne tenta. Statimque Fannio pulverariam thecam, & Odontoglyphidem attulit, hæc murmurillans in aurem : næ Ego naulum perdidi. Quid, tùm ego, Quid mutis mera insciti? Amove te ocyiùs. Cum verò ille subtristis aliquantulùm abire visus : da, hic ad me Fannius, da veniam, rogo

Par-

Parthenie, nec rogare desistam, quin tuam Fabiolo gratiam iterum impetrasso: adornavit optumè prandium Puer, & oleraceam mihi pultem præsertim confecit perbenè. Cui ego: geratur, inquam, mos tibi Fanni; sed Puerum nolo impudentem, nec in argenteâ, ut ajunt, quadrigâ bovem. Hic autem lotis jam manibus nos in hypæthram, Fabiolus in culinam, perreximus. Ut sessum est, quis prohibet, Parthenie, inquit Fannius, quo minus ad jucundissimum hunc maris prospectum institutam hoc mane persequamur dissertationem? Duo quippè (nam probè tenes) in pomeridianum disquirenda rejecimus. Unum de novo Monte: alterum de antiquo Lucrino. Ita planè tùm ipse. Et quoniam comperta res est: quæ ad improvisæ eruptionis historiam attinent; ea, quamquam calles, innuam paucis; paulò fusiùs occultam illius causam, dum lubet, prosequturus. Attende animum. Anno à reparatâ salute MDXXXVIII. ad Kal. Octobris propè Tripergulas, ubi olim publico Nosocomio locus: toto circùm succusso litore: reboante mari: subnigro latè squalente Cœlo, sub primam ipsam noctis vigiliam, Tellus intumuit; continuoque ex erecto telluris cumulo, multâ flammarum vi erumpente, vorago ingens aperta; mirum quantum ignium, lapidum, atque arenarum evomuit! Hinc dirutæ substructiones, Ædes, ac Villæ: hinc fruges, arbores, & campi vastati: quamplures oppressi homines, greges, armenta. Tùm mare ad bis centum fermè passus contractum; tùm novæ passim aquarum ebullientium scatebræ. Tanta interim diei, noctisque unius continenti spatio cineris, arenæ, & pumicum moles excrevit, ut & montem, & monti fecerit nomen Cinereo. Is complectitur in gyrum passus ad termille. Quod in meridiem spectat latus, ad mare: quod verò in occasum, exporrigitur ad Avernum; Eà verò parte, quæ orientem Solem patefacit, ejus pes Gauri pedem attingit. Atque hæc de novi Montis eruptione, amplitudine, ac situ. Restat jam, Fanni, ut causam inquiramus. Neque id sanè novum, & insolens; quod ignium vi per subterraneos meatus passim discurrente: cum prægnans aër, cum inclusus vapor, & crassiores è terrâ spiritus excitati, contineri angustiis nequeant, atque eluctentur quaquaversum erumpere, & exhalari; indè motus in terris, in mari æstus plerumque soleant existere. Illud porrò tùm maximè usuvenire certò affirmaverim, cum per id terræ genus bacchentur ignes, quod nitro, sulphure, ac bitumine scatere plurimùm, experientiâ duce, compertum est. Neque enim

Historica Eruptionis hujus narratio.

Novi Montis situs, & circuitus.

Eruptionis causæ vestigantur.

Digitized by Google

enim aliam putem reddi causam posse aptiorem, cur nostrâ hæc præsertim Campania succutiatur frequentiùs; nisi, quod circùmquaque, hinc flagrante Vesævo, hinc Leucogeis montibus, & sulphureo Vulcani Foro, hinc Puteolanis, Bajanisque Mephytibus, hinc denique Pythecusarum Balneis, Thermis, caminis, igneâ naturâ tellus toto latè tractu consistat. Quare per varias Telluris rimulas, veluti per opertos cuniculos, cum sese provehit flamma; ubi, quam diximus, crassam, pinguem, oleosam nacta est materiem, corripit statim, eamque involuit totam, ac permeat. Adeò tamen quandoque convalescit ab alimentorum congerie; ut intumescens magis, magisque, dilatari se, laxarique contendat vehementissimè; Interim verò obluctante vel terræ, vel aquarum, vel montium superpositâ mole, omnia motari primùm, ac discuti: tùm crepare, disrumpi, ac dehiscere necessum est. Indè qui fecit impetus viam: idem exesos erigit scopulos: incendia evomit: eructat pumices, arenas, cineres, ferruminis etiam, & incocti æris interdùm spumas ejectat. Atque hinc est; quod non rarò, cum combustæ telluris cavitates, spatiaque intercepta, corrosis jam montium visceribus consistere ultrà non possent, deprimi terras, montesque subsidere partim vidimus, partim legimus. Hinc etiam attolli campos, atque in protuberantem latè tumultum, planitiem veluti inflari. Nonnumquam per abstrusos meatus, ac rimas exsugi, atque attrahi, continenti uno, vehementique spiritu, aquas Fontium, Lacuum, & Maris; quas vel exsiccat Tellus argillosa præsertim, atque arenosa; vel ignis paulatim absumit; vel aliò derivant tot, tàmque diversi, subterranei syphonum instar canales; vel denique vis eadem, quæ ingurgitavit, per os reclusum propellit, reiicitque æstuantes. Hæc passim omnia, quin longiùs abeamus, intrà exiguum temporis in nostro Vesuviano probè scis contigisse. Hîc autèm Fannius: siquando, inquit, Parthenie, graculis datur locus, dum canunt cycni; ex iis, quæ jecisti hactenùs, fundamentis, firmam satis de hujusce Eruptionis causa sententiam tuam certò jam colligo; Eamque montis cinerei molem, partim ex repentino prægnantis Terræ tumore: partim etiam ex aggesta ejectorum corporum macerie ingenti extitisse; urgente raptim, ac subvortente omnia abditorum ignium violentiâ, tute opinaris, ni fallor. Ità planè, Fanni, tum ego; mentem oppidò jam tenes meam; neque in eâ hærere te quidpiam censeo, illud si rescias quoque: biennio ante puteolanas oras terræ con-

Fusè ad subterraneos ignes hujusmodi eruptio refertur, qui maximè convalescunt ab siccis varii generis alimentis.

Exemplis, atque experimentis res comprobatur.

Per Epitomen ratio colligitur.

concussas motibus, assiduâque deinceps ad id usque temporis trepidatione turbatas. Adde (quod nuper innui) sulphurata passim earundem viscera, & marinæ aquæ salsuginem occulto suctu detractam, aliumque ejusmodi collectis ignibus fomitem. Benè habet, hoc loco Fannius: omnia planè expedita. Sed unum aveo summopere, quod saltem, Parthenie, velis paulò fusiùs explicitum: quî nimirùm fiat, ut ignem foveant aquæ, licèt sallitæ? Audio, tùm ipse; & dicam verbo. Salsæ aquæ tenuiores, vividioresque particulæ facilioti negocio permiscent sese, immittuntque per sulphuris, terræque bituminatæ poros, & canaliculos; itàque concretam illam, spissamque veluti massam subigunt, macerant, & quodam quasi fermento resolutam, atque friabilem disponunt magis magisque, ut ignescat facilius. Neque hoc putem captu difficile. Illud profectò non adeò cuique expositum, quod in simili Ortelius refert: in Namurcensi nempè ditione ex Terræ fodinis ejus naturæ lapidem erui, ut, qui inde excitatur ignis, extinguatur oleo, aquâ augeatur. Verùm aliàs in eo te, Fanni, Adipodem postulabo. Pergamus modò; atque eruditi aliquid lucelli è Lucrino libeat expiscari. Permulta sunt apud veteres, quæ olim vacuus cum lectitarem, mentem indidere satis implexam. Primò enim in alios incidi, qui Lucrinum mortui Maris nomine vocitarunt; atque hoc de facili dictum putavi ab aquarum tranquillitate, ac pigritiâ, ubi præsertim Juliis molibus marinus inde æstus exclusus est. Tùm verò aliis nuncupatum inveni sinum, aliis Portum, plerisque demum stagnum, Lacumque. Porrò quod negocii plurimum dedit, Lucrinum cum Averno confundi penes probatæ fidei Authores legi, ac præcipuè apud Strabonem; cujus hisce expressa verbis sententia: λοκρεῖνος λίμνος, καὶ ὁ τοῦ τύτου ἄρμος. Postremò quidem cum de Julio ibidem Portu sit sermo: nonnullos vidi, qui Julio Cæsari opus attribuant: nonnullos etiam, qui Augusto: nec paucos tandèm, qui Agrippæ. Mitto cætera hac super re abstrusa multùm, atque impedita. Equidem, hoc loco Fannius, nihil rebar, Parthenie, hac narratione dilucidum magis, atque extricatum. Cui ego: & extricabo singula, Fanni, quàm planissimè potero; Vacivas tu modò aures dato. Lucrinum, Romanorum delicias, Lacum fuisse piscatione olim celeberrimum affirmare non dubito. Nemo unus fuat, quem (si modò Poëtas triverit) lateat veterum luxus in lucrini stagni ostreis, & conchis. Nullæ id temporis Nobiles nuptiæ, quæ non viderent ostreas lucrinas: nullæ Equitum

Quî valeant sallitæ aquæ igné fovere?

Lucrinum alii mare mortuum dixere.

Alii Portum, Lacum, & sinum.

Alii cum Averno confundunt.

Piscatione olim præcipuè Ostrearum lacus fuit celeberrimus.

cœnæ,

cænæ; quas concha non commendaret ex eo lacu delicatiſſima; Atque hinc factum, ut laſcivuum Martialis lacum appellet.

Dum nos blanda tenent laſcivi ſtagna Lucrini;

Quamquàm illi à lucro datum eſt nomen. Obvia tibi Poetarum loca Fanni, lubens omitto. Pergamus. Neque enim certiſſimæ huic ſententiæ adverſantur, quæ nupèr innui, ſparſim à Scriptoribus edita; Nam, quandò parvâ admodùm iſthmo à Tyrrheno Lacus ſecernebatur; in eum, nondùm oppoſitis molibus, cum æſtuaret mare, irrumpebat; Quamobrem non ſecluſum à Tyrrheno ſtagnum, ſed ſinus eidem conjunctiſſimus videbatur. Exinde, cum jactæ in altum ſunt Juliæ moles, non excluſum penitùs ab eo ſinu mare, ſed æſtu refracto, moderatè immiſſum. Quoniam verò cum Tyrrhenis lucrinæ per Julium Portum aquæ communicabant, facillimè etiam, ut fieri plerumquè ſolet, communicata ſunt nomina; atque hinc, & undas dixere Julias, & Portum itèm Lucrinum. Satin'tenes hæc, Fanni; Satin'quadrant? & ille: miro modo; rem acu tetigiſti, Parthenie, & quidem candidiſſimè, ut promiſiſti. At illud ſupereſt, ut explanes, cui Portus Lucrino additus debeat tandèm adſcribi. Iſthùc ibam, tum ego. Et ſanè eos à veritate aberraſſe crediderim, qui Portum Julium ad Miſenum opinati ſunt à D. Julio extructum. Extant enim ad noſtra hæc tempora & Regiæ Molis ad Lucrinum veſtigia, & prærupta inibi adhùc ſaxa, ad communiendam molem dejecta. Audi Maronem abundè ſatis eo in loco verſatum.

Quid memorem Portus; Lucrinoque addita clauſtra;
Atque indignatum magnis ſtridoribus æquor?
Julia quà ponto longè ſonat unda refuſo,
Tyrrhenuſq; fretis immittitur æſtus Avernis.

Hinc autem, Portum ad Lucrinum à Julio Cæſare excitatum apertè ſatis erui videtur. Itane ſentiendum? Quod ad me, certum ratumque illud teneo, quod indubitantèr aſſeverat Svetonius; operâ ſcilicet vicies mille ſervorum, quos manumiſerat, & ad remum dederat, Portum Julium apud Bajas, immiſſo in Lucrinum, & Avernum Lacum mari, ab Auguſto Cæſare effectum. Hìc ad me ſtatim Fannius: Aſſentior authoritati; unum tamen evellas, qui me pungit, ſcrupulum, oro. Quid quæſo eſt, cur Julium potiùs, quàm ab Auctore ſuo Auguſtum Portum dixere? Cui ego. Attende; nodum diſſolvam. Sunt qui ab eodem Auguſto in gratiam Julii Patris, ità nuncupatum affirmant; cum eâdem etiam de causâ, quam certè

Lucrinum à lucro dictum.

Olim cum Tyrrheno communicabat.

A portu Julio parum diſiuncti.

Julius Portus cui tribuendus.

Svetonii ſententia probatur.

Solvitur Diffi. cultas.

condidit Augustus legem, pari jusserit pacto Juliam de Adulteriis legem vocari. Sunt etiam, quos ea tenet opinio: hujusmodi nempè Portum, vel ab Julio excitatum, & ab Augusto inde refectum; vel ab illo excogitatum, ab hoc postea ad normam positum accuratè. Sunt præterea (quod verosimilius censendum est) qui Augustum eundem, & Caii, ut ex Floro: & Julii, ut ex Svetonio liquet, nomine utroque appellatum, nomenclaturam inde cùm Legi, tùm Portui dedisse jure quidem merito putant. Exactè omnia, hìc inquit Fannius, ad amussim respondent. At illud, amabo te Parthenie, ne excidat; quânam ducti ratione opus hoc alii Agrippæ attribuant? Intelligo, tum ipse. Atque inde datam Straboni ansam facilè rear, quòd proximum Miseno portum Agrippa instruxerit, eamque ad Bajas viam munierit, quam primùm Hercules fecit, cum ad mare illàc ageret direptas Geryoni boves, unde perbreve iter ad Lucrinum erat. Quod demùm attinet ad Averni aquas intra Lucrinum fluentes, atque commistas; planum fiet recolenti ampliorem eâ tempestate Lucrini sinum, per quem effusi è Tyrrheno fluctus in Avernum conjuncto alveo immittebantur; unde illum complures Virgilii locum illustrant.

Tyrrhenusque fretis immittitur æstus Avernis.

Verùm (ò rem miseram, Fanni, & luctuosam!) Vix hoc tempore, ubi Augusti Portus magnificentia, ubi fuerint Lucrini lacus divitiæ, deliciæque; vix, inquam, vestigium aliquod, ac tenue monumentum habemus. Jacent obrutæ fluctibus regiæ moles; & qui primus in publicis vectigalibus Lacus numerabatur, novi jam montis eruptione teterrimâ, ingentibus cinerum, pumicumq; acervis nunc aret miserrimè contumulatus. Quàm bellè ad rem Venusinus.

Debemur morti nos, nostraq; sive receptus
Terrâ Neptunus classes Aquilonibus arcet,
Regis opus; sterilisve diù palus, aptaq; remis
Vicinas urbes alit.

Ita enim verò, tùm Fannius: Debemur morti, sed quoniàm sopor est *similima mortis imago*, nolim te, Parthenie, meridiano fraudatum somnulo. Plusquam satis est hodie relatum eruditi compendii. Hìc ego: & sanè, dum sopori aliquantillum impertio temporis in postmeridianum, meliusculè me habeo: concedamus.

Aliæ aliorum sententiæ eorsim referuntur.

Portum ad Misenum Agrippa instruxit.

Averni aquæ intra Lucrinum fluebant.

Aliquod Juliæ molis vestigium supereſt.

Lucrinum novi montis eruptione obrutum fuit, atque exsiccatum.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

In Amici adventu de antiquâ Puteolis Religione sermo instituitur.

DUm è Regiæ venationis sylvâ, quò valdè manè, unâ cum Fannio, motandi corporis causâ perreximus, in Anianam domum redimus; ecce tibi ex inopinato Lælius Niger, adolescens ingenio, morumque suavitate nulli secundus, qui è Cisio, quo erat invectus, citò desiliens: da veniam, inquit, Parthenie, si Puteolis Neapolim rediturus hùc de improviso diverterim. Dicam quod res est: incredibilis amor erga me tuus summâ cum benevolentiâ conjunctus, ut te salutatum deflecterem non suasit modò, sed etiam coegit. Cui tùm statim ego: nihil planè gratius, festivius nihil adventu hoc tuo accidere mihi potuit. Quamobrem veniæ loco, quam modestè rogas, quàmplurimas tibi ex animo gratias habeo. Hæc ut dicta, pleniori gradu domum concessimus; ubi accito statim Puero: Heus tu, inquam, ex quatuor, quos heri ad me dono misit Puteolis Titus Minucius Sabinus pipiones duos depilato, ternosque Turdos pinguiores, Fannio in cænam repositos, Amico hospiti assato. Fac præterea, ne desint pastilli, & quidem benè jurulenti, & caseati. Audistin'? Et ille: teneo, inquit, factumque puta. Hoc Lælius loco: ne te, inquit, Parthenie vexes: scis enim quàm imbecillis stomachi siem, unum si turdum comesse integrum valeam, modum excessi. Cui ego: esto; at quid tùm postea? Et Lælius: cætera, inquit, adornare supervacaneum mihi, & frugalitatis tuæ transilire leges videtur. At quàm bene, tùm ego: officii legibus congruit. Debetur hoc tibi, exiguum licet, amoris specimen, ac lætitiæ: id abundè, si gratum habeas; quamquam delibaveris nihil. Præterquamquod ne dubita: ad coqui manus redibit nihil; est Fannius, qui suppleat vices peregregiè. Subiratus amicè hic Fannius: ego ne inquit, hanc ut Parasitus ingrediar fabulam? Jam me diù nosti, Parthenie, non is ego sum, cui dapes permultæ, atque exquisitæ palatum vellicent; sed contentus capitatâ brassicâ cum samnitico petasone scitè conditâ, basilicè pransito. Cui tùm ego: An istuc labores, ut mihi, aut Lælio persuadeas? Sobrium te hominem probè scimus: at identidem coram Amico jocari quid officit? Si ità, tùm Fannius, quòd me ludum feceris, gaudeo: te enim

hilari animo esse Musis fuerit compendio. Eja tùm ego: quid hîc stamus ultra? Apertoque ostio, Musæum ingressi, vix consedimus, cùm ad me Lælius: Quid tranquilla hæc, inquit, Ruris otia, Musarum amor, hucusque emolumenti literis contulere? Quousque Hyemes tuas non Amici modò, sed Europa etiam ferè universa expectaverint? Hùc literatorum omnium publica vota; nam ut vident, lentè nimis de illustri hoc Opere agis, quòd Musis occupatus, de illo curam penè omnem deposuisse videaris. Ego etiam, si quid meæ apud te valent preces, oro, obtestorque, ut quàmprimùm postremam hanc Anni eruditi Partem in lucem proferas: Quantum in me excitet expectationis ea præsertim candidissimo stylo tuo descripta perlegere, quæ oculis ipsemet lustravi, vix credas. Biduò (quod impetrare potui à Prætore nostro) in Puteolano apud Minucium, affinem meum, sum commoratus: dumque per ocium antiquæ Urbis, & Agri amplissimi Rudera percurrebam, hæc identidem pulsabat animum cogitatio; quàm concinnè, quàm elegantèr hæc velit Parthenius noster eruta è tenebris, atque illustrata! Nihil erit profectò, quod litus hocce, quod sinus, Moles, Ruinas, aliaque veterum monimenta perquisitum exteri accedant; exhibebit omnia elegantissimè aureus Parthenii liber. Cui tùm ego: Quod ais, Læli, pro tuâ humanitate facis. Equidem si quid laboris, vigiliarumque Operi adiicere sinunt accisæ vires, id totum spondeo; enitarque, ut tanto Amicorum consensui videar non ingratus. Intereà Fannius aperto, simplicique animo vir; Quorsum, inquit, tanta in officiis mora? Expecto, Læli, ut quam potissimùm ex agro Puteolano rerum antiquarum notitiam hauseris, aliquandò depromas. Et ille: Permulta habeo, quæ lustrata cursim, & ordine exponam suo, & paucis.

Augusti Templum media in Urbe positum.

Antequàm igitur in Agrum pedem efferrem, mediâ in Urbe, dicatum Augusto Cæsari Templum, opere Corinthio mirificè concinnatum, summâ voluptate perspexi. Mirum sanè opus, tum ego: Illud siquidem quadrato extructum marmore; ac tenui adeò, si benè nosti, quod non ità obvium cuique, calcis junctura lapides colligati, ut tàm ingens, tàm superba Moles uno stare saxo credatur. Digna proindè & quam Coccejus, ut inquiunt, perillustris eâ tempestate Architectus erexerit, L. Calpur. L.F. DD.; & cui tandem Tempus, Hostes, Flammæ pepercerint. Hoc Lælius loco: quàmmaximas, inquit, tibi gratias habeo, Parthenie, quod plus ex unâ tecum confabulatione didicerim,

Digitized by Google

cerim, quàm attentis oculis egomet luſtraverim! Cui ego: coquinaria verba! ſed perge porrò. Et ille: vix, inquit, ab Urbe egreſſus, ſtatim in Neptuni Templum offendi. Magnificentiſſimum ſanè, ut ruinæ ipſæ ſatis commonſtrant. Templum Neptuni magnificentiſſimum.

Hîc, ubi aliquantulùm immoratus, interiorem Templi partem curioſiùs, ut veſtigarem; oppleta adeò, atque impedita non modò cæmentorum cumulis, lapidumque congerie; verùm & ſpiſsâ ſerpentis hederæ, urticarum vepriumque ſylvâ inveni loca, viaſque omnes, ut tentare adytum difficile admodùm ſine periculo putaverim. Conſultius itaque è Tumulo, quæ poteram, partim oculis circumſpexi; partim mente conjeci. Hæc autem primò ſub aſpectum venere. Arcus aliquot, queis anteà fornicatum Opus ſuſtentabatur. Ex iis plerique collapſi: ſemiruti nonnulli; unus adhùc integer, ac ſolidus, hederaceis incultâ quadam venuſtate conveſtitus Corymbis. Tùm, contentâ magis acie, abſtruſa quædam penetravi loculamenta, ſtatuarumque Ædiculas, intercolumnia, columnarumque baſes prægrandes. Hinc Fani totius amplitudinem, majeſtatemque mecum ipſe admirabundus collegi. Et benè, inquit Fannius, ex unius digiti magnitudine Rhodii Coloſſi molem omnem deprehendere certo certius licet. Tùm ſtatim Lælius: Quoniam plura detegere, propiùſque accedere pendentes murorum non ſinebant ruinæ; monuit me comes Titus aliò ut pedem ferremus. Ut igitur extra Templum ad litus greſſum deflecterem, ſiſte, ex improviſo, hîc ad me Titus, atque intuere celebratæ olim propè Neptuni Ædem Porticus veſtigia ampliſſima. Vix loci ſitum ad contemplandum ſubſtiti; cum illicò in mentem venit, hanc illam eſſe, quam Tullius commemorans, *ò præclarum*, inquit, *Proſpectum! Puteolos videmus; at familiarem noſtrum Avianum, fortaſſe in Porticu Neptuni ambulantem, non videmus*. Cui ego, opportunè quidem Læli: Ipſiſſima illa eſt; ſed audi modò, quod latere T. Annium ſuſpicor citrà injuriam. Hoc nempè illi eſt Neptuno, Urbis Tutelari dicatum Templum; Cui, teſte Appiano, porrectis è Prætoriâ in mare extis, contra Antonium Puteolis profecturus Cæſar litavit. Nonnullorum ſententia rejicitur.

Hinc porrò eorum apud me vix ullam habet ſpeciem veritatis opinio, quibus id evulgatum, quod Adriano Cæſari Fanum hoc, ſepulchri loco, ab Antonino poſitum fuerit. Quamvis enim repertas inibi ſciam Adriani ſtatuas coronâ, & clamyde inſignitas; illud profectò oſtendit, inſtitutos ibidem in demortui honorem ludos, atque certamina ob vicinæ Urbis frequentiam, majoremque celebritatem;

tatem; cùm cæteroqui satis exploratum habeamus, Adrianum in Ciceronis Villâ sepultum. Hic statim Fannius: Si fas est, inquit, Parthenie, & ipse apponam calculum. Cui ego: effare, ut libet. Quid, tum ille, quid nostræ, communique omnium sententiæ refragetur, amabo te, qui dixerit, ad Neptuni è Tullianis Hortis deportatum Adriani Cadaver; quod summùm probare valeant cum Imperatoriis insignibus educta indidem simulacra? & optumè, cui ego, optumè tu quidem Fanni addidisti de tuo; idque verosimilius reputo. Mox ad Lælium conversus: Age, inquam, quò pedem indè curiosus tulisti? Et ille: Ad Dianæ, non admodùm à Neptuni longè positum lateritium opus, mirâ arte confectum; quadratum enim figurâ, foris; intus rotundum. At dicam ingenuè: angusta moles, ac perexigua, si impensissimus olim Puteolis in Venatricem Deam cultus spectetur. Cui ego: scin'Læli, quid causæ sit, cur parva Ædes admirationi, ut quondam erat omnibus, tibi modò esse non potuit? Et ille: Num, inquit, quòd injuriâ temporum labefactata? Num quòd excisa partim, ac destituta ornamentis? At quæ, tum ego, quæ (proh superi!) ornamentorum copia! Quæ opes! Qui apparatus! Una præ cunctis maximum Fano pretium faciebat Tutelaris Deæ statua, visu pulcherrima, staturâ enormis; quindecim nempè in altitudinem erecta cubitos, ac præter morem, geminis alis instructa. Illud porrò ad terrorem æque, ac voluptatem; quod latus dexterum servabat jubatus Leo; sinistrum maculosa Panthera; omniaque summo artificio elaborata. Mirandum planè opus, tùm ille, & sacri plenum consilii! Idque factum crediderim, ut Alæ Venatricis celeritatem, Belluæ Numinis in Lucos, Lustra, & Feras auctoritatem, atque imperium significarent. Moles denique immanis non admirationem modò, sed nescio quam in animos induceret arcanam Religionis vim, qua populos ad vota, & preces raperet vel invitos. Cui tum ego: conjectas optumè; *nec te cortina fefellit*. Hoc Fannius loco: Ut video, Læli, eò primùm curiosus animum applicuisti, ut quæ Puteolis ad antiquam erga inanes Deos Religionem pertinent Templa conquireres. Ita prorsus, tum ille: Quid enim in Urbibus benè institutis magnificentiùs invenias, quàm quod primos sibi amores vindicet obsequium superis, pompâ ditiori, ac superbissimo apparatu præstandum? laudo, tum ego, religiosum istuc in te, Læli, consilium. Et quoniam cætera Puteolanæ Religionis vetera monumenta lustrasse te puto,

Elegans Dianæ Templi descriptio.

Enormis Dianæ Statua alis instructa, & quindecim cubitis alta.

per-

Digitized by Google

perge, obsecro, ea enarrando percurrere : Complura ipse subiiciam, quæ tu fortassis non pervidisti, quæque Titus explicando non erat . Et ille : ubi , inquit , hanc teneo addiscendi ansam , Parthenie , manibus elabi non sinam. Postquàm igitur abundè satis de Dianæ Templo explo-ratum , alia magnique nominis indicavit Annius ; quorum tamen nullum ibi, quod aliquando fuerint , vel leve vestigium. Ex his, quæ teneo nomina (nihil enim præterea Titus commemoravit) hæc sunt : Jovis Custodis: Liberi Patris : Puteolanæ Urbis Geniorum : invicti Herculis: Serapidis ; tandemque pulcherrimum , ut ajebat , Nympharum Delubrum; in quo illud oppidò mirificum prædicabat ; perennem scilicet ad Ædem aquæ Fontem fuisse ; cujus ea natura , atq; indoles , ut quantumcumque aut exhaustis , aut infusis undis, numquam vel aqua decresceret , vel augeretur. Hîc ego : Complura , inquam , Læli , ex imperito magistro temerè coacervasti . Nam primò Ædiculas in privatis domibus, Hortos , Villas, ac Rura , quæ Geniis dicata erant pro Templis Titus habuit , atque effutivit imprudens. Hoc me loco Fannius interpellavit , da veniam oro , Parthenie , si Annium hîc , aliqua ex parte purgatum velim : Quoniam anno elapso , dum tecum unà ego , & Cotta Puteolana Rudera vestigaremus , idem , qui Lælio dux , & Comes Titus accessit ; narravitque tria olim Monumenta reperta , quibus hæ incisæ notæ : *Genio Civitatis Puteolanæ , & Gen. Col. Put.* Atque ego , satis memini ; quinimò duo erant lævigato ex lapide monumenta ; ex Æreâ tabellâ tertium ; hæc inquam memini ; sed quid tum inde ? An quicquam eruas, undè Titum excuses ? Profectò si à monumentis hisce, quæ inveneris ubique plurima, liceat Fana conjicere ; nullus erit aut in Urbe locus , aut in Agro , quem non occupaverint Templa ; cum nullibi Genio Monumenta non dicarentur . Ipsa etiam Balnea , Thermas , Horrea , Municipia , Centurias , Domus , Colonias , Amphitheatra , & quidquid ad vitæ usum , voluptatemque pertinet , superstitiosa Antiquitas Geniis sacravit. Ad hæc Lælius : Beasti me , inquit , Parthenie ; facilius extricari res ista non poterat ; perge porrò. Atque ego : illud prætereà oscitanter omisisse , cum Herculis Templum indicaret , Titus videtur , quod erat planè dignum narratu. Inter Deos Tutelares præcipuum Puteolani habebant Herculem ; quem adeò honoribus prosecuti , ut præter Vicos , & finitimos colles , Urbis Portam ab ejus nomine Herculeam , auspice Trajano , vocaverint . Id quoque minùs ferendum , quod de Libero Patre aliquid , de Hebo-

Quæ Puteolis olim fuerint Basilicæ, aut Ædes recensentur.

Nympharum fons, ejusque natura.

Puteolanis Herà cules Tutelare Numen.

Digitized by Google

Hebone nihil prorsus te monuit. Cùm cæteroqui illud omnibus sit in confesso, Puteolis, totique Campaniæ solennem Hebonis cultum fuisse. Paucis ab hinc annis studiosissimo Antiquitatis Marco Brunio venere ad manus Puteolani aliquot cum græcis literis Nummi, quos inter, vir mihi amicissimus, unum ostendit singulari notâ dignissimum; præferebat hic alterâ ex facie criniti Apollinis caput; ex alterâ florentem Hebona Πυτεολιτῶν. Hîc Fannius: sine, unum rogem, Parthenie; idem ne hic Hebo, quem Jovianus noster suâ in Uraniâ elegantissimè; & cujus simulacrum in Cryptâ Puteolanâ repertum memorat Falcus? Idem ipse ipsissimus, tùm ego; quem scito, nunc omnipotentis Mithræ, nunc Serapidis, nunc Dionysii, nunc Apollinis, nunc denique Hebonis nomine vocitatum. Quod vero, Læli, de Nympharum Fonte prædicavit Titus, id velim sapiens introspicias acie attentiori; non enim continuò portenti loco habendum, quod Naturæ ingenio fieri posse compertum est: Et primò, non id, ut singulare sibi Puteolani vindicent: apud salentinos siquidem, juxtà Oppidum Manduriam, Fons salit usque ad margines semper plenus, qui non minuitur quidquam quantumquantum aquæ exhaurias; neque augetur quidquam quantum quantum infundas. Præterea causam, quæ videtur utrique communis, paucis teneto. Fontes hujusmodi per occultum subter terras canalem, cum aliâ ejusdem altitudinis aquâ conjungantur, necesse est; ex quo fit, ut si quando ab iis Fontibus extrahatur aqua, continuò per aliam ex præfato canali repleantur; statimque tantumdem sufficitur, quantum natura exigit, ut æquilibrium servetur. Contrà verò, si fortè addantur aquæ, ob idem prorsùs rationis momentum, ad interiorem lacum influent illicò, quem vel à sinu infra montem peramplo esse, vel distare longissimè dixeris, ut aquæ incrementum dignosci vulgò non possit. Vix hæc, cum præstò jam prandium esse monet Fabiolus. Cui annuentes, statim è Musæo unà omnes discessimus.

CAPUT IV.

De Theatro, Amphitheatro, deque Tullianâ Villâ disseritur, datâque occasione Carmen recitatur.

UBi frugali mensâ refecti summâ hilaritate sumus, ad eruditos iterùm sermones Lælium advocavi. Et, Age, inquam Læli, quæ tibi deindè spectabiliora Antiquitatis Rude-

rudera commonstravit Titus, facili tuo sermone enarrato. Et ille: faciam, inquit, lubentèr; cum nihil mihi antiquius, quàm tuis jussis obtemperare, eoque lubentiùs, quòd hujusmodi interesse sermonibus, tuâque uti consuetudine didici non sine lucro. Ut ad rem veniam. Postquàm Templa lustravimus, Theatri cum Amphiteatro visendi prima incessit Cupido. Jam quoad Theatri molem, ac Formam nihil ad me Annius, nisi unum illud: *Hìc erat*; locumque in Urbe indigitavit, ubi ipsa etiam vestigia obruit vetustas; eundemque suis usurpatum Hortis voluit Pomona. Magna oppidò urbanæ lætitiæ jactura! Itaque, tum Ego: præter Theatri nomen, ac situm, nihil Titus commemoravit? Et ille: nihil omninò. Nimis, hic Ego, jejunè nimis. Illud saltem innuisse ad singularis magnificentiæ laudem oportebat, Augusto Institutore positum, ordinatumque; quod colligi liquidò poterat ex inscripto marmore olim indidèm eruto; in quo illæ ad Titulum notæ: *Genio Theatri Augusti*. At plura fortassis de Amphitheatri superbiâ retulisse ad te Titum putaverim. Ità enim verò, tùm ille. Primò mediâ in Urbe illud positum affirmavit, figurâ ovatum, summâque operis magnificentiâ extructum. Huic porrò parem patentis Areæ majestatem, in longitudinem nimirùm pedes CLXXII. in latitudinem pedes LXXVIII. exporrectam. Tùm veluti per manus duxit, ut multa circùm lustrarem concamerato opere Ferarum Claustra. Hæc ut vidi, continuò in mentem venit Præsul Patriæ amantissimus D. Januarius ibidem à crudelissimo Timotheo feris objectus; atque hìc nescio quo metu, ac pietate perculsus, primùm lacrymari, tùm statim genu solum contingere, & centiès deosculari. Cum ad me Titus: parce ulteriùs lacrymis, Læli, mox pietati fræna remittas, ubi non longè, ut vides, sacram Martyri Laureato Ædiculam posuit Dominicus Marchesius, Puteolanus Antistes. Cui mox, inquam, alia sibi postulat officia Sacellum; quo in loco memoriæ proditum scio detentum vinculis Januarium; hìc verò major tangit animum pietas, ubi feræ ipsæ, feritatis oblitæ, ad clementissimi Præsulis pedes provolui, eosque miro modo allambere visæ sunt. Hìc Ego: laudo, inquam, Læli, atque amo eximium istum in communis Patriæ Patronum amorem tuum. Doleo tamen vehementèr, quòd illa olim Area, in qua dejecto, ac penè prostrato inanium Deorum cultu, tot inter plausus, atque orthodoxæ Fidei portenta triumphavit Religio; nostrâ hac tempestate asperis obsita

Augustus Puteolani Theatri Institutor.

Ampliſſimi Amphitheatri ſitus, & figura.

Quæ ipſius longitudo, & latitudo?

Ferarum Claustra.

Quæ feritatis oblitæ ad D. Januarii pedes ſe provoluerunt.

senticetis, in tanto jaceat squalore, & situ. Quid quæso est, cur Populares nostri, majoribus in dies beneficiis obstricti, si non exornatam ingenti, at saltem tenui velint purgatam sumptu; ut ipsi minimùm lapides, arena, lateres, Porticus Januarium benemerentissimum Tutelarem, Vindicem, ferarum ac Tyrannidis Domitorem eloquenti silentio perennitèr prædicarent? Sed quid facies? hìc ad me Fannius; in difficillima, Parthenie, incidimus tempora; atque adeò, utut laudabilis, infructuosa tamen querimonia, & cassa. Tene jam cursum inceptæ narrationis, Læli. Et ille: posteà verò quàm paulisper ad dictam Ædem, ut Sacra recolerem monumenta sum immoratus: Age, inquit ad me Titus, & pedem retrò flectamus. Vide sis quæ supersunt multiplici ordine ad spectandos ludos pro dignitate distributa subsellia. Hæc porrò ut mirabundus circumspexi, non procùl in labyrinthum, funali priùs accensâ tedâ, duxit me Annius. Vix ingressus per subterranea ostiola fornicato opere Ædium ambages, Ducem monui, gradum ut illicò revocaremus; satis observatum de Ædificii genere, de Pilarum magnitudine, durissimâque, ac delicatissimâ parietum incrustatione. Timui quippè, ne si ulteriùs viarum occursus, recursusque cæcos tentarem, vel negaretur exitus; vel Cretico Minotauro nocentior aliquis ex putri loco serpens occurreret. Cui Ego: Puerilis isthæc formido risum excutit, Læli. Quotidiana illic advenarum frequentia metum abs te poterat omnem abigere. Dic, amabo te, quid reliqui de Amphitheatro Titus? Et ille: nihil prorsus. At omisit, tùm Ego; nonnulla, quæ cæteroqui sunt eruditis exploratissima. Illud in primis, quod Augustus Cæsar sua cuique Ordini subsellia publicis in spectaculis jussit addici; ne quam Romanis Patribus injuriam, ut anteà, videret illatam; cum in frequenti Theatro nobilissimum Senatorem nemo unus è Puteolanis recepit. Id prætereà, quod ad vulgi sermonem, fidemque subterranea illa circùm Ædificia labyrinthum fuisse affirmavit; cùm circumducti fuerint Euripi, arcuatæque Cryptæ immittendis, atque asservandis aquis ad spectantium commoda elaboratæ; si remotiorem à vulgo, certioremque sententiam consectari velimus. Illud postremò, quod ad Puteolani Amphitheatri superbiam facit quàmmaxime: à Nerone scilicet Thiridatem, Armeniæ Regem Ludis ibidem splendidissimè acceptum, ut indè barbarus Princeps aliquam Romanæ amplitudinis partem cognosceret; ea enim apparatus pompa, ea magnificentia, & sumptus, ea de-

Ædicula, ubi vinculis D. Januarius detentus est.

Labyrinthus, subterraneum mirumque opus.

Augustus suæ cuique ordini subsellia addixit.

Labyrinthus, locus asservandis aquis accomodatus.

Munificentissimi Thiridati Regi a Nerone parati ludi.

ni-

nique Civium, atque exterorum frequentia, ut neminem, præter Æthiopas solido unius dici spatio caperet Amphitheatrum. Atque hic illud memorandum roboris sui specimen præbuit Thiridates, ut uno nimirum ictu duos Tauros, toto plaudente Theatro, confoderet. Vix hæc, cum Lælius: Ista ne, inquit, Parthenie, expectarem ab Annio? Hæc, inquam, nonnisi de pænu tua depromenda. Sed agesis, tùm Ego, & quæ subindè vestigasti, scitu dignissima, enarrato. Ut pedem, tum ille, ex Amphitheatri arcâ extuli, statim ad me Titus, unum, inquit, neque hinc longè positum visendum supereſt mirum oppidò Ædificium, aquis etiam factum servandis; undenis ingenti magnitudine innixum pilis, crasso muro, opere lateritio, durissimo æquè ac delicatissimo circùm tectorio super inducto. Cui tum Ego: Piscinam, ut ajunt, mirabilem postquam Bajis vidi, id genus operis aliud nauci faciendum puto. Quod pervidere vehementer aveo, Villa est Tullii celebratissima, maximum agri Puteolani ornamentum. Hoc, tùm ille, æquissimum postulas; literato enim viro turpe esset ea, cum facilè possit, non invisere loca, quò turmatim, vèl à longinquis regionibus Advenæ quotidiè confluunt: at quoniam longiusculum iter, gradus grandire est opus. Et grandiamus tum Ego, Ubi porrò, nec sine defatigatione eò perventum est; loci amænitas amænissima viæ molestiam omnem detersit. Diù enim summâ animi voluptate correptus hæc mecum ipse voluebam: o feliciorem Athenis omnibus Minervæ Puteolanæ Sedem, atque Recessum! Hìc ille rusticabatur omnium gentium defensor, suavissimus Romanæ eloquentiæ parens, mens Curiæ, vox fori Tullius. Hìc illum de Philosophiâ disceptantem triumphalis Cæsar: illum Imperator Augustus: illum Consules, cæterique Romanæ Reipublicæ præstantissimi viri, alterum veluti Latii Platonem audiebant. Hìc deambulabat in Xysto: hìc scribentem Pallas excipiebat: hùc demum gentes universæ, tanquam ad probitatis, ad Justitiæ, ad Sapientiæ domicilium undique commeabant: Et citra invidiam, hìc Fannius, Athenarum exemplo, potuit hanc Tullius Villam jure optimo Academiam vocare, indèque Academicas quæstiones inscribere. Sed age, quæso te, Læli, quæ ibi tandem monumenta lustrasti? Et ille, satis, inquit, dolui ex animo, Fanni; quòd celebratissimus Musis omnibus locus nunc ovium pascua redoleat; nunc referat Pastorum jurgia, qui divinis olim eloquentiæ vocibus resonabat. Quanquam enim Ædificii amplitudinem id, quod

Thiridatis robur, & dexteritas.

Piscinæ mirabilis opus Lucullo adscriptum.

Amænissima Ciceronis Villa.

Athenarum exemplo Academia a Tullio nuncupata

In ea Academicas Quæstiones in lucem edidit.

parietinarum superat, palam facere videatur; perexigua tamen apparent Academiæ vestigia. Adhùc namque compacti lateres sustinent muri partem: adhùc deprehendi facilè possunt Stylobatæ, intercolumnia, & fornicatæ molis structura. Cui Ego: vera prædicas tu quidem Læli; & jacturam hanc vel ipse dolerem maximè; ni qualis illa fuerit situ, amplitudine, amœnitate graphicè Plinius ad memoriam Posteritatis sempiternam descripsisset. Hæc, si benè memini, Auctoris verba: *digna memoria tu Villa es ab Averno lacu Puteolos tendentibus imposita litori, celebrata porticu, quam & vocabat M. Cicero Academiam ab exemplo Athenarum, ibi compositis voluminibus ejusdem nominis; in qua & monumentum sibi instauraverat; ceu verò non in toto Orbe terrarum fecisset. Hujus in parte prima, exiguo post obitum ipsius, Antistio Vetere possidente, erupèrunt fontes calidi salubres oculis, celebrati Carmine Laureæ Tulli, qui fuit è libertis ejus.* Hìc Lælius: da, quæso te, Parthenie, hanc mihi ansam discendi: Carmen, nisi id tibi molestum siet, recitato. Atque Ego: jube, inquam, ut Fannius dicat. Tum Fannius: Ego, quippè qui auditor, diligenter attendam: Tu Parthenie, quippe qui Præceptor edissere. Quibus Ego: quoniàm jubetis, audite.

Quæ Villæ superstant vestigia.

Qualis fuerit, à Plinio describitur.

Quo tu Romanæ vindex clarissime linguæ,
Sylva loco melius surgere jussa viret.
Atque Academiæ celebratam nomine Villam
Nunc reparat cultu sub meliore Vetus.
Hìc etiam apparent lymphæ non antè repertæ,
Languida quæ infuso lumina rore lavant.
Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cum patefecit ope;
Ut quoniam totum legitur sine fine per Orbem,
Sint plures oculis, quæ medeantur aquæ.

Elegantissimum Antistii Epigramma.

Vix hæc, cum ad me Fabiolus: Here, pultavit modò ostium Puer, Sportulam cum Epistolio ferens Neapoli. Cui tum ego: Reseraste fores? Ita enim verò, tum ille, & ad Peristylium præstolatur. I citò, tùm ego, advola, eumque ad nos introducito. Ut autem Puer accessit: benè, inquit valeatis: Hanc Fannio Epistolam Balbus: Bellariorum Cistulam Parthenio plurimâ cum salute dedit tradendam. Cui ego: opportunè, inquam, atque Avi bonâ venisti. Tu interim Fabiole bellaria ad secundas mensas servato. Tu Læli statim ac remigraveris, maximas meo nomine gratias Balbo agas velim. Tu demum Fanni literas resignatas perlegito. Interea loci vix Pueri recessere, cùm Fannius elatâ voce: BAL-

Digitized by Google

BALBUS FANNIO SUO S. P.

Ut habes te, mi Fanni, in Puteolanis deliciis? Perbellè credo; cùm nullibi hac tempestate aër sit clementior, locusque ad rusticandum commodior. Illud tamen quàm primùm abs te rescire aveo; Quid isthîc noster Parthenius, quid tu cum illo? Hyematis certè eruditè; at quibusnam potissimùm studiis otiosum frangitis diem? strictâ ne numeris, an solutâ oratione? Mihi crede, suavissime Fanni, interfum animo vestris sermonibus, si absum corpore; utque absentiæ molestia aliquantulum castigetur, vestras assiduè mecum ipse confabulationes revolvo, & gratas videor audire, & reddere voces. Sed hæc coram. Illud est modò, in quo & operam tuam, & te totum requiro. Nudiùs tertius in Olympiæ tractu ego, & Asinius fortè fortunâ occurrimus Surrentino Antistiti, omnigenæ, ut nosti, literaturæ Viro, quîcum facta de aliis, aliisque rebus mentione, de nostro tandem Parthenio incidit sermo; rogavitque, quî valeat, quàm hilariter, & quandiù in Aniano mansurus? Prospera omnia significavimus; eo vel maximè, quod tecum unâ; cujus ingenium ad studia, amœnioresque disciplinas factum, nescit ab alio fonte, quàm ab uno Parthenio, voluptatem haurire. De morâ nihil omninò; nisi quod feriis hisce transactis, huc de more sit reversurus. Benè est, tùm ille; sed ne vobis excidat, rogo, Parthenium meo nomine salutatum velle, admonitumque præterea, ut operi, quod est ad manus velit aliquando ultimam manum imponere; inseratque, de novâ Æde quam Partheniæ Genetrici Parthenius instruxit, elegantissimum carmen; quod se non legisse modo, sed iterùm, ac tertiò regustasse, & vix denique adductum, ajebat, ut per Tabellarium remitteret. Ut Antistitis amantissimi mandatis obsequerer, hæc ad te scripsi: simulque tenue munusculum, quod verbis meis Parthenio suavissimo sistas, mitto: nolui enim levissimâ hac de causâ ad ipsum literas dare; ne frustrâ eruditi ocii particulam suffurarer. Illud porrò in Epistolæ calce; ut summâ, qua polles, dexteritate laudatam à laudato viro opellam à Parthenio impetres, mihique legendam confestim mittas etiam, atque etiam oro. Vale.

Perlectis vix Fannius literis, statim ad me: Quid istuc, inquit, novi carminis, Parthenie, quod nusquam memini per te excusum? Cui tum ego: ut properato illud stylo malè tornavi, confestim de manibus excussum fuit

fuit; aliorumque antè in jus venit, quàm posſem detrimenta ſarcire. Hoc Lælius, & Fannius loco: Qualecumque ſit carmen, ſine, rogamus hîc ambo, ut ſtatim frui liceat. Quod ſi grave tibi eſt recitare, legendum tradas. Quibus ego: Inurbanus ne ſim, do manus. En habeo in vidulo exemplar, ut à meritiſſimo Antiſtite nuper eſt traditum. Tu Læli, ſiquidem junior, clarè perlegito. Et ille, præſto ſum, inquit, elatâque occæpit voce.

AD NOVAM ÆDEM

Quæ Virgini Deiparæ in Surrentino inſtruitur.

CARMEN.

PArthenidi ſacram qui cernis ſurgere Molem,
Cernis amoris Opus. Faber eſt operoſus, & ampla
Si quis adeſt, molitur Amor; ſatis omnibus una
Illius ars cæptis: uno vis omnis in illo eſt.
Regia Parthenius ſatagit dum tradere Chartis
Facta, per Æſtivos deducens otia menſes,
Et Surrentinæ delibans ubera terræ,
Ecce levis feſſo Sopor ingruit; ægraque docto
Rupe ſub umbroſâ furatur membra labori.
Ilicet Eöus, quà pandit Limina, Titan
Viſus adeſſe ſibi, Zephyroſque agitare jugales
Divorum in Sedem, loca ſtructa micantibis aſtris;
Et nitidum ſtellis ſulcare curulibus æquor
Illîc, quà medio fulgens patet Area Cœlo.
Nàm (Somni ſic viſa ferunt) ingentia Templa
Cœlicolæ urgebant hilares, ſtudiiſque fremebant
Inſtantes Operi: mora nulla eſt grata labori,
Nec requies; ſtimulat manibus fabricanda beatis
Parthenidi Domus altiſonæ: ſonat omnibus una
Parthenis in linquis, unum alta per Atria Nomen,
Dum fervet labor, & cæptis ſublimibus inſtant,
Ora replet Superum, & ſacros accendit amores;
Unum cæleſtes operas ciet; ergo frequentes
Hùc, illùcq; meant, & voto quæritur omni
Pars opere in tanto; nec quiſquam muneris exſors
Eſſe cupit; labor hic cœlum beat, Ipſe Redemptor;

Dux.

Digitized by Google

Duxq; operis micat in mediis, urgetq; volentes
Divus Amor, celeriq; volans obit omnia pennâ,
Partiturq; operas, & nunc ſua cuilibet inſtans
Munia deſcribit, ſua nunc obit ipſe viciſſim
Penſa, manumq; operi tanto admoviſſe ſuperbit.
Audiit in terris, & pars avet eſſe laboris
Siren ſurrentina, ſuæ conferre Parentis
In decus ardet amans, refugitq; ingrata videri,
Siren Surrentina ſatis uberrima campis,
Temperieq; maris, tepidiſq; ſalubrior auris:
Ergo parat Cœlo ſua munera ferre, futuri
Materiem Templi, jam dites impigra venas
Solicitat, fuluæq; potentes ubere maſſæ
Rimatur latebras: immenſæ montibus imis
Effodiuntur opes; ſonat aurea gleba ſub ictu.
Nec minùs & ſylvas, Divâ nutante, per omnes
Procumbunt Ebeni annoſæ, pretioſaq; Cedri
Brachia deciſæ ponunt, nec ſeciùs album
Parthenidi ſacrum vovet indica bellua dentem:
Sed non his contentus amor, ſubit ocyor omnes
Nympha lacus, penituſq; humentibus abdita Regnis
Gangis, & Oceani Gazam, decus omne Profundi
Gemmiferæq; ſolum latè populatur arenæ.
Mox adamante graves ſcopulos, atq; intima ſaxa
Inclyta prædatrix ſubit, hærenteſque lapillos
Avellit fibris Silicum, dehinc æquore ab omni
Poſtquam legit opes, plauſtris ingentibus effert;
Mole gravant terras, affectantq; æthera currus.
Jamque vias tenues nimborum, & inania cuncti
Æquora corripuere, ſub agmine conditur aer,
Miſceturque rotis, volat aurea gaza per auras.
Nympha præit cunctis, atque alipedes Elephantos
Quadriugos urget, curruq; ſupervolat aureo.
Vix ſola deſeruere, & jam ſupera ardua pulſant;
Pandunturq; fores orientis, & ampla pateſcunt
Atria Cœlicolûm, queis ſe ſuaque ocyus infert
Dona ruens Siren non vilior Itala cultu
Deliciis ſubnixa ſuis; cætuq; ſororum,
Et levium Zephyrorum auris ſtipata beatis;
Ut ſtetit, Ætherei quà fervent orſa laboris,
Magnificas effundit opes, geſtitque tueri
Arte laboratas Divûm, dignaſq; ſacrari
Parthenidi Magnæ: ſedenim quis credet! Amori
Viſa levis nimium, ac cæptis ingentibus impar
Materies tanta; & veſtræ nil, dixit, egentes

Aut

Aut opis, aut gazæ ſuperi ſumus; eſt ſua Cœlo
Copia, nec pretio Terrarum æquanda, nec arte:
Tantum effatus; & ad molimina magna paratos
Oſtentat lapides; iſtos ſibi nuper in uſus,
Collibus æternis ſuperûm, ſacræque Sionis
Montibus exciſos: non auri fulget in illis
Argentive nitor, non vivax flamma pyropi,
Stellarumq; faces, aut Lunæ candidus ardor.
Major honos lapidi, gemmis, & lumine major
Mygdonio, ſuperiſq; micantior ignibus ignis.
Tale jubar Phœbi, talis ſolia alta Tonantis
Ornat materies, & Divûm lumina paſcit.
Ne tamen ingratum meritò quereretur amorem
Siren Surrentina, videns ſua munera ſperni;
Eſſe operis partem terreſtris munera gazæ
Sivit amor; ſed, quæ terris ſit proxima, partem
Scilicet immenſæ jacit ad fundamina molis.
Quà ſola foſſa patent, fauceſque voraginis altæ,
Congeſſit telluris opes; data ſigna ſequuntur
Siderei Fratres, pretioſaque gurgite vaſto
Demittunt cæmenta, infoſſaque ſidera condunt:
Tantum opus, æternas Divæ conſurgere ſedes!
Ventum erat ad muros; queis ſole micantia ſaxa
Condendis aderant: ruit officioſa juventus,
Nobilitas pennata: ruunt heroica turma,
Aſſerti Cœlo Proceres; dum vita manebat,
Plebs quondam, & mortale ſolo genus; ad ſua cuncti
Penſa volant; lapidemq; ambit geſtare, rapitq;
Haud mora, quiſq; ſuum; geſtator plus nè coruſcet,
An lapis? Incertum eſt; gemini dant lumina Solis:
Hic geritur, gerit ille: micant ſpatia ampla, Tonantis
Aula quod invideat, longa ignea ſemita lucet
Pondera geſtantûm, & rutilâ ſub mole micantûm.
Quadrat amor lapides, certâque explorat amuſſi
Incumbens, Divæque inſcriptos nomine mittit.
Ipſe manu tenerâ gaudet ſubvoluere moles
Saxorum immenſas, ſubjectatque alite dorſo,
Et plumâ grave geſtat onus: jamque omne peractum
Extat opus. Quid non fingunt ſibi ſomnia? cœpta
Vix duci moles, jam tantum vertice ſupra
Sidereamque Domum, convexaq; ſurgit Olympi;
Quantum humiles clivos juga ſumma, caſaſq; jacentes
Deſpiciunt; tollunt faſtigia celſa columnæ
Dorides, & facies nitet omnis Dorica Templi.
Intereà non antè operâ ſpectata ſub omni
Sic agitat ſimulacra levis volitantia ſomnus:

Imæ

Improviſa ſtetit mediâ teſtudine templi
Parthenis Aligerûm cœtu ſtipata beato;
Singulaque admirans, ſatis eſt, exclamat; & omnis
Reſponſat, ſatis eſt, latè locus; alta Tonantis
Regia, Chriſtiparâ carmen præeunte viciſſim,
Sacram iterat vocem; ſatis eſt, juga ſancta Sionis,
Et ſatis eſt, ſtellæ; ſatis eſt ipſique remittunt
Artifices ſuperi. Cunctis Amor obſtitit unus;
Nec ſatis eſt, dixit contra, ſed rettulit unum
Amplius, aſſenſere omnes; atque Amplius, unâ
Voce ſonant. Ergo juvat inſtaurare labores
Acriùs, atq; novum decori decus addere primo.
Si quod adhuc ſupereſt arti decus, ire colorum
Pars amat in fucos, pars ſculpere ſaxa figuris;
Ignotæque animant mortalibus omnia formæ.
Ampliùs intereà ſuperis in collibus unum
Frangitur in dulces modulos, interque laborem
Aſſiduo reſonat cantu, quo carmine moti
Ad numerum lapides (quondam ut mentita vetuſtas
Credula Dyrcæis feciſſe Amphiona terris)
Sedibus exiliere ſuis. Cæleſte choreas
Marmor agit; ſaltu tolluntur grandia ſaxa
Compoſito, ſaxiſque ultrò ſe grandibus addunt:
Nec requies lapidi datur, injuſſoque labori;
Donec ſtent nova tecta, & Templi limina circùm
Atria porticibus ſurgant prætenta ſuperbis,
Omnia cælicolæ divinis artibus augent,
Incumbuntque operi: Media inter talia pennis
Adſtitit allabens ſuperis, & talibus ora
Soluit Amor dictis: ſurgunt opera inclyta cœlo,
Quæ Terris imitere tuis: ſunt debita Terris
Parthenidi, Siren, quæ Surrentina beatos
Seceſſus habitas: pars maxima nobilis auſus
Ipſe adero cæpti Dux, & Comes: ipſe ſuperbi
Dicam operis leges. Superas Amor uſque ſub Arces
Parthenidi tollet Delubra; tuoque labores
Magnificus Divùm cedat labor. Hæc ubi fatus,
Nectare perfuſam ardenti ſub pectore tædam
Fixit, & in tenuem cum ſomno evanuit auram.

Ut de ſcripto Lælius recitavit; ſibi Fannius temperare non potuit, quin illicò aſſurgens: o beatas, exclamaret, lautiſſimæ Muſæ delicias! Uſqueadeò liquidiſſimam hanc animo meo voluptatem, Parthenie, Fortuna ne an caſus invidit? Et Lælius: bonus, inquit, Antiſtes non ſine cauſa inſerendum operi carmen tam enixè rogavit. Equidem,

si quid valeo indicio meo, illud puto difficile definitu: admirabilior ne in condendis versibus nitor, an in argumento excogitando ingenii acies? Ad hæc tum ego: næ mihi vos demulcetis lenitèr caput. Non id mihi amens arrogem, ut laudi vertendum censeam, quod amicè facitis. Intereà loci, cum ad vesperam declinaret jam dies, monuit me Lælius, Neapolim recurrendi copiam ut facerem. Cui, tradendam Balbo opellam, ubi ego, & Fannius demandavimus; solutis de more officiis, ille confestim Cisio invectus Neapolim rectà contendit.

CAPUT V.

De Neapolitana Crypta, & Virgilii Maronis Tumulo cum Amicis disseritur.

Binos jam dies continuerant nos domi solutissimæ pluviæ; cum nitens ex insperato dies, & quàm maximè amœnus ab illis tertius illuxit. Quapropter, ut placidissimâ illâ fruerer Cœli clementiâ, atque iners jam biduo corpus motarem, ad me Fannium accersivi. Hic præsto cùm adfuit: descendamus, inquam, in Hortum, ne solitâ intermissâ corporis exercitatione torpentes diutiùs contabescamus. Atque ille: Laudo consilium; at quid ni viam Ruris protritam teneamus? Sic longiusculâ ambulatione, & contractum detergemus situm, & Cruditatem stomachi concoquemus, & Sexto Nigro denique, qui per literas hùc se venturum promiserat, occurremus. Cui tum Ego: in tuam istam, Fanni, sententiam pedibus irem, nisi lutulenta nimis via, & (quod nocentius) quaquà versum nivali Boreæ foret expositа. Quo circa salubriùs duco, si cursitemus per Xystum; tùm quòd tutus ab Aquilonibus ad meridiem quantus quantus est, patet: tum etiam, quòd siticulosum æquè, ac solidum positum habet in loco solum sensim declivi. Quid demum? quòd Sextus Niger, aliâ per Anianum viâ ad nos potest contendere. Hìc ille: benè tu quidem mones, jam maturemus; at commendatum anteà Fabiolo velis Amico hospiti prandium. Cui Ego: datum Puero pensum, quod accurassit lepidè, priusquam te accerserem. Nihil igitur est moræ factum ulteriùs; acceptisque bacillo, ac petaso in Hortulum perreximus. Inter deambulandum sic me Fannius compellat: ne istuc, inquit, Parthenie abeat sine lucro ocium, illud te oro, ut incæptam heri de Neapolitanâ Cryptâ, quà Puteolos itur, dissertationem absol-

Digitized by Google

absolvas ; scis enim in omnes addiscendi occasiones me quasi de speculâ imminere. Tetricus ne, tùm ipse, sim adeò, ut renuam? Si tibi lubet, per me factum. Tenes, ut credo, anicularum illud commentum, fuisse Cryptam à Virgilio magicis incantamentis perfossam? Teneo, inquit ille; imò Petrarchæ testimonium, & Roberti Regis verba ipsissima, quæ in medium protulisti, in promptu habeo. At undè, quæso te, data est hujusmodi fabellæ ansa? Cui Ego: facilè est conjectare. Nam pervulgatum illud, ac tritum, quod magicis eo in monte incantamentis operam dederit Maro, cum severus habitu, ac tristis ibidem tanquam in secretissimo recessu domicilium locaverit; eidemque prorsus vulgi figmento mirificum planè opus præsidium fecit. Hìc Fannius: verosimilia quidem isthæc; Vulgi enim animis nihil religiosum minùs, nihil credulum magis; ubi præsertim de spectris, ostentis, atque hujusmodi magicis cantaminibus insanus rumor sensim crebrescit. Sed pergesis, te amabo. Fuit adhùc, tùm Ego, & novæ locus fabellæ, quam graphicè adornatam non nemo in medium protulit. Cum ea quondam loca, quæ circa Lucrinum sunt, Avernum, & Bajas habitarent Cimmerii, ut obscuris more suo caveis inter se commearent, subterranea ibidem effodere sibi speluncas, egeruntque passim Cuniculos, ac metallorum fodinas; potissimùm verò, ut Divinationes suas, Diisque Manibus Sacra peragerent, sedes iis in locis aptissimas paraverunt. Post Cimmerios Græci in eam Regionem venere; quæque in Thermas, Balnea, vias publicas, alioque in usus poterant permutari, permutarunt cavernas. Post Græcos autem qui in eum sinum appulere Romani, auxerunt vetera, nova etiam Ædificia moliti magnificentiùs, Coccejo quodam Auctore, per longas fossas, & Cryptas, ab Averno Cumas, à Puteolano Neapolim usque subterraneas vias ducente. Audistin' Fanni? Ità planè, tum ille: at pace dixerim tuâ, Parthenie, non isthæc mihi fabulosa, primo aspectu videntur. Scio enim Cimmerios, antiquissimos olim Campaniæ populos, superstitiosos homines, ac furaces antra, & Cavernas incoluisse; iisdem deinceps Græcos, Græcis pariter successisse Romanos. Cui, benè est, inquam Ego. Sed quid tum postea? facile est, Fanni, per ambages longissimas, fucatis mirâ arte mendaciis vera etiam involuere, ac permiscere. Quotiès falsa quidem, sed blanda veritatis specie homo homini palpum obtrudit? An non similiora veris quandoque sunt falsitati reapse magis obnoxia? Ve-

Maroni opus attribui, anile commentum.

Unde nam ortâ traxit fabella?

Novus Fabellæ locus præclu-dicur.

rùm esto, Fanni, Bajas inter & Cumas primi olim Cimmerii juga, & Convalles inhabitaverint: effoderint etiam, ut lubet, ad Avernum specus ingentes: & subterranea ibi domicilia, eaque omnia, quæ Festus inquit, verissimè effecerint; ideò ne ab ipsis Neapolitanam Cryptam initia habuisse mihi suadeam? Quid enim primùm Cumis, ac Baiis cum Urbe nostra? Ampliores oppidò, quàm ut posset occupare fugax Cimmeriorum Colonia, Valles interjacent, Campique Cumas, & Bajas. Porrò autem: eo ne latrones ordine, Cavernas, atque Antra paraverint; ut eorum insistendo vestigiis, hàc illàc in diversa tendentibus, tàm indè rectâ, tàm longâ ad commune bonum perfossâ Cryptâ uteremur? Isthæc, quæso te, Fanni relinque Cimmeriis somnia. Atque ad Coccejum, quem ex historicis nostris plerique Cryptæ hujus volunt auctorem, convertamus aliquantisper sermonem; quamquam hìc etiam cimmeriæ tenebræ. In eum omnes inclinant; quis verò fuerit: an Neruæ Imperatoris avus, an eodem nomine Architectus, an ditissimus ex equestri ordine alius quispiam, inter ipsos non constat. Est qui dierum quindecim spatio centiès mille servorum operâ Cocceii jussu perfossam: est qui Cocceii ejusdem operâ, atque consilio cæptam, perfectamque asseverat; Id verò qua nixi authoritate, quo temporum discrimine, qua demum Cocceii notâ (plurimos enim legimus eo nomine illustres Viros) pronuncient, non satis video. Res oppidò incerta. Utut autem de certo inter latinos Auctore penes me non leve sit dubium, certissimum tamen illud, quod Romanæ Gentis potentissimus aliquis fuerit Imperator. Neque id mihi addubitandi locum relinquit; satis quippè quid Romani Cæsares possent ex aliis abundè cognitum monumentis, quæ vel perfecta, vel incœpta solùm inter Orbis miracula numerari meritò possunt. Quod videsis, ut apertissimè comprobatum ex magnis magnorum operum, quæ hoc ipso in agro, ad Romanæ ostentationem potentiæ, adhùc extant vestigia. Mitto, ne longus sim, ferro excisa præruptorum Montium latera, ut ad delicias in flexuosum sinum mare immitteretur, quò commearent ad piscationem Cymbæ, ubi modò stagnat Anianum. Mitto etiàm derivata per subterraneos Aquæductus longissimo flumina intervallo; aliaque id genus sexcenta. Illud supra fidem certè, sed infra Neronis audaciam opus satis sit innuisse, quod superbissimus Imperator excogitatum jamdiù, teste Svetonio, moliri tandèm occæpit. Avernum nempè ad lacum excavatam immen-

Num Cryptæ Coccejus Auctor?

Romanorum certè Imperatori opus adscribendum.

Conficitur à Gemili.

Maximè à Neronis Fossâ.

menso propemodum sumptu Fossam videmus, quam Neronis adhùc vocant Indigenæ; unde ad Ostia usque Tiberina Quinqueremes Imperatoriæ ultrò citròque iter haberent expeditissimum. Papæ! hìc inquit Fannius: quid majus Artis industria, ingenii superbia, Imperii vires, ipsius denique Neronis insania tentare umquam potuere? Equidem puto, Parthenie, jucundissimum futurum fuisse iter, & compendii plurimum navigantibus allaturum: quòd tutò naves per maris aquas extrà maris pericula commeassent; nisi operi perficiundo fortè longinquitas obstitisset; quam, præter difficillimæ structuræ molem, esse paritèr non mediocrem reor. Ità enim verò, tum Ego: non parva profectò, quæ centiès sexagiès mille circiter passus attingeret longitudo. At non hæc fuit in causa, cur incæptum opus destituit Nero. Sed (si laudato nuper Authori fides) postquàm Cæsar congestas rapi nis ingentes opes profudit, manum subducere Ærarii inopiâ coactus est. Quid non arduum, hìc Fannius, quid non supra hominum expectationem aggressi, tùm potissimùm perfecere Romani, cum opibus, gloriâ, amplitudine floreret maximè Imperium? Abstine, quæso te, plura Parthenie; hac super re jàm nullus ambigo. Tanti operis molem unis tribuendam Romanis, firmissimè tecum ipse assevero. At, quamquam in definiendo nuper Authore, ut tute videbaris, hærebas; quò saltem inclinet animus, dic sodes, amabo te. Cui ego: Res quàm quæ maximè implexa, Fanni! Si majori scriptorum numero fides, in Coccejum, ut nosti, plures propendent; in quo ipso circumscribendo, quantùm inter sese ipsi dissentiant, jam modò audisti. Quocircà illud flagitanti reponam ingenuè: Facilius mihi tanto in discrimine quid non sentiam, quàm quid sentiam, exponere; ancipiti adeò versor in loco, totque distrahor sententiis, ut illam ipsam denique amplectar, cui peritissimus antiquitatis adstipulatus etiam est Blondus: Ignotum scilicet nobis certi nomen Authoris. Verùm, ni grave sit, hoc Fannius loco, unum scitari lubet, Parthenie: Ullanè de L. Lucullo conjectura? hunc enim, quod apud nostrates Historicos memini me legisse, perhibent etiam perfossi montis authorem. Nempè, tùm ego, Lucullo cryptæ opus attribuunt, Fanni, qui Varronis sententiam perperam interpretantur, detorquent pessumè. Ecce tibi, quæ in promptu habeo, ejusdem verba ipsa, ipsissima: *Contra Neapolim L. Lucullus postea quàm perfodisset montem, ac maritima flumina immisisset in pi-*

Levissima de L. Lucullo conjectura refellitur.

sci-

ſcinas, quæ reciprocè fluerent, ipſe Neptuno non cederet de piſcatu. Ecquid hinc eruat ſanæ mentis homo, quod ad rem faciat hilùm, & Cryptæ huic quadret ullo modo? Numnàm maritima in eam, quaſi in piſcinam, flumina immitterentur? numnàm excipi maris aquæ poſſent, indèque continuò reciprocari? nùm tandèm opimæ in eâ Piſcationes, quamobrem Neptuno ipſi non cederet, exercerentur? Quî prætereà fieri umquam potuit, ut id unum Plutarchus oſcitantèr omiſerit, qui cæteroqui ejusdem opulentiſſimi viri opera omnia diligentèr eſt proſecutus? Nihil eſt ultrà, hic Fannius, cur de re tam apertâ diutiùs diſceptemus. Sine igitur, aliud ut rogem: quem ſcilicet à L. Lucullo exciſum montem ſignificare voluit Varro? Cui tùm ego: Eam certè Pauſilypi montis, innuit partem, quæ in Meridiem vergit; totus enim maritimæ hujus oræ tractus, non perfoſſus modò; ſed Antris etiam, & aquarum reductibus ad hæc uſque tempora paſſim ſcatet; atque ad delicias ità factum dixeris, ut nonniſi Lucullo authore, vèl cum maximè lybicis flatibus æſtuat mare, per cryptas reciprocè commeantibus aquis, ad Lavationes, ad Piſcationes appoſitus commodùm videatur. Conjectas optumè, ut ſoles: tum ille. At unus adhùc de ſubjecto argumento ſcrupulus urget: Eâdemnè, qua nunc, latitudine: iisdemnè identidem ſpiramentis inſtructa olim; per quæ modò, & lucem recipit, & pulverem ejectat Crypta? me quippe apud Senecam lectitaſſe memini; quod cum ipſe Neapolim Baiis rediret, eâ exceptus cryptâ: *Nihil*, inquit, *illo carcere longius, nihil illis faucibus obſcurius, quæ nobis præſtant, ut non per tenebras videamus, ſed ut ipſas. Cæterùm etiamſi locus haberet lucem, pulvis auferret*. Benè habet, tùm ego: eruditè quidem, tu Fanni. Sed facili negotio ſcrupulum ejeciſſes, ſi veniſſet ad manus Strabonis locus; in quo, variis per montis jugum ſpiraculis, illam ætate ſuâ lumen accepiſſe luculentèr affirmat. Hoc loco Fannius: Si ita; quî ergo factum, Parthenie, ut Senecæ tempeſtate cimmeriis undique tenebris occuparetur? Cui ſtatim ego: aut Terræmotu, aut Alluvione, aliiſve de cauſis id contigiſſe crediderim, ut feneſtræ poſtmodùm obſtruerentur. Aſſentior prorsùs, tùm ille; nihil enim habeo, quod hìc reponam. Cui ego: reſtat igitur, ut quæ ſubindè facta ſunt Cryptæ additamenta, paucis expediam. Sub annum à partu Virginis MCDXLVIII. Alphonſus I. inter Neapolitanos Reges præclariſſimus, poſtquam plurimas circa Urbem paludes, quæ aerem vaporibus vitiabant, magnâ ex parte exſiccavit, pulveru-

Varronis Verba ad Pauſilypani, verſus meridiē, tractum aptiſſimè referuntur.

De cryptæ ſpiraculis, ejusque latitudine.

Alphonſus I. Neapol. Rex Cryptam amplificavit, ſtravit Silice, & altioribus Oſtiis reddidit lucidiorem.

Digitized by Google

verulentam Cryptæ viam, regio sumptu, & latiorem effecit, & complanatam silice stravit, faucibusque demùm altioribus, teste Pontano, reddidit lucidiorem. Hanc porrò ipsam recentiùs Petrus è Toleto Regni Vicarius, ut commodum sibi iter ad suos Puteolis Hortos pararet: eam aliquâ ex parte labefactam solo restituit, exornavitque; ex quo factum, ut quadrigarum nobilium curru, Jumentis, Trahis, & Carris, octingentos & amplius passus, patefactis utrinque ad lucem clariorem ostiis, tutiùs frequentaretur. Vix hæc, cùm opportuno canum latratu monemur, Hospitem adventasse. Statim occurrimus, Sextum Nigrum, ut promiserat, adesse rati. Et sanè divinavimus. Quem prior ut Fannius vidit: Quid rei est, inquit, quod te tamdiù expectatum voluisti? Jàm omnem adventus tui spem ponebamus. Fortassis, tùm statim ego, solito longior te Sexte oppressit somnus, quem cæteroqui ad multam diem protrahere consuesti. Videsis quàm serò perveneris; Horologium hocce Sciotericum ad meridiem vix semihoram desiderari examussim ostendit. Haud inficior, tùm ille; at quæ fuerit potissimùm cunctationis causa, patere, quæso te Parthenie, ut paucis aperiam. Hìc Fannius: Quæcumque fecerit moram causa, hìc diutiùs morando nocet referre: tibi, quòd ab longo itinere: mihi, & Parthenio, quòd ab diutinâ ambulatione aliquantulùm incaluimus. Benè est, tum Niger: I præ, Parthenie: in Musæum conscendamus. Quò ubi ingressi, ad lucubratoriam mensulam lassi consedimus. Atque agesis, inquam, dic Niger, deliciæ nostræ: quonam infortunio factum, ut dulcissimâ consuetudine tuâ tardiùs uteremur? Infortunium putas Parthenie? hìc statim Sextus: an infortunium fuerit, tu Judex esto. Ut ad Cryptæ Pausilypanæ ostium veni: vehementior nescio quæ inflammavit animum cupido, ut quem non incommodè poteram, Virgilii Maronis tumulum, occasione datâ, cognoscerem. Accessit amici Equitis invitatio liberalis, à quo per compendiariam ductus, ad eam tandem Montis partem perveni, in qua Poëtarum Principis Busta visuntur. Hìc autem quanta animum voluptas permovit, quantus amor, ac pietas inhæsit pectori, explicando non sum. Avidissimè totum circà recessum, Musarum olim sedem, & Charitum, genialì abreptus gaudio lustravi. O' suavissimum, ajebam, Neapolitanæ Urbis Parnassum! unde virtutum chorus: unde patriæ Sirenis gloria: unde, tamquam à Sapientiæ palæstrâ tot Vates clarissimi prodiere. Hinc Silius, hinc Papinius, Pontanus, Sannazarius, Torquatus, Marinus, aliique

Eandem Prorex Petrus è Toleto restituit partim, partim ornavit.

De Virgilii Maronis Tumulo, ac recessu amentio jucundissima.

Digitized by Google

que quàm plurimi, quorum celebratissimæ Musæ nescio quid grande, plenum, suave, acutum, absolutumque ex illo, veluti ex nitidissimo omnium fonte, labris sitientibus combiberunt. Fortunatissimi Cives; quibus domi est, quod exteri peregrinationibus, votis, ac studiis omnibus quærant! Hæc ut animo volutabam lætitiis totus incedens, florentis urnæ locum propiùs accessi; idque unum anteà vehementèr dolui, quòd sepultum penè Vatis Virginei monumentum; postea verò vehementiùs, quòd amicus Eques: & quotam, ad me inquit, quotam vides ornatissimi partem Sepulcri? ubi simulacra spirantia? ubi eleganti è marmore Columnæ novem, quibus Cinerum Urna candidissima incumbebat? Atque ubi tandem (proh dolor!) cineres ipsi? Ubi Maronis umbra, lauri, sylvæ, laresque? Hìc ego diutiùs mihi temperare non potui, quin impeditam fabulis narrationem abrumperem, ac plenè, planèque extricarem. Quid, inquam, amabo te, quid Sexte (malum!) comes effutiit? Adeone fungus sis, ut ea tibi omnia veritati esse consentanea suaseris? Scio equidem affirmasse nonnullos; quod olim Mantuanis petentibus Vatis Mantuani cineres dederint nostrates viri. At quàm ineptè, inde colligas; quod si ita, quî fieret, ut quam summam nacti essent felicitatem plenis buccis non jactitarent? An exteris eò confluentibus, quibus Andinas Virgilii cunas ostentant, Urnam & Cineres non ostentarent; cum cæteroqui in Numismatis ipsis celebratissi concivis sui effigiem, summo studio cudendam, custodiendamque curaverint? Hìc Fannius, immortales, inquit, tibi Gratias, Parthenie; quòd argumentis iisdem, illud quoquè penes me futile, de hac apud Ligures asportatâ clanculùm Urnâ, commentum facilè ostenderis. Atque ità planè, tum ego. Nempè hoc erat, statim Sextus, quòd Virgiliani Cineris jacturam bellè adeò conquerebatur amicus; erat is quippe de Ligurum gente vir Princeps; qui nimirùm ligurire me sensim ac blandè furtum hocce voluerit, ut fabellam glutirem. Sed, quæso te Parthenie, qui vèl à puero genialem proximæ Olympiæ tractum incoluisti; edissere, latinè ut soles; quæ olim Virgineum ad Tumulum enata laurus? quæ circùm nemora tàm beata? quis loco Genius? quæ tandèm sylvas umbra pervolitans? Cui ego: Currentem incitas, Niger; Dicam lubentissimè, apertis tibiis. Et sanè memini non sine liquidâ voluptate, cum Maronis mei Busta recolerem sæpissimè adolescens, vidisse me vernantibus ramis hærentem tumulo Laurum, ab eâque non semèl,

quem

Falsum illud, quod Virgilii Cineres aliò sint asportati,

Verè apud Maronis Sepulcrum enata olim suâ sponte Laurus,

Digitized by Google

quem capiti per jocum innecterem, ramulum decerpsisse; jam tùm mihi nescio quis ingruebat furor, saliebat oculus, pruriebant digiti, totisque artubus exultabam, atq; illo agitari me ratus, quo Pœtæ insaniunt œstro, cantitabam hæc puer:

Musæ, noster Amor, Musæ; quibus otia læta
Ducimus in Sylvis, pieriisq; jugis.
O ego, si possem totas ibi ducere noctes!
Et totos possem delituisse dies!
Divitias alii, atque alii sectentur honores;
Illecebras alii deliciasq; petant.
Ast ego pierios colles sectabor; & illis
Blanda meis Musis sit mihi parta quies.

Virgilii Sepulcrũ puer Parthenius frequentabat,

Hoc Sextus loco: Jam tùm scilicet te Maro, Parthenie, te Musæ omnes, laurique obstrictum sibi totum voluere. Quod res est ais, tum Fannius; atque ecce tibi, cur laurum, Sexte, propè tumulum, nullam inveneris: Virgineam laurum vindicavit sibi Parthenius noster: reliquit Idalias Mirthos Maroni. Quibus hìc ego: parciùs isthæc, amabo vos. Amicum amicus ubi commendat, justo officiosior ne sit. Pergamus. Jucundissimæ procul dubio hanc montis partem accommodatæ mansuetioribus musis Syluulæ præcinxere; quas inter Bucolica sua, Georgicaque ad unguem castigatissima cecinit Maro. Quàm suavitèr Amaryllida resonarent, ac Tityrum jocosæ rupes: quàm dulcissimè convestiti floribus lares Philosophiæ omnis præcepta divinis iterarent carminibus, reputatote! Quid porrò mirum, si nemoris gratiâ, deliciisque oblectati, hùc Vates patrii, hùc exteri confluxere; locique Genium reveriti, quasi adhuc Elysiis suis pervagantem Maronis umbram, aut antiquis insidentem penatibus coluere, dulcedine beatissimâ deliniti. Ad hæc Sextus: unum, inquit, Parthenie, enucleatum mihi à te velim, quod non rarò apud Jovianum nostrum cum legerem, rescire certò satis non potui. Patulcidem ille Nympham sibi carissimam blando, ut solet, facilique stylo Antinianæ conjunctam lepidè celebrat: Quid, rogo, est; cur sub Patulcidis nomine Virgilii sepulcrum sæpè intelligit Jovianus? Istuc, tum ego, enucleare facile est. Salubri amænitate nobilem in Antoniano Villam Pontanus habuit, à Patulcio, vel, ut vulgus appellat, Patruisculo monte, ubi Maronis tumulum tute vidisti, non longè positam. Hinc felicissimus novis cudendis vocibus Jovianus, à Patulcio Patulcidem, ab Antoniano Antinianam deduxit, quas non sine venustate Nymphas, Poëtarum more, confinxit. Te-

Circa illud Sylvulę amęnissimę, ubi Bucolica, Georgicaq; cecinit Maro,

Quid Patulcidis, & Antinianæ Nympharum nomine intelligat Jovianus?

Digitized by Google

nes jam, credo, loci præsidem Deam pro loco ipso usurpatam quandòque; quandòque etiam pro loci parte celebratissimâ. Nec dubium, quin modò ad Vatis bustum, modò ad Vatem ipsum principem per ejus Nymphæ nomen alluserit Jovianus. En carmina:

..... tuque ò, mihi cara Patulci,
Prima adsis, primosque mihi Dea, collige flores,
Impleat ut socios tecum Antiniana quasillos.

Unde factum Patulcio nomen sit.

Ne verò (hìc iterùm ad me Sextus Niger) ne sim, Parthenie, ut dicitur, juxta salem ac fabam; quid est precor, edissere, quod loco fecit nomen Patulcio? An, ut Janus olim ab aperiendo Patulcius, ita & editior situ Collis, & Pausilypanum hoc jugum, quòd apertum, patulumque exporrigat sese, Patulcium sit nuncupatum? Ità planè, tùm ego, rem optumè conjectasti; quamquàm illud etiàm scito, non eos continuò improbandos, qui tale etymon haberi velint à Patulco quodam, cujus forte circa eum montem vel agri essent, vel ædificia. Sed, quoniam hìc sumus, ait tùm Fannius; quod diù saxum volvo, Parthenie, amoveas oro, aliquandò. Cui ego, cedo, inquam, properè: quid coquis rei? Et ille: Memoratum a Sexto Silium, ut puto, Italicum, nupèr audivi; de quo, cum apud Plinii Secundi epistolas feriatus legerem, quod in Neapolitano suo infrediâ vitam finierit, illa me dubitatio habuit semper solicitum: ubi potissimùm, cùm plures, ipso teste Plinio, Villas & prædia iisdem in locis ad emacitatis reprehensionem cöemerit; ubi, inquam, potissimùm ad mortem insanabilis Clavi tædio decurrit? nùm forte in hoc, quo de agimus, Virgilii agello? Ajo enim verò, Fanni, tùm ego. Atque istuc, si tenes quod Plinius, quod Jovianus etiam scribit de Silio, eruas non obscurè. Nàm multas quidem celebravit hìc Silius Villas; *at Virgilii ante omnes, cujus natalem religiosiùs, quàm suum colebat, Neapoli maximè, ubi monumentum ejus adire, ut templum, solebat*. Quin imò compertum illud habemus, quod Andini vatis sepulcrum pænè quotidiè viseret Silius; donisque, velut hostiis, propitiaret Genium, & Manes. Hoc verò quî tàm assiduè contingeret, nisi eo in secessu vir consularis habuisset cum Musis? Haud equidem abnuo, hìc Fannius; verùm, si licet obstrepere Cicadæ Vespam, poterat Silius, quam possidebat, Tullii Academiam id ætatis incolere. Cui statim ego: & fateor incoluisse; quid tum indè? Scimus, Fanni, & Oratoris, & Pöetæ partes, Tullii, Maronisque exemplar secutum, satis benè Silium implesse; at scimus etiam ætatem ultimam

Ubi Silius Italicus obierit: in Tulliline, an in Virgilii agello.

Digitized by Google

ultimam amœniſſimas inter Muſas ocio pœtico tranſegiſſe, meminiſtin' illud Martialis?

Emeritos Muſis, & Phœbo reddidit annos;
Proq; ſuo celebrat nunc helicona foro.

Cum bonâ, inquit, venia, hoc loco Sextus: id quàm quod maximè penes me certum, Parthenie; ne ampliùs te vexes. Nonne ad Caninium Rufum ſic orditur Plinius epiſtolam: *Modò nunciatus eſt Silius Italicus in Neapolitano ſuo inediâ vitam finiſſe?* Quid apertius? Profectò *Neapolitanum Silii*, ut aliàs tute me monuiſti, non Ciceronis Villam & Hortos; (hæc enim in Puteolano erant) ſed Maronis olim agrum in Patulcio, a Silio emptum ſignificat. Euge, hic ego, & Fannius, euge Sexte, rem confeciſti. Atque ille, bona verba, quæſo vos; jam meam me intra pellem non continebo. Hæc cum dicerentur, adeſt Fabiolus, & quandiù, inquit, cum Muſis? Here, ni corrumpi vis prandium, accumbendi tempus jam eſt. Hic Sextus: Ad Minervæ menſam hìc benè accumbimus. Tùm puer: Nec labra iſthæc, nec palatum rigat. Cui ego: argutule, ſpartam tuam accurato; fac inſtructa omnia ſint perbenè. Et ille: præſterga, cocta, parata. Atq; hìc ſtatim è muſæo itum eſt ad Triclinium.

CAPUT ULTIMUM.

Occaſione cujusdam pareliæ ab authore viſæ, quomodo fiat explicatum, & nonnulla cursim de Iride quæſita, & expoſita.

Appetente jam veſpere, ego, & Lucilius ad otium in Calopſide ſedebamus Homerum lectitantes, inque illud ventum erat:

Αυτὰρ ἐπεὶ κατέδυ λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.

Cum Lucil: En, inquit, ut numerosè cantat poëta, purus, nitiduſque Sol nobis occidit, viſurus Indos, nec niſi tenues circùm nubes auro veluti interpingit: ut bellè Actius noſter.

Et jam plena dies fluctus vergebat Iberos,
Purpureas pelago nubes, aurumque relinquens.

Illum tu imitatus in Nauticis hiſce verſiculis: memini enim: libellos nam ego tuos identidem lectito, nec facilè è manibus elabi patior. Cui ego: Tantumne tibi abs re tua eſt otii, ut meos centones lectites? ille verò verſiculos cantitavit:

Et jam Sirenum ſcopulos provectus adibam,
Cum roſeas Titan nubes, aurumque relinquens
Conditur Oceano.

Digitized by Google

Parelia circa Finitorem visa, cœlo sereno.

Vix dum carmen recitavit, cùm de improviso mirum oppidò, & pulchrum sese nostris oculis intulit ostentum, insolens certè, & nunquam antea spectatum nobis. Dum enim paulatim sese Sol in mare demitteret, alter ex adverso, & ut ajunt Geometræ, è diametro, rubescere miro modo, atque attolli videbatur: qui quidem fictus Sol, primo, ac vero prorsus extincto, conspicuus usque supra Finitorem apparebat, ac sensim sursum emori cernebatur; ut refugere potiùs in aërem, ibique se occulere, quàm in aquas descendere credidisses: tenuissimus tandem factus, evanuit omninò. Hic Lucil: Vidistin', inquit unquam, quidquam elegantius in cœlo pingi, quod pulchriorem hac præse speciem ferret, quodque summa in se oculos voluptate alliceret, traheret admiratione? Cui ego nunquam tàm pulchrum, tam elegans me vidisse in cœlo ostentum recordor. Geminos interdum Soles nubes inter lucidas apparere, si non frequens, certè non insolens, ac novum; verùm ipso in finiente, aëre tam sudo, ac sereno, atque in hunc modum, si non insuetum, perquàm rarissimum admodùm visu est. At Lucilius, qui in omnem semper discendi occasionem imminebat; Age sis, inquit, de ratione nunc videamus: siquidem tui hæc muneris sunt: teque petit hæc Sparta. Ne pigeat ergo quibus de caussis id contingat, enucleatè explicare; scis nimirum me summo noscendarum rerum desiderio teneri. Cui ego: Faciam aliàs, in præsentiarum tempus non suppetit, & res perplexa admodùm est. Et ille: Quà ostentata est porta, ingrediamur: non enim ratio est hujusmodi occasionem amittere. Eja sis, age, dum vespertinum crepusculum tam sereno, nitidoque cœlo diem nobis, & otium producit. Tum ego: Geratur mos hic tibi; & quæ extemporario ingenio è Minervæ nostræ penu proferre potero, expromam: presse tamen rem perstringam. At Lucilius: Age, age, subitis in casibus multum, & acre esse ingenium solet. Tum ego sic orsus telam, ut dicitur, pertexere. A Sole, (quem ego unum & auctorem, & fontem lucis existimo) innumeri propemodùm radii magno impetu evibrantur, & temporis perpaucissimis admodùm momentis superato, quod interjacet immani spatio, in vapores, qui plurimi circa Finientem circulum insidunt, ità offendunt, ac si in objectum, solidumque corpus inciderent: quocirca derepentè resiliunt: eo prorsus modo, quo lusoriæ pilæ, quas Hispanienses vocant, follisque pugillatorius, cùm in læve æquè, ac

Quoniam radii solares, in vapores incidentes resiliant, & qui ex partibus aquæ opacis repercussi, solis imaginem in aere depingant.

du-

durum planum impingunt. Tenes isthæc? Et ille: Teneo: non enim adeò duriuscula: perge porrò; reliqua expecto. Tum ego: Mox illiusmodi radii è nubibus, ac vaporibus repercussi in aquas incursant, quoniam verò hæc non adeo perlucida, ac transparens, ut etiam opaca non sit; idcirco ex radiis plurimi resiliunt; nempe quot quot in opacas particulas ceciderunt: plurimi, qui in perlucidas, permeant: verùm obliqui, utque Optici dicunt, refringuntur. Hic Lucil: Curnam istuc? Quia, tum ego, densiorem in aquam ex aëre minus denso inciderunt. Atque ita fit, ut in aëre, qui repercussi resilivere reflexam præ se Solis imaginem gerant, quæ quidem reapse nihil est, specimen tamen offert, quam Ὕαλον Græci dicunt. Indeque est, ut Sol alter supra aquas appareat. Quia verò, occidente Sole, repercussi ad nos radii magis, magisque convergunt; idcircò ad nos species illa accedere videbatur, quæ adeò pariter diutiusculè visendam se exhibuit, quia radii adhuc vapores illustrabant. Hoc loco Lucil: Rem habeo: sed ut planè, ac latinè fatear, ut scis me solere, quasi per nebulam in pariete pictam. Cui ego: Res est, non nego, perdifficilis; ut nec ego planè verbis, nec tu animo complecti possis. Efficiam tamen, & si non sim Theseus, ut te ad intelligentiam perductem; utar pro filo, insigni similitudine, qua spero futurum, ut benè rem animo concipias. Et ille: Eris mihi & Theseus, & Apollo. Atque audi tum ego: Vidisti, & quidem non semel, è pelvi positâ in fenestra, atque aqua benè plena, repercussum Solis, Lunæve lumen in conclavi apparere: & modò hàc, modò illàc, vago irrequietoque cursu pervolitare. Hic ille: Id puer vidi sexcenties, & non sine animi voluptate lusi. Tum ego: Benè est, attento sis animo, lumen illud, quod intus in pariete, vel fornice pingitur, nihil sanè est, quàm Solis, Lunæve radii, qui in aquam incidentes, atque è vestigio repercussi, in parietem tectumque pervolitant. Quoniamque tremulo æstu agitatur humor in pelvi; idcircò fit, ut radii, tum hàc, tum illàc refugiant, depictaque ab illis imago diversim vaga pervolitet. Id verò quàm graphicè, quàm bellè Poëta depinxit! non dubito quin teneas versiculos: est tamen recitare voluptas. Et ille: Ità, quæso; mirum enim quantum in me à Musis voluptatis affluat. Tum ipse:

Explicatur exemplo repercussi luminis è pelvi aqua benè plena & in fenestra posita.

Sicut aqua, tremulum labris ubi lumen ahenis
Sole repercussum, aut radiantis imagine Lunæ,
Omnia pervolitat latè loca: jamque sub auras

Eri-

Erigitur, ſummique ferit laquearia tecti.

Hic Lucil: Feciſti, inquit, ut pulchrâ hac ſimilitudine; quæ quò uſu tritior, eò minus ratione nota, rem planè conſequerer. Verùm age, quando in hujuſmodi re ſumus, doceas me quæſo, quonam modo Iris pingatur in aëre: id enim jam diù ſcire deſidero, & quoniam oſtentata occaſio eſt, abs te requiro; quamquam enim hiſce verſiculis quos habes v Nauticorum

Modus, quo Iris in aere pingitur, explicatur.

Phœbæos velut ipſa ſinu cùm roſcida nubes
Accepit radios, circùmque remiſit in arcum:
Extemplo curvata polo micat aurea ſummo
Thaumantis ſoboles, centumque coloribus ardet;

explicatum concinnè ſit, & concisè: velim tamen, dummodo ne minimum quidem negotii tibi exhibiturus ſim, ut ſoluta oratione rem paulò uberius complectaris. Cui tum ego: Faciam: geratur hic etiam mos tibi. Adeo mihi charus es, ut nihil præ te grave ducam, quamquam hujuſmodi res ſine figuris mathematicis, & exponi verbis, & concipi animo arduum oppidò eſt; contendam nihilominus id efficere, quoad potero, ad facilem captum accomodatè. Ut igitur differam enucleatè, ſcias primùm Solis radios in roſcidas aquarum guttas (roſcidum quippè ſit cœlum opus eſt, ut in illo Iris depingatur) incurſantes ſtatim refringi, ac veluti deflectere à via: ſubinde verò hoc obliquos modo in aërem ex aqua permeare, infringique iterum; lux enim ſuapte natura ſic eſt, ut ex uno in aliud corpus means, ſi diverſa illa ſint, nimirum plus, minuſque craſſa, iter ſtatim flectat, atque aliam ſemitam progrediatur. Habes iſtæc: Et ille: Ita verò: ſunt enim expoſita dilucidè. Benè eſt; tum ego: contendam ad reliqua. Jam verò illiuſmodi radii hunc in modum refracti, atque obliquam progreſſi viam, certo quodam ſub angulo opacitatem induunt; atque hoc modo colorantur. Et quod mirum oppidò eſt, juxtà variam anguli menſuram, varios ſeſe pariter variant in colores, ac diverſimodè interpinguntur. Id verò quò faciliùs percipias, experimento proclive tibi, imò & perſpicuum faciam: atque in vitro triangulo, ſive in phiala aqua benè plena explicabo. Etenim ſi triangulare illud vitrum, vel ſi phialam Soli obiiciamus, videbimus illicò, radios in vitrum, phialamve irrumpentes, refractos ſtatim ex illis exilire, atque Iridem quaſi verſicolorem exhibere, vario colorum ordine, quàm pulcherrimè depictam, luteolo nimirum, cæruleo, & purpurante, qui colores reapſe nulli ſunt, coloratæ tamen lucis ſpeciem

In roſcidis aquarum guttis ſolis radii Iridem colorant,

offe-

Digitized by Google

offerunt. Hic Lucil: Istuc admiratus sum sæpenumerò, sicque animum inducebam, ut præter lucis coloratæ speciem, nihil omnino essent. Tum ego: Si hæc mihi concedis, & concedenda quippè; jam quo Iris modo pingatur in nube (quæ roscida sit, ut dicebam) perspicuum fiet: & perquàm facilè animo complecteris. Et ille: Perge porrò: attento te sequar animo. Ego verò: Jam telam ordiar. Cùm stillum cœlum est, èque roscidis nubibus quamplurimæ continuò guttæ depluunt: Sol verò finientem supra circulum 40. partes elevatus irradiat, (idem fit si minores, si majores verò non ità) tum radii in guttas illas incidentes, colorati mox abeunt; inque aëre versicolorem Iridem arcuatam instar orbis depingunt. hoc tamen colorum ordine, in superiore scilicet limbo purpureus, medio viridis, in inferiore tandem cæruleus color interniteat. Quia verò omnes eodem sub angulo colores induunt, & contiguæ sese inter guttæ sunt depluentes, inde fit, ut in arcum bellè, fabrèque variegatum, atque interpictum se Iris decircinet. Hoc loco Lucil: Dilucidè, & paucis, quoad potuit, res est explicata Sed age (parcas, quæso, si tot te ego interrogatiunculis fatigo.) Pluviam ne Iris, an serenitatem prænunciat? Cui tum ego: Certè aqueum signum est: nempe sine pluvia fieri nequit ullo modo. Et ille: Jocaris! non enim, ut hoc teneam, Oedipo opus est: quod autem noscere aveo est, secutura nè sit pluvia post Iridem, an futura sereni tas? Tum ego. Habeo id III Naut: & miror sanè te præteriisse. En tibi quid sentiam.

Quænam solis elevatio requiratur ad Iridem depingendam.

Quandonam Iris pluviam prænunciat, quando serenitatem.

Ipsa tibi pariter picto Thaumantias arcu
Signa dabit: pluviam cœlo si fulserit ante,
Fundet àquas; lætos si post curvabitur imbres,
Auricomos aperit Soles, cœlumque serenat.
Purpureis si tincta notis nimis illa rubebit,
Æoliæ flabunt animæ: dare vela per altum
Ne dubites: tua vela canent felicia Coris.
Verùm cæruleo si fulserit illa colore,
E cœlo largos demittet Juppiter imbres.
Si geminæ geminos latè curventur in arcus,
Ingenti torrente cadent de nubibus undæ.
Versicolor tepidum cùm se diffudit ad Austrum
Iris, aquas, tonitruq; & concita fulmina mittet:
Si verò in Borcam, fulgebit candida summo
Lux cœlo; cœlique simul convexa nitebunt.

Hìc Lucil: Abundè inquit: nec quidquam profecto est, quod amplius desiderem. Interea loci, dum sic Lucilius, en

en Fabiolus pavens, ac pallidus supervenit. Ut vidi; Quid rei est? inquam. Et ille: Perii, mi here. Tum ego: Cedo, quid istuc tandem est? Et ille: Haud equidem fari audeo. Cui ego: Quidquid sit incommodi, dicito, mihi odiosus non eris, non me planè nosti? Ille verò: Novi equidem; & idcircò dicere non audeo, nam tu iracundulus es. At ego: Tu certè malus es: neque tibi sanum est sinciput: fare tandem. Et ille confidentior factus: Canis quidam, inquit, è via domum ingressus, in culinam irrupit. Hic ego: Quid? Et ille. Me miserum! disperii: faxint Superi, ut hinc sanus abeam. Quid? inquam tum ego. Et ille: Audias, quæso, pacatis animis, canis aululam subvertit, & jurulentam carnem ipso simul cum jusculo devoravit; malè sit cani illi. Tum ego: Malè tibi erit, verbero: non te pluries admonui, ut fores semper occluderes? Et ille: Occlusi: imò etiam clave, & vecte obfirmavi, quis verò postea reseraverit, haud scio. Dii me perdant, si mentior. At ego: Tuâ certè negligentiâ id factum; sed faxo, ut in te damnum recidat. Hic Lucil: Imò vereor, ut ne in me recidat pueri negligentia; quid obsonabo, si canis vitulam subripuit? Tum ego: Aliquid fiet, quo damnum compensem. Et ille: Videlicet? Tum ego: Libulum ex ovis frixis butyro: teneo enim tuo stomacho delicatissimo oleum non quadrare: vel, si mavis, ex dispersis in ferventem aquam sine putamine: quæ præ reliquis salubriora sunt: vel, si potiùs tibi est, ex inassatis in cymbulis cum caseo bubulo edulium apparabo; si verò ames frixa globulata, aut succidiata, apponam tibi illa. Tum Lucil: Satis est libulum ex frixis butyro cum tantillo casei, infundes etiam tantillum aquæ; fiet enim sic tenerrimum: spargas super libulum momentum sacchari, & cinnamomi. Sed næ ego stultus, qui piscem natare doceo. Sub hæc amici viri famulus me convenit: & Dominus meus, inquit, prosperam tibi noctem ominatur, rogatque, ut in suæ erga te observantiæ testimonium sex hosce turdos, quos in retibus captos è vestigio ad te mittit, accipere ne dedigneris. Tum ego: Dic illi meo nomine salutem plurimam, meque gratias plurimas ei agere ob munusculum, quod mihi cadit peropportunum. Mox puero dimisso, Lucili, cuncta tibi in sinum cadunt an tu gallinæ filius albæ? ut dicitur. Et ille: imo tibi id dandum, cui verè semper felicitèr cadunt Jovis taxilli. Sed vide ne missum facias libum, illo ego libens vescor: & in hisce avibus vix unciola cibi est. Cui ego: Numnam me Diogenem putas?

tas? Heus tu; furcifer, i, citò, & emito quatuor ova: sint decumana, & recentia, cave ne singula paria emas plus quàm duobus assibus. Actutum redi: mox ad Lucilium. Recipiamus nos hinc domum; jam enim extabescente die, nox humida nos comprehendit, neque innoxium est esse sub dio.

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGE.

Pag. 2. v. 33. lege, viridans. Ibidem v. 43. lege, Quas quidem. Pag. 8. v. 42. lege, Phulcro. Ibidem, v. 44. lege, apertissimis. Pag. 9. v. 14. lege, proferatur. Pag. 10. v. 41. lege, differamus. Pag. 12. v. 18. lege, fecerunt. Ibidem, v. 19. lege, Tumulum. Pag. 13. v. 32. lege, Surrentinarum. Ibidem, ver. 45. lege, tanquam. Pag. 16. v. 8. lege, hibernam. Pag. 17. ver. 12. lege, contra ji. Pag. 21. v. 44. lege, de more. Pag. 27. v. 5. lege, Palęstram. Pag. 29. v. 32. lege, transcripseram. Pag. 32. v. 6. lege hyacinte. Pag. 34. v. 11. lege, Egredimur. Ibidem ver. 17. lege, Valetudinem. Ibidem v. 34. lege, si eam. Pag. 35. v. 30. lege, protruditur. Pag. 36. ver. 29. lege, transmiserunt. Pag. 38. v. 39. lege, Scrobe. Pag. 39. v. 21. lege, audiat. Pag. 60. v. 39. lege, Vemusinus. Pagina 63. ver. 36. lege, quamnimis. Ibidem v. 41. lege adamussim. Ibidem, versu 43. lege, unguem. Pag. 80. v. 30. lege, Amabiliam. Pag. 92. v. 21. lege, consultis. Pag. 93. v. 19. lege, iejunus. Pag. 98. v. 40. lege, Collaltorum. Pag. 99. v. 28. lege, insperatus. Pag. 103. ver. 5. lege, numismata. Ibidem v. 13. lege, pereleganter. Pag. 104. v. 41. lege, rigidęque. Pag. 109. v. 27. lege, Alphonsus. Pag. 319. v. 10. lege, Romani. Pag. 121. v. 25. lege, cumulatissimè.

Digitized by Google

JACOBUS PERRECA

Præpositus Provincialis Soc. Jesu in Regno Neapolitano.

CUm librum, cui titulus *Hyemum Puteolanarum*, à P. Nicolao Parthenio Giannettasio Societatis nostræ conscriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint: potestate à P. Michaele Angelo Tamburino Præposito Generali, ad id nobis tradita, facultatem concedimus, ut Typis mandetur, si ita iis ad quos pertinet videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas dedimus. Neapoli 24. Kal. Januarii 1718.

Jacobus Perreca Provincialis.

EMINENTISSIMO SIGNORE.

DOmenico Raillardo supplicando espone à Vostra Eminenza, come deve dare alle Stampe un libro intitolato *Hyemum Puteolanarum*, composto dal Padre Nicolò Giannattasio della Compagnia di Giesù, e per tanto la supplica per la revisione, per la solita licenza, e l'haverà a grazia ut Deus.

R. D. Cajetanus de Amato Rhetorices Prælector in Seminario Archiepiscopali revideat, & referat. Neapoli 15. Septembris 1722.

HONUPHRIUS EPISC. CASTELLANET. VICAR. GENERALIS.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

EMINENTISSIME PRINCEPS.

NOn sine magna animi voluptate legi libellum *Hyemum Puteolanarum* olim conscriptum ab eruditissimo, & numquam satis laudato Viro inclytæ Societatis Jesu Nicolao Parthenio Giannattasio, qui inter cætera illius typis edita præclarissima Opera quum non ultimum sibi vindicet locum, meritò in lucem dari poterit, si ita Eminentiæ Tuæ videbitur, eoque præsertim, quod *nihil* contineat aut ab Orthodoxa Fide, aut bonis moribus absonum; quinimò ad plurimam eruditionem, atque oble-

&ta-

Digitized by Google

mentum proderit. Ex Ædibus Seminarii VI. Idus Novembris MDCCXXII.

Em. Tuæ

Humill. Addictiſs. & Obſequentiſs. Servus:
Cajetanus Maria Amato.

Attenta ſupradicta relatione Imprimatur. Neapoli 7. Novembris 1722.

HONUPHRIUS EPISC. CASTELLANET. VIC. GENERALIS.

D. Petrus Marcus Giptius Canon. Deput.

EMINENTISSIMO SIGNORE.

DOmenico Raillardo ſupplicando eſpone à V. E. come deſidera dare alle ſtampe un libro intitolato *Hyemum Puteolanarum*, compoſto dal Padre Nicolò Giannattaſio della Compagnia di Gesù, per tanto la ſupplica per la reviſione, e per la ſolita licenza, e l'averà a grazia ut Deus.

Rev. Dom. de Ludovicis videat, & in ſcriptis referat.

MAZZACCARA Reg. ULLOA Reg.
ALVAREZ Reg. GIOVENE Reg.
FALLETTI Reg.

Proviſum per S. E. Neap. 9. Novembris 1721.
Maſtellonus.

EMINENTISSIME DOMINE.

JUſſu Em. V. Vidi librum, cui titulus *Hyemes Puteolanæ* authore P. Nicolao Parth. Giannettaſio S. J. & quoniam in eo nihil offendi, quod Regiæ obſit Juriſdictioni, quinimò nihil non plenum eruditionis, elegantiæ, atticique candoris dignum cenſeo, qui typis mandetur.

Eminentiæ Veſtræ

Omni obſequio addictiſſimus Famulus
Dominicus de Ludovicis è Soc. Jeſu.

Viſa relatione imprimatur, & in publicatione ſervetur Regia Pragmatica.

MAZZACCARA Reg. ULLOA Reg.
ALVAREZ Reg. GIOVENE Reg.
FALLETTI Reg.

Proviſum per S. E. Neap. 9. Novembris 1722.
Maſtellonus.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1894

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google